ANNALES

ACADEMIAE RHENO-TRAIECTINAE.

Ann. CIↃIↃCCCXXVII—CIↃIↃCCCXXVIII.

ANNALES
ACADEMIAE RHENO-TRAIECTINAE,

Ann. CIↃIↃCCCXXVII — CIↃIↃCCCXXVIII.

ANTONIO VAN GOUDOEVER,
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICO,

JANO KOPS.
SENATUS GRAPHIARIO.

TRAJECTI AD RHENUM,
APUD IOANNEM ALTHEER,
ACADEMIAE TYPOGRAPHUM.
1829.

HOC ANNALIUM VOLUMINE CONTINENTUR

Responsioncs ad quaestiones propositas:

LEONARDI JACOBI FRIDERICI JANSSEN.
JOANNIS EVERARDI DE VOOGT.
GUILIELMI CHRISTIANI SLIN-GERLAND CONRADI.
GUILIELMI van LYNDEN.
ADRIANI HENDRICI van der KEMP.

A N N A L E S

ACADEMIAE RHENO-TRAIEC-TINAE.

Ann. CIↃIↃCCCXXVII—CIↃIↃCCCXXVIII.

---

§. I.

In Academia Rheno-Traiectina, inde a die XXVI *Martii, A.* CIↃIↃCCCXXVII. *usque ad diem* XXVI *A. Martii,* CIↃIↃCCXXVIII. *docendi munus obierunt,*

PHILOSOPHIAM THEORETICAM ET LITERAS HUMANIORES

PHILIPPUS GUILIELMUS VAN HEUSDE,
IOHANNES HENRICUS PAREAU,
ANTONIUS VAN GOUDOEVER, *h. t. Academiae Rector,*
ADAMUS SIMONS.

MA-

MATHESIN ET PHILOSOPHIAM NATURALEM

NICOLAUS CORNELIUS DE FREMERY,
GERARDUS MOLL,
IOANNES FREDERICUS LUDOVICUS SCHRÖDER,
IANUS KOPS, *h. t. Senatus Academici Graphiarius*,
THEODORUS GERARDUS VAN LITH DE IEUDE, *Professor extraordinarius.*

THEOLOGIAM

IODOCUS HERINGA, E. F.
GABRIEL VAN OORDT, *honorifice et ex voto suo dimissus*,
HERMANNUS BOUMAN,
HERMANNUS IOHANNES ROYAARDS.

IURISPRUDENTIAM

HERMANNUS ARNTZENIUS,
IANUS RICHARDUS DE BRUEYS,
CORNELIUS ADRIANUS VAN ENSCHUT.

ME-

MEDICINAM

Ianus Bleuland,
Nicolaus Cornelius De Fremery,
Ianus Isaacus Wolterbeek,
Iacobus Ludovicus Conradus Schroeder van der Kolk,
Philippus Franciscus Heyligers, *Professor extraordinarius.*

LECTORES.

Samuel Nyhoff, *Linguae Graecae,*
Gerardus Dorn Seiffen, *Literarum Humaniorum,*
Marie Franciscus Xavierius d'Angely, *Literarum Gallicarum,*
Carolus Thompson, *Literarum Anglicarum,*
Iustus Henricus Koch, *Linguae Germanicae Lector.*

MA-

MAGISTER ACADEMICUS ARTIS GLADIATORIAE,

LAMBERT DE FRANCE.

§. II.

Quaestiones ad certamen literarium singulis disciplinarum studiosis, in Academiis et Athenaeis universi Belgii, anno CIƆIƆCCCXXVII, *fuerunt propositae his formulis:*

QUAESTIO LITERARIA.

Ita Exponatur magnifica vehementissimae tempestatis descriptio, quae Psalmo 29 continetur, ut Hebraicae et Linguae et Poëseos habeatur ratio, utque situs locorum, quantum opus sit, et componendi carminis opportunitas attendantur.

QUAE-

QUAESTIO MECHANICA.

Exponantur atque exemplis illustrentur methodi, quibus linearum, superficierum, atque corporum centra gravitatis calculo definiantur.

QUAESTIO CHEMICO-OECONOMICA.

Quaeritur Analysis Chemica comparata carnis bovinae, vitulinae, ovinae et porcinae, ut inde efficiatur, quaenam praecepta in singulis his carnibus, sive integris, sive illarum extracto, diu atque etiam per itinera longa, conservandis, sint sequenda.

QUAESTIO THEOLOGICA.

Unde orta est, in Reformatis Belgii Ecclesiis, sive lex, sive consuetudo, jubens antistites identidem, instante solenni Sacrae Coenae celebratione, singulos Societatis Christianae sodales in eorum aedibus convenire, ad sacrum Epulum invitare, et de usu ejus legitimo monere?

Pos-

Possuntne antistites hac opportunitate, ad alias sacri muneris partes rite administrandas, prudenter uti? Quod ut fiat, quomodo universe *hac in re iis versandum erit? Quae tandem hinc utilitas sperari poterit?*

QUAESTIO IURIDICA.

Dotis origo apud Romanos ac jus, quod eo nomine conjugibus et per mortem soluto matrimonio constitutum est, e suis causis historica disquisitione illustretur.

QUAESTIO MEDICA.

Quandoquidem nostra aetate alii nimium ita dicto Mechanismo *partus, alii vero ejus* Dynamismo, *tribuunt, quaeritur*

1. *Quid de utroque argumento disputaverint veteres et recentiores obstetricatores?*
2. *Quae sit utriusque vis in partu feliciter absolvendo?*

§. III.

§. III.

Lectionum, inde a feriis aestivis A. ↄIↄIↄCCCXXVII. *usque ad ferias aestivas A.* CIↄIↄCCCXXVIII. *habendarum, haec fuit ratio constituta.*

In FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM, docebunt

Logicam I. F. L. SCHRÖDER, die lunae hora II. atque die saturni hora VIII.,

Loca Selecta ex Metaphysices Doctrina I. F. L. SCHRÖDER, diebus iovis et veneris, hora II.

Literas Latinas A. VAN GOUDOEVER, diebus lunae, martis, iovis et veneris, hora X. interpretando, cum Ciceronis Tusculanarum quaestionum librum I., tum Horatii Epistolarum Librum I. inde ab epistola XIV.

Praecepta orationis Latinae A. VAN GOUDOEVER, diebus Mercurii h. I. et saturni h. XII.

An-

Antiquitatem Romanam A. VAN GOUDOEVER, diebus lunae, mercurii, iovis et saturni hora IX.

Exercitationibus Oratoriis praeerit A. VAN GOUDOEVER, die Mercurii hora XII.

Literas Graecas tradet PH. G. VAN HEUSDE, interpretandis locis selectis cum Homeri et Luciani, diebus martis et veneris, hora XI. tum Aristophanis et Platonis, diebus lunae et iovis, hora XI.

Antiquitatem Graecam PH. G. VAN HEUSDE, diebus mercurii et saturni, hora X. vel alio tempore.

Literas Hebraicas I. H. PAREAU, ita ut *Grammaticam* exponat diebus lunae et iovis hora IX., eademque hora, diebus martis et veneris, quaedam tractet Capita e posteriore *Samuelis* Libro, inde a C. XIII, usque ad Libri finem.

Literas Chaldaicas et *Syriacas* I. H. PAREAU, diebus lunae et iovis, hora XI.

Literarum Arabicarum initia I. H. PAREAU, diebus martis et veneris, hora XI. et *carmina quaedam Arabica ex Hamasae excerptis* tractare perget die mercurii, hora IX. aut alia commodiore.

An-

Antiquitatem Hebraicam I. H. PAREAU, diebus lunae, martis, iovis et veneris, hora I.

Historiam gentium, praesertim *medii et recentioris aevi* PH. G. VAN HEUSDE, d. lunae, martis, iovis et veneris hora XII.

Historiam humanitatis, PH G. VAN HEUSDE, diebus mercurii et saturni, hora XI.

Historiam Patriae, A. SIMONS, d. martis, mercurii, iovis et veneris, hora VIII.

Historiam Coloniarum Belg., diebus mercurii et veneris, horâ IX. A. SIMONS.

Literas Belgicas et Eloquentiam, A. SIMONS, d. martis, mercurii, iovis et veneris, hora II.

Poëtarum principum Belg. Sec. XVII. selecta loca, A. SIMONS, d. martis et veneris, hora IV.

Praecepta styli bene Belgici tradet A. SIMONS, d. martis, horâ XII. mercurii, horâ XI. iovis, horâ IV. et veneris, horâ XI.

Disputandi exercitationibus, sermone Belg. praeerit, alternis hebdomadibus, die iovis, hora IV. A. SIMONS.

Disputandi exercitationibus praeerunt, alter-

ternis hebdomadibus, die saturni hora I. alternatim PH. G. VAN HEUSDE et A. VAN GOUDOEVER.

In FACULTATE MATHESEOS ET PHILOSOPHIAE NATURALIS, docebunt

Elementa Matheseos I. F. L. SCHRÖDER, d. martis, mercurii, iovis et veneris, hora VIII.

Physicam Mathematicam, duce Poisson, I. F. L. SCHRÖDER, diebus mercurii et saturni hora IX.

Stereometriam atque Trigonometriam Sphaericam, adhibitas ad Geographiam Mathematicam et Astronomiam, I. F. L. SCHRÖDER, die iovis et veneris hora IX.

Geometriam Subliniorem, inprimis *Theoriam Curvarum* I. F. L. SCHÖDER, hora auditoribus commoda.

Physicam experimentalem G. MOLL, d, lunae, martis, iovis et veneris, hora I.

Astronomiae primas notitias G. MOLL, d. lunae, martis, iovis et veneris, h. IX. vel alia, auditoribus magis commoda,

As-

Astronomiam theoreticam et practicam G. MOLL, iisd. d. h. III.

Elementa Hydrotechniae, ad praesentem conditionem Patriae adplicata, si sufficiens numerus auditorum adsit, belgico sermone, exponet G. MOLL, hora deinceps indicanda.

Chemiam generalem et applicatam N. C. DE FREMERY, diebus lunae, martis, mercurii, iovis et veneris, h. XII.

Botanicam et Physiologiam plantarum I. KOPS, d. lunae, martis, iovis et veneris, h. X.

Zoologiam Universam, N. C. DE FREMERY, diebus iovis et veneris, XI,

Anatomiam comparatam Th. G. VAN LIDTH DE IEUDE, diebus mercurii et saturni, horâ auditoribus commodâ.

Mineralogiam et Geologiam N. C. DE FREMERY, diebus lunae et martis, horâ XI.

Oeconomiam ruralem I. KOPS, diebus lunae, mercurii et iovis, hora I, et saturni, hora XII.

Disputandi exercitationibus, die saturni horâ I, alternatim praeerunt Professores in Facultate Matheseos et Philosophiae Naturalis, singuli in partibus sibi demandatis.

In

In FACULTATE THEOLOGICA.

In *Theologiam Naturalem* cum commilitonibus inquiret H. BOUMAN, diebus lunae et veneris, hora X.

Historiam Ecclesiae Christianae, inprimis *antiquam*, tradet H. I. ROYAARDS, diebus lunae, martis et iovis, hora XI. et die mercurii, hora VIII.

Historiam Ecclesiae Belgicae narrabit H. I. ROYAARDS diebus lunae et mercurii hora II.

Collocutionibus cum provectioribus *de locis Historiae Ecclesiae et Dogmatum* vacabit H. I. ROYAARDS, die martis hora II.; cum Candidatis de *Historia Ecclesiastica* et *Doctrina morum Christiana*, hora auditoribus commoda.

Disquisitionibus, probationi academicae praeviis, vacabit H. I. ROYAARDS, die lunae hora XII.

Hermeneutica Veteris Foederis, diebus martis et veneris, horâ I. tradetur.

Criticas lectiones in N. F. loca difficiliora habebit H. BOUMAN, die mercurii, horâ X.

Prio-

QUAESTIO MECHANICA.

Exponantur atque exemplis illustrentur methodi, quibus linearum, superficierum, atque corporum centra gravitatis calculo definiantur.

QUAESTIO CHEMICO-OECONOMICA.

Quaeritur Analysis Chemica comparata carnis bovinae, vitulinae, ovinae et porcinae, ut inde efficiatur, quaenam praecepta in singulis his carnibus, sive integris, sive illarum extracto, diu atque etiam per itinera longa, conservandis, sint sequenda.

QUAESTIO THEOLOGICA.

Unde orta est, in Reformatis Belgii Ecclesiis, sive lex, sive consuetudo, jubens antistites identidem, instante solenni Sacrae Coenae celebratione, singulos Societatis Christianae sodales in eorum aedibus convenire, ad sacrum Epulum invitare, et de usu ejus legitimo monere?

Pos-

na Christiana exponet I. HERINGA, E. F. diebus martis et veneris, hora VIII.

Puerorum doctrinae Christianae initiis *erudiendorum* exercitationem instituet I. HERINGA, E. F. die veneris, hora XI.

Commilitonibus, *orationes* habentibus *sacras*, praeses aderit I. HERINGA, E. F. die mercurii, hora XII, H. BOUMAN, die lunae, horâ I. et H. I. ROYAARDS, die iovis, horâ I.

Publicis *disputandi* exercitationibus praeerunt, alternis hebdomadibus, die mercurii, hora I. alternatim, I. HERINGA, E. F., H. BOUMAN et H. I. ROYAARDS.

G. VAN OORDT, etsi, suo rogatu, honorifice a Rege dimissus ést, lubentissime tamen sua officia et consilia, quoad eius fieri possit, offert commilitonibus. Orationes sacras habentibus praeses aderit, diebus et horis et sibi et commilitonibus opportunis.

In FACULTATE IURIDICA,
docebunt.

Institutiones H. ARNTZENIUS, diebus

mar-

martis, mercurii, iovis, veneris et saturni, hora I.

Pandectas Westerbergio duce H. ARNTZENIUS, diebus martis et iovis hora X. mercurii, veneris et saturni hora X et XI.

Ius Belgicum ad ductum linearum Iur. Civ. Holland. descriptarum a. Cl. N. Smallenburg, I. R. DE BRUEYS, diebus lunae, martis, mercurii, iovis et veneris, hora I.

Historiam Iurisprudentiae Romanae H. ARNTZENIUS, diebus martis et iovis hora XI. mercurii hora IX.

Encyclopediam iuris I. R. DE BRUEYS, diebus lunae hora X, mercurii et veneris, hora XI.

Elementa oeconomiae politicae I. R. DE BRUEYS, diebus lunae, martis et iovis, hora XI.

Ius naturae C. A. VAN ENSCHUT, diebus martis, mercurii, iovis et veneris, hora X., duce Haus.

Ius publicum et gentium, C. A. VAN ENSCHUT, diebus martis, mercurii, iovis et veneris, hora XII.

Ius Criminale universum et belgicum

C. A. VAN ENSCHUT, diebus martis, mercurii, iovis et veneris, hora IX.

Disputandi exercitationibus, alternis hebdomadibus, praeerunt Professores in facultate Iuridica.

In FACULTATE MEDICA,
docebunt

Anatomiam I. L. C. SCHROEDER VAN DER KOLK, quater per dierum hebdomadem, hora IV.

Physiologiam I. L. C. SCHROEDER VAN DER KOLK, diebus lunae, martis, iovis et veneris, horâ auditoribus commodâ.

Dissectionibus cadaveris Anatomicis, opportuno anni tempore instituendis, praeerit I. L. C. SCHROEDER VAN DER KOLK.

Pathologiam exponet B. F. SUERMAN, ter per dierum hebdomadem, hora IX.

Doctrinam de cognoscendis et curandis hominum morbis I. I. WOLTERBEEK, quinquies hora XII.

Therapeuticam alimentorum et medicamentorum expositionem I. I. WOLTERBEEK, quater, hora I.

Phar-

Pharmaciam, vernaculo sermone, N. C. DE FREMERY, diebus martis et veneris, hora II.

Examen aegrotantium, et signa morborum, I. I. WOLTERBEEK, in Nosocomio academico hora X.

Institutionibus clinicis morborum internorum vacabit I. I. WOLTERBEEK, singulis diebus, in Nosocomio Academico.

Praxin chirurgicam tradet B. F. SUERMAN, quater per dierum hebdomadem, hora VIII.

Operationes chirurgicas demonstrabit B. F. SUERMAN, tempore hyemali, diebus et horis deinceps indicandis.

Institutioni clinicae in arte chirurgica, quovis die, vacabit B. F. SUERMAN.

Theoriam artis obstetriciae tradet I. I. WOLTERBEEK, die martis, iovis, et veneris hora IX.

Institutionibus obstetriciis, imprimis practicis, in Nosocomio habendis, vacabit I. I. WOLTERBEEK.

Morbos chirurgicos generales Ph. F. HEYLIGERS, diebus lunae et martis, hora II.

Ope-

Operationes chirurgicas in cadavere humano publice demonstrabit Ph. F. HEYLIGERS, tempore hyemali, earumque encheiresium rationem, vernaculo fermone, exponet quater per dierum hebdomadem; hora V.

Artem obstetriciam theoreticam et practicam docebit Ph. F. HEYLIGERS; quater quavis hebdomade, hora I.

Medicinam Forensem N. C. DE FREMERY, diebus mercurii et saturni, hora VIII.

Disputandi exercitationibus, alternis hebdomadibus, Professores in Facultate Medica praeerunt.

I. BLEULAND, licet propter aetatem septuaginta annorum honorofice rude donatus, commilitonibus, qui explicationem accuratiorem speciminum Anatomicorum et Pathologicorum in Museo praesentium desiderabunt, sua officia, quantum valetudo permittet, offert.

G. DORN SEIFFEN, *Lit. Human. Lector*, diebus lunae et iovis, hora V., *Gram-*

ma-

maticam Graecam exponet: iisdem diebus, hora VI., aut alia, auditoribus magis commoda, de *rhythmica ratione, tam in Graecorum, quam Latinorum, poëtarum carminibus* aget.

I. H. KOCH, Linguae Germanicae grammaticam et historiam interpretabitur, horâ auditoribus commodâ.

Literas Francicas tradet F. M. D'ANGELY, diebus lunae et iovis, hora V.

Literas Anglicas tradet C. THOMPSON, diebus lunae et iovis, hora IV.

L. DE FRANCE, Academicus gladiatoriae artis Magister, quotidie aptum et elegantem gladii usum docebit.

Bibliotheca Academica, diebus Lunae et Iovis, ab hora I. in II., diebus Mercurii et Saturni, ab hora I. in IV., et feriarum tempore, singulis diebus Iovis, ab hora I. in II., unicuique patebit.

§. IV.

§. IV.

Inde a die XXVI. Martii, a. CIƆIƆCCCXXVII, usque ad diem XXV. Martii, a. CIƆIƆCCCXXVIII, Dissertationes, sive publice, sive privatim, defensae sunt hae.

Anno CIƆIƆCCCXXVII.

Die VI *Aprilis*, FRANCISCUS PETRUS PLAGE, *Silesius*, Medicinae Doctor creatus Berolini die 30 Novembris A. 1825, deinde vero confirmatus, examine instituto, a Facultate Medica huius Academiae, d. 12 Februarii 1827; nunc post institutum examen, *privatim*, Chirurgiae Doctor renuntiatus est, *cum laude*.

Die XXV *Aprilis* GUILIELMUS WILLINK, Iunioris Filius, *Amstelaedamensis*, *publice* defensa Dissertatione de Beneficio cessionis, Iuris Romani et hodierni Doctor creatus est, *cum laude*.

Die XXVIII *Aprilis*, WYNOKO IOHANNES TONCKENS, *Wyka-Drenthinus*, *privatim* defensa Dissertatione de modis, quibus

bus consenens in contractibus, vitiatur, secundum Iuris hodierni principia, Iuris Romani et hodierni Doctor creatus est, cum laude.

Die XII. *Maii*, Arnoldus Gerardus Iustus Taets van Amerongen, *Amstelaedamensis*, *privatim* defenso specimine, quasdam sistente animadversiones ad locum codicis civilis, qui est de iis, qui pactionem facere possunt, Iuris Romani et hodierni Doctor est renunciatus, *cum laude*.

Die XXXI. *Maii*, Abrahamus van der Leeuw, *Horna-Hollandus*, *privatim* defensa Dissertatione de Morbis vere gastricis, Medicinae Doctor creatus est, *cum laude*.

Die II. *Iunii*, Didericus Evekink, *Zutphaniensis*, *privatim* defensa Dissertatione de debiti solutione, tamquam modo tollendae obligationis, maxime ex iuris Francici principiis; Iuris Romani et hodierni Doctor est creatus, *cum laude*.

Die V. *Iunii*, Franciscus Petrus Place, *Silesius*, post institutum examen, *privatim* Artis obstetriciae Doctor renunciatus est, *cum laude*.

Die

Die IX, *Iunii*, PHILIPPUS ANTONIUS IOSEPHUS DOIGNON, *Tornacensis*, *privatim* defenso specimine de Redituum redemptione, Iuris Romani et hodierni Doctor creatus est.

Die XI. *Iunii*, ADRIANUS SOPHIUS MILDERS, *Rotterodamensis*, *privatim* defenso specimine de officio tutoris eorum, qui sunt aetate minores, ex iure Francico et Belgico novissimo, iuris Romani et hodierni Doctor creatus est.

Die XII. *Iunii*, IACOBUS MARTINUS DEUTZ VAN ASSENDELFT, *Amstelaedamensis*, *publice* defenso specimine, sistente doctrinam codicis civilis de subrogatione, Iuris Romani et hodierni Doctor renuntiatus est, *cum laude*.

Die XIII. *Iunii*, CORNELIUS DEDEL, *Amstelaedamensis*, *publice* defenso specimine de auctoritate praestanda a venditore rei vitiosae, Iuris Romani et hodierni Doctor creatus est, *magna cum laude*.

Die XVI. *Iunii*, DIDERICUS IACOBUS RUIS VAN LEEUWEN, *Amstelaedamensis*, *privatim* defensa Dissertatione, de pignore, tam in re mobili, quam immobili, Iuris Romani et hodierni Doctor creatus est.

Eodem

Eodem die, CORNELIUS GERLINGS Iunior, *Harlemensis*, *privatim* defensa Dissertatione, de deposito voluntario, Iuris Romani et hodierni Doctor renuntiatus est.

Die XIX. *Iunii*, HENRICUS CAROLUS FOCKE, *Paramaribo-Surinamensis*, *publice* defensa Dissertatione, de pretio in emtione et venditione, Iuris Romani et hodierni Doctor creatus est, *cum laude*.

Eodem die, IANUS GERLINGS, *Harlemensis*, *privatim* defensa Dissertatione, de hereditate vendita, Iuris Romani et hodierni Doctor creatus est, *cum laude*.

Die XX. *Iunii*, IANUS VAN PERSYN, *Amstelaedamensis*, *publice* defensa Dissertatione, de politica Ciceronis Doctrina, Iuris Romani et hodierni Doctor creatus est, *magna cum laude*.

Die XXI *Iunii*, IACOBUS VAN WEEDE, *Amstelaedamensis*, *publice* defensa Dissertatione, de Facultate retroemendi (Faculté de rachat;) Iuris Romani et hodierni Doctor renuntiatus est, *magna cum laude*.

Die XXII. *Iunii*, ISAACUS NYHOFF, S. F. *Rheno-Trajectinus*, *publice* defenso specimine, exhibente observationes de Epidemia Gro-

Groningana Anni 1826; Medicinae Doctor renuntiatus est, *magna cum laude.*

Eodem die, DIDERICUS HENRICUS BENTINCK, *Transisalanus*, *privatim* defenso specimine, sistente quaestiones ad locum Codicis civilis, de adscendentium iure revocandi bona, donata descendentibus, sine prole demortuis, Iuris Romani et hodierni Doctor creatus est.

Eodem die, ARNOLDUS VAN GALEN, *Sylvae ducensis*, *privatim* defensa dissertatione de modis adquirendi et admittendi servitutes, Iuris Romani et hodierni Doctor renuntiatus est, *cum laude.*

Die XXIII. *Iunii*, GUILIELMUS FRANCISCUS AEMILIUS VAN DER BORCH, *Verwolda-Gelrus*, *privatim* defenso specimine de Decimis Novalium, imprimis ratione habita Diplomatis, huc usque inediti, quo Reinaldus II, Gelriae et Zutphaniae comes, quasdam Decimas novales Anno 1333, Decano et capitulo Embricensi donavit, Iuris Romani et hodierni Doctor creatus est.

Eod. die, IANUS HENRICUS CAROLUS VAN HENGST, *Rheno-Traiectinus*, *privatim* defenso specimine, de rerum singularium

do-

dominio, secundum Codicem legum civilium, Iuris Romani et hodierni Doctor creatus est.

Die XXVII. *Septembris*, ADRIANUS CORNELIUS DE MEYIER, *Haganus*, *publice* defensa dissertatione, de Lucae ἀξιοπιςία in scribendo Actuum Apostolicorum libro, Theologiae Doctor creatus est, *magna cum laude.*

Die XXVIII. *Septembris*, IACOBUS TICHLER, *Campensis*, *publice* defensa dissertatione, de indole sacrorum emendationis, a Zuinglio institutae, rite dijudicanda, Theologiae Doctor renuntiatus est, *magna cum laude.*

Die XXIX. *Septembris* hora X. ANNAEUS CORNELIUS CONSTANTIUS DE IONG, *Sneekanus*, *publice* defensa dissertatione de Iesu Christo patiente, ex vero ab Euangelistis informato, Theologiae Doctor renuntiatus est, *magna cum laude.*

Eod. die, hora XII. NICOLAUS VAN DER TUUK ADRIANI, *Tjallebirda-Frisius*, *publice* defensa dissertatione de ultimarum Christi perpessionum περιςάσεσιν, ab Euangelistis ex vero narratis, Theologiae Doctor creatus est *magna cum laude.*

Die III. *Octobris*, THEODORUS VERWAYEN

WAYEN, *Rheno-Traiectinus*, *publice* defenso specimine in M. Acci Plauti Amphitrionem, Philosophiae theoreticae et literarum humaniorum Doctor renuntiatus, est *cum laude*.

Die VI. *Novembris*, GUILIELMUS FRANCISCUS SOHEY, *Amstelaedamensis*, *publice* defenso specimine, de causis, quibus factum esse videtur, ut apud Romanos Augusti tempore maxime literae florerent, Philosophiae theoreticae et literarum humaniorum Doctor creatus est, *cum laude*.

Die XXIII. *Novembris*, HENRICUS IOANNES VAN DER WYCK, *Zwollanus*, *privatim* defenso specimine de missione in possessionem bonorum absentis, Iuris Romani et hodierni Doctor creatus est, *cum laude*.

Die IV. *Decembris*, ADRIANUS IANUS CORNELIUS MAAS, *Delfensis*, *privatim* defenso specimine de conditionibus, maxime illis, quae obligationem ex contractu suspendunt, Iuris Romani et hodierni Doctor renuntiatus est.

Die XIV. *Decembris*, CORNELIUS LUDOVICUS DE VOS, *Rheno-Traiectinus*, *privatim* defenso specimine de firmanda donatione

ne inter vivos apud acta; Iuris Romani et hodierni Doctor renuntiatus est, *cum laude*.

Die XIX. *Decembris*, CAROLUS HENRICUS ROËLL, *Amstelaedamensis*, *privatim* defenso specimine, exhibente animadversiones ad locum Codicis civilis, qui est de transactione, Iuris Romani et hodierni Doctor creatus est, *cum laude*.

Die XX. *Decembris*, ALBERTUS IOANNES LUBLINK, *Amstelaedamensis*, *publice* defensis observationibus Iuris Romani miscellis, Iuris Romani et hodierni Doctor creatus est, *magna cum laude*.

Eod. die, WOPKO CNOOP KOOPMANS, *Amstelaedamensis*, in Seminario Teleiobaptistarum Theologiae Professor, *Honoris causa*, Philosophiae Theoreticae et literarum humaniorum Doctor renuntiatus est.

Eod. die, HERMANNUS DYCKMEESTER, *Tiela-Gelrus*, *privatim* defenso specimine, de praejudicio, quod iudicium publicum facit iudicio privato, Iuris Romani et hodierni Doctor creatus est, *cum laude*.

Die XXI. *Decembris*, IANUS OLPHERTUS DE IONG, *Veghelo-brabantinus*, *publice* defensa disputatione, continente succinctam Grotia-

tianae doctrinae, inprimis de Iure criminali, in libris de iure belli et pacis traditae, expositionem, Iuris Romani et hodierni Doctor creatus est, *magna cum laude.*

Die XXII. *Decembris*, Albertus Snouckaert van Schauburg, *Neomagensis*, *privatim* defensa dissertatione de Legatis rebusque ab his agendis, Iuris Romani et hodierni Doctor renuntiatus est.

Anno CIϽIϽCCCXXVIII.

Die XVI. *Ianuarii*, Carolus Heilbron *Amstelaedamensis*, *publice* defensa dissertatione, de natura obligationis, quae quasi ex contractu oritur; Iuris Romani et hodierni Doctor renuntiatus est.

Die III *Martii*, Ianus Turk, *ex pago Maarsen*, *publice* defenso specimine de Acupunctura, Medicinae Doctor creatus est, *cum laude.*

Die VI. *Martii*, Arnoldus Henricus van den Heuvel, *Rheno-Traiectinus*, *privatim* defenso specimine de Thoracibus Foeminarum hodiernis, sanitati nocivis, Medicinae Doctor creatus est, *cum laude.*

§. V

§. V.

SOLENNIA.

Anno CIƆIƆCCCXXVII.

Die XXVI. *Martii*, Academiae Curatores, viri amplissimi, in Senatu convenerunt, quorum praeses, postquam designatus huius anni Rector, ANTONIUS VAN GOUDOEVER, solenne iusiurandum praestiterat, superioris anni Rectori, BERNARDO FRANCISCO SUERMAN, pro fide et cura in magistratu academico obeundo, gratias egit et viro clarissimo VAN GOUDOEVER, hoc ipsum munus gratulatus est, atque deinde clarissimum SUERMAN in cathedram deduxerunt Curatores. Ille vero habita oratione, *de Fortitudine animi, virtute Medicis propria, maxime illa in epidemiis conspicua*, enarratisque praecipuis, quae, se rectore, cum laeta, tum adversa Academiae accidissent; praemia iuvenibus, in certamine literario victoribus, distribuit, DIDERICO IOANNI AGATHONI ARNTZENIO, Med. Cand. in Acad. Rheno-

no-Traiect. HENRICO REIGER, Lit. hum. et Iuris Cand. in Acad. Groningana; PETRO VAN GALEN, Math. et Phil. nat. Stud. in Acad. Rheno-Traiect.; VINCENTIO IOSEPHO DE ST. MOULIN, Math. et Phil. nat. Cand. in Acad. Gandavensi. Atque honorifica etiam testimonia exhibuit, Ordinis Literarii nomine, PETRO OTTONI CONRADO VORSELMAN DE HEER, Lit. hum. Stud. in Acad. Rheno-Traiect. et, ordinis Medici nomine, IOSEPHO GUILIELMO DE BLOK, Math. et Phil. nat. Cand. nec non Med. Stud. in Acad. Gandavensi.

Quibus peractis datum sibi successorem in proximum annum proclamavit ac salutavit virum clarissimum VAN GOUDOEVER, Academiae Rectorem Magnificum.

ANTONII VAN GOUDOEVER

ORATIO,

DE

FRANCISCO PETRARCHA,

LITERARUM HUMANIORUM, SECULO XIV. INSTAURATORE PRAECIPUO.

DICTA PUBLICE

DIE XXVI MARTII, A. CIƆIƆCCCXXVIII.

QUUM ACADEMIAE REGUNDAE MUNUS SOLENNI RITU DEPONERET.

TRAJECTI AD RHENUM,
APUD JOANNEM ALTHEER,
ACADEMIAE TYPOGRAPHUM.
1829.

ORATIO.

Academiae Rheno-Traiectinae Curatores, Viri Amplissimi! et qui his ab actis es, Vir consultissime!

Artium et disciplinarum Professores Viri Clarissimi, Collegae coniunctissimi! ut et lectores doctissimi!

Quotquot praesentia vestra, hanc solemnitatem condecoratis Viri publica auctoritate, Natalium splendore, Doctrinae laude, munerumque dignitate conspicui!

Divinorum oraculorum interpretes doctissimi, reverendi!

ARTIUM DOCTRINARUMQUE DOCTORES CONSULTISSIMI, EXPERIENTISSIMI, ACUTISSIMI!

IUVENES LITERARUM STUDIIS OPERAM DANTES EXOPTATISSIMI, PATRIAE SPES, NOSTRA VOLUPTAS!

CIVES DENIQUE ET HOSPITES SUO QUIQUE LOCO HONORANDI!

Haec est profecto rara nostrae aetatis felicitas, ut non tantum disciplinarum et artium, verum etiam Literarum Humaniorum complura praesidia detecta et illustrata sint, quae majoribus incognita et obscura essent. Multa etiam, quae vel difficultatibus vel temporibus neglecta et intermissa jacebant, novo ardore suscepta sunt et profligata. Nova sunt etiam et inexspectata Literarum et Historiarum subsidia allata vel ostensa, quorum vim partim jam animadvertere, partim augurari quodammodo possumus.

Quas

Quam nostrorum temporum fortunam ne exaggerasse videar, mecum reputetis, orientales linguae, eaeque recentiores etiam, quo studio atque ardore, hodie, in patria quoque nostra, a viris doctis excolantur, ut fontem rerum gestarum, disciplinarum, artium et Literarum nobis aperiant, qui huc usque tantum non praeclusus fuerat. Quis non mecum Anglos illos et Francos et Germanos admiratur, qui omni cura et labore id agunt, ut ad antiquissima Asiae et Africae monimenta aditum muniant, qua de re superiores vel ne cogitaverant quidem, vel laboraverant frustra? Nec opus est, ut Francorum in Aegyptum *expeditionem hic* memorem, aut Anglorum *immensum in* India imperium, ut vobis ostendam, quae quantaque nova inde antiquitatis explorandae exstiterint praesidia. Malo vobiscum ex oriente in nostram Europam transire, et eorum merita attingere, qui singulari alacritate atque indefesso labore, rescriptos antiquorum libros e latebrarum tenebris eruere nobisque repraesentare annisi sunt, eo quidem cum exitu, ut haud pauca nobis reddiderint, quae frustra adhuc desidc-

siderata et quaesita fuerant; utque spes affulgeat, ut vel ipsi, vel alii eorum exemplo incitati, nova antiquitatis monimenta detegant, quae nimis diu, eheu! in tenebris latuerunt, vel superstitiosa serioris aevi barbarie jacent suppressa.

Hanc igitur nostri seculi rationem, quoties cogito, nescio quomodo sponte ea se mihi offerunt tempora, quibus seculo XIV. et XV. immortales illi viri exstiterunt, qui humanitatis instauratores recte celebrantur, quique antiquorum nobis Graecorum Romanorumque scripta servarunt, quae sine eorum opera procul dubio maximam partem interiissent. Horum igitur in literas merita cum aetatis nostrae studiis inventisque comparans, quum argumentum, de quo nunc dicerem, mihi quaerendum esset, ab ipsis his viris repetendum illud arbitratus sum. Et quandoquidem in iis Petrarcha, principem locum occupat, neque a persona mea, neque ab hoc loco, humanitati et bonis literis consecrato, alienum duxi, si hunc mihi ejusque in Literas merita, dicendi materiam eligerem. Dicam igitur *de Francisco Petrarcha literarum Humaniorum, seculo XIV. instauratore praecipuo.*

Quod

Quod dum ago, vos rogo A. A. H. H., ut attentas mihi benevolasque mentes praebeatis, non quidem argumenti novitate, vel alicujus meae facultatis exspectatione; sed ipsius materiae suavitate atque momento. — Tantum autem abest, ut tumidam vobis Petrarchae laudationem recitare velim, vel ejus vitam sedulo enarrare, ut, eloquentiae laude spreta, id potius acturus sim, ut ostendam, quibus animi ingeniique dotibus fuerit praeditus, ut melioris rationis auctor esse posset; deinceps vero ejus merita recenseam et vim simul indicem, quam viri praestantia, cum in aequales tum in posteros, habuerit.

Vere Cicero dixit, adolescentiae studia, tanquam in herbis, significare, quae virtutis maturitas et quantae fruges industriae sint futurae (1). In rem praesentem igitur ut veniamus, ipsum continuo Petrarcham contemplari lubet: et vero contemplari juvenem, de quo valuit omnino Caesaris illud de Bruto: '*Hic adolescens quid velit nescio; verum quidquid vult, vult illud vehementer.* (2) Ab infantia enim cupiditate ductus, altum quendam montem in Nemausi vicinitate adscendendi,

non

non quievit, quin consilium perficeret. Quo vero magis sodales dissuadebant, eo acrius cupiditas visendi augebatur. Pastor etiam inter convexa montis ei obvius, quo magis pericula praerupti et invii montis ostendebat, eo alacrius adolescens pertendebat. Verbo nullis periculis, nulla molestia, nulla corporis fatigatione, nullis monitis a proposito deterritus recessit, donec rem perfecisset, Nasonis illud reputans:

„ *Velle parum est, cupias, ut re potia-*
„ *ris oportet.*" (3)

Alio tempore, puer a patre ad Clausae vallem adductus, naturae pulchritudine et loci amoenitate ita fuit commotus, ut ad solum quasi affixus lacrymabundus staret immobilis. Quod quidem spectaculum tantam vim in ejus animum habuit, ut, per totam vitam, ille terrarum ipsi, praeter omnes, angulus rideret, et, ut ipse ait, nullus locus aut plus otii ei tribueret, aut stimulos acriores daret ad magnos labores suscipiendos. (4)

Neque locorum tantum amoenitas, verum etiam quidquid pulcrum et decorum esset,

vi

vi singulari juvenis animum exercebat, ut summo illud ardore amaret et prosequeretur, utque amoris ille et admirationis sensus animum agitaret mentique alacritatem conciliaret atque fervorem, qui sublimia quaeque gignere solet.

Ita Lauram pulcherrimam, illius temporis mulierem, ut primum adspexerat, quemadmodum plures ante eum, ita ipse continuo ejus amore deperibat, sed quod Petrarchae proprium, amor ille non languescebat, etiamsi sibi persuasum haberet, eum omni spe esse destitutum: non torpescebat etiam postquam fatis Laura succubuerat, nec infelix requievit unquam. Ast idem ille amor, eum a vulgi consortio segregavit, et *dux, ut ipse* fatetur, viarum omnium torpenti ingenio calcar admovit ac semisopitum animum excitavit (5). Mox cum sive naturae impulsione, seu parentis hortatu libros Ciceronis in manus sumsisset, (6) ecce quem Sorgiae fons in Clausae valle adeo commoverat: quique Laurae specie captus,

Arsit ut ad magnos pinea taeda Deos;

pari ardore Ciceronem complexus est, cujus lectione satiari non potuit, nec eum minus, quam

ORATIO.

Academiae Rheno-Traiectinae Curatores, Viri Amplissimi! et qui his ab actis es, Vir consultissime!

Artium et disciplinarum Professores Viri Clarissimi, Collegae coniunctissimi! ut et lectores doctissimi!

Quotquot praesentia vestra, hanc solennitatem condecoratis Viri publica auctoritate, Natalium splendore, Doctrinae laude, munerumque dignitate conspicui!

Divinorum oraculorum interpretes doctissimi, reverendi!

 Ar-

„ ille Plato sit, sive Aristoteles, sive Varro,
„ sive Cicero, libera contumacia contemnan-
„ tur omnes (8)." Itaque verum ubique explorans, non in aliorum acquiescebat auctoritate, sed suo semper judicio usus, quod puerum jam se didicisse fatetur, nullius jurabat in verba magistri: nec opinioni, nec sectae, nec homini usque adeo deditus erat, ut abire non posset, veritate comperta (9).

Quod vero saepius in iis videas, qui mutationum vel in rebus publicis, vel in literis et disciplinis, fuere auctores, ut nimio ardore in extrema ruant, omnia subvertant et sibi unice in omnibus sapere videantur; in hoc vitium quominus Petrarcha incideret, prohibuit idem ille acerrimus veri amor cum integritate judicii et moderatione conjunctus: quibus virtutibus ductus, ea tantum mutare et emendare nitebatur, quae perversa et corrupta cognovisset.

Ne vero temere has in eo virtutes laudasse videar, ipsum quaeso audiatis, de Aristotelis scriptis ita disputantem. „Maximum eum, inquit,
„ fuisse scio; sed et extra sciri aliquid posse
„ credo, et antequam Aristoteles scriberet,
« mul-

„ multa aliquos scisse non dubito." Tum Averrois stultitiam notat et perversas perstringit rationes, quare iste Aristotelem omnibus praeferat. Mox ad Platonis et Aristotelis comparationem accedens; „ siquidem," inquit, „ de „ Platone et Aristotele si quaeratur, uter ma„ jor clariorque vir fuerit, non mihi tanta est „ ignorantia, ut tanta de re ausim praecipita„ re sententiam, quae rebus licet parvis conti„ nenda ac libranda est. Difficilis utriusque ae„ stimatio. At si quaeritur uter sit laudatior „ incunctanter expediam. A majoribus Plato, „ Aristoteles laudatur a pluribus, a magnis „ et a multis immo ab omnibus dignus „ *uterque laudari* (10)." Quam moderationem et integritatem judicandi in aliis quoque rebus constanter secutus est (11). Eadem porro illa perspicientia veri et solertia, qua adeo praecellebat in rebus explorandis, eum immunem praestabat a superstitione ista, quae ea aetate, tantum non omnium mentes atra caligine offuscaverat. A quo vitio ita fuit alienus, ut non tantum Arabes astrologos et somniorum interpretes contemneret, anilesque superstitiones rideret; ve-

verum etiam id ageret, ut aliis istum scrupulum evelleret, et in scriptis suis harum rerum vanitatem ostenderet (12). Sed transeo ad alia.

Est haec satis trita nonnullorum hominum vox, quo quis majori valeat ingenii celeritate, ut continuo et acute rerum caussas earumque progressus et quasi antecessiones videat et similitudines comparet, rebusque praesentibus sponte adjungat atque annectat futuras, eo fere minus talem naturam laborum continuatorum assiduitati parem esse atque idoneam. Quam sane vocem non universe veram esse, Petrarcha suo exemplo luculenter comprobavit. Testes mihi sunt ejus libri et carmina, quae plura condidit: ad infinitos illos labores provoco in veterum librorum exemplaribus describendis positos: epistolas cito, quas plurimas scripsit, non vulgares illas, sed quae doctrina et sapientia plenae, magnam quoque vim in ipsam aequalium emendationem habuerunt; sed praeterea animi constantiam illam et patientiam laudo, qua neque amore, neque difficultatibus, neque rebus adversis, neque prospe-

rae

rae fortunae illecebris, neque oblatis honoribus, neque aetate a bonarum Literarum studiis sevocari potuit, ut vere senex scriberet, se *ad omnia* reliqua senescere, sed ad hoc unum juvenescere quotidie. (13)

Amabat solitudinem, cujus laudes et peculiari libello et passim in scriptis celebravit, qua ab hominum frequentia remotus, per noctes atque dies, antiquos scriptores legeret, commentaretur, in usum converteret, scribendo imitaretur, et alios tam eorum auctoritate quam suo exemplo ad meliorem rationem excitaret atque adduceret. Sed solitudini non adeo emancipatus erat, ut eam non *continuo relinqueret*, cum primum intellexisset, se in hominum frequentia sui consilii certius compotem fieri posse, vel magis suis patriaeque prodesse. Ita incredibili laboris constantia antiquorum libros latentes ubivis quaesivit et rimatus est. Hoc consilio per plures terras peregrinatus, nec sumtibus nec periculis pepercit.

Quoties opus erat, amicis et patriae aderat, aderat autem ita, ut omnibus suum ardorem et alacritatem, cum hortando, incitando,

do, laudando, tum reprehendendo impertiret. Quod vero semel susceperat, illud perficere, ita infixum ei inerat, et in alteram quasi naturam conversum, ut mori, potius quam consilio desistere maluisset. Difficultates novos ei addebant stimulos: obstacula ei calcaria erant, quo acrius pertenderet et tandem propositum perficeret.

Quod si quis dicat, gloriae cupiditatem haud minimum apud eum ad plura subeunda et perferenda valuisse, me quidem non prorsus habet dissentientem, modo rite definiatur, quale tandem gloriae illud studium fuerit. Nimirum non illud cernebatur honoribus et magistratibus captandis, quos saepius oblatos deprecatus est; neque eo spectabat, ut imperitis et multitudini placeret; verum consentientem bonorum incorruptam vocem bene judicantium sectabatur Petrarcha, eamque virtuti resonare tanquam imaginem a Cicerone (14) edoctus, tam a bonis viris non repudiandam censebat, cum Horatio (15) suo statuens:

„Aut virtus nomen inane est,
„Aut decus recte petit experiens vir."

Sed

Sed dicentem audire mihi videor: sit ita, ut gloriae illud studium literarium fuerit, nimis tamen ei indulsit, ut vana subinde gloriola delectari videretur. At vero, O bone, tempora nobis et alacris juvenis naturam reputantibus, minus illud mirum sit: et vero nos ita tibi illud largimur, ut ad ipsam viri notationem pertinere velimus, quo verius de eo existimari possit. Utut est; operae pretium est, audire quae senex hac de re Bocatio scripserit; „Laurea illa," inquit, „quam si fuissem maturior non optassem, amant enim ut senes utilia, sic juvenes speciosa, nec respiciunt finem; laurea illa, nil prorsum *scientiae*, *invidiae* autem infinitum attulit. Sic inanis gloriae et juvenilis audaciae poenas dedi." (16)

Quae adhuc de Petrarchae indole et dotibus diximus, A. A. viri haud vulgaris nobis imaginem ostenderunt, a quo praeclara quaeque non tantum sperari, verum etiam exspectari possent. Sed vel sic tamen si hic substitero, vereor, ut suis partibus expletam Petrarchae notationem vobis exhibuerim. Quocirca patiamini, me paulisper etiam in

tanti viri contemplatione vobiscum commorari.

Petrarcha sic et a natura informatus, et a parentibus institutus, et ipse adolescens in hominum celebritate versatus erat, ut aeque alienus esset a dura rusticitate, quam servilem adulationem perosus. Non e libris tantum, sed usu homines eorumque mores perspexerat. Noverat adeundi tempora, diligenter cavens, ne importunitate noceret potius caussae suae quam prodesset. Sed idem libera fiducia usus, quicquid pro literis vel libertate agebat, agebat tempore, agebat accurate, agebat continenter et generoso cum impetu. Quarum quidem rerum, cum reliqua ejus scripta, tum inprimis epistolae nobis locupletissimae testes adsunt.

Ut vero quis alios emendet in novamque viam inducat, haud satis est iis non displicuisse, immo vero persuasione et commotione opus est ad voluntates impellendas quo velis, unde autem velis deducendas. Petrarcha autem, hoc etiam nomine, unus inter omnes excelluit, ut natura ad eloquentiam natus, continuaque veterum lectione nutritus,

ani-

animi sensa et cogitata pleno pectore tamquam perenni fonte effunderet. Ubivis, in libris, in epistolis, in sermonibus dominabatur illud pulchri, boni, veri studium. Suspiciebant omnes viri eloquentiam, sed simul amabant Oratorem, qui, Amphionis instar, omnium animos caperet, teneret et flecteret, quotiescunque vel linguam caussis acueret, vel civium jura tueretur, vel amabile carmen funderet, vel humanitatis instaurator utilissimos libros divulgaret.

Qualem summum virum vobis ob oculos posuimus, talis omnino vivit et spirat etiamnunc in omnibus, quae nobis reliquit, scriptis. *Ubivis* se praestat virum boni et pulchri vehementer amantem; ubivis constantem, candidum, ingenuum. Miramur virum omni metu liberum, principes et reges non minus acriter ad bona consilia incitantem, quam amicos et tenuioris conditionis homines: virum nullius addictum sententiae, semper suum neminique cedentem, quoties virtutis et humanitatis caussam ageret: virum literarum amore ita flagrantem, ut eundem cum aliis communicaret: virum denique

 noc-

noctes atque dies in eo occupatum, ut hominibus exemplo suo et scriptis veram studiorum viam aperiret eosque a perversâ avocaret, quam adhuc sequebantur.

Quoad potui A. A. Petrarchae dotes atque animi virtutes adumbravi. Antea vero quam ad alteram Orationis partem accedo; ut rite de meritis ejus statuatis, paucis tempora notanda videntur, quibus ille natus fuit et adolevit.

Antiquarum igitur literarum seculo XIII. historiam perlustrantibus, tanta ubivis barbaries tantaeque occurrunt tenebrae, ut de humanitate desperans, nihil minus augurere, quam laetissimam rerum conversionem huic seculo subsecuturam.

Constantinopolis, quae diu arx bonarum literarum manserat incolumis, cruciatorum incendiis prostrata, pretiosa illa antiquitatis monimenta igne consumta, calcata, dispersa lugebat, quae adhuc doctorum virorum deliciae fuerant.

Italia ubivis fere bellis et tumultibus lacerata, Bellonae potius cunabula, quam Ciceronis et Horatii patriam referebat. Aderant Academiae, sed pluribus jam abhinc an-

annis, antiquorum Romanorum scripta in iis negligebantur, ut nemo sermonis puritatem et elegantiam cogitaret. Non deërant viri docti, sed perversa doctrinarum studia, liberam mentis agitationem impediebant, et ardentem illum literarum amorem exstinxerant, quo demto, hae vigere non possunt (17).

In reliquis Europae regionibus, quae antea laetam melioris rationis spem ostenderant, tanta denuo barbaries grassabatur, ut vere affirmes, seculum istud omni humanitate destitutum, immo vero, quod ajunt, ferreum fuisse (18).

Hac igitur rerum conditione, literis ubivis spretis, omnes continuo in Philosophiam aliasve disciplinas involabant, quas profiteri cuperent, ut mox in cathedram prodeuntes magno hiatu jactarent:

„ *Cedite Romani scriptores, cedite Graji.*
„ *Nescio quid majus nascitur Iliade.*"

sed eorum doctrina absurda nugarum et inutilium, ne dicam ridicularum, quaestionum congerie unice constabat. Arabum exemplo, Astrologia, Alchymia aliaeque artes ma-

magicae reliquis doctrinis, longe praestantiores esse habebantur, et Averrois auctoritas Delphici oraculi instar erat, in quam barbara et inquinata lingua jurarent. Pauci vero, qui Poëtis et Historicis operam dabant, asellis Arcadicis tardiores esse habebantur, vel quod ipsi Petrarchae (19) quoque accidit, impii et periculosi dicebantur a quibus satis caveri non posset.

Quid mirum igitur, Petrarcham, cum in talium doctorum scholis et scriptis sitim illam cognitionis et veri pulchrique ardorem restinguere vel sedare frustra tentasset (20), pro bonitate ingenii, eos mature deseruisse, et alia praesidia aliosque sibi praeceptores quaesivisse? Hos igitur in obliteratis antiquitatis monimentis nactus est: invenit eos in antiquis Romanorum libris, inprimis invenit in Cicerone, qui puerum jam verborum dulcedine et suavitate ceperat. Cum vero „ (sunt ipsius verba) „ vix testâ effractâ aliquam nu„clei dulcedinem degustasset, nihil unquam „de contingentibus intermisit, paratus „sponte ingenium fraudare, quo Ciceronis „li-

„ libros undique conquireret (21).” — Hoc igitur proposito Italiam non tantum, verum Galliam etiam, Belgium aliasque regiones peragravit, Lynceis ubivis oculis monasteria in urbibus, oppidis, agris perlustrans, si forte quicquam continerent eorum, quae tam cupide quaereret. Quod vero ipse peragere non poterat, illud per alios efficere conatus est, eosque cum pecunia, tum epistolis, tum sermonibus, tum precibus hortatus est et incitavit, ut undique e Germania, ex Hispaniis, e Britannia, e Graecia quoque, antiquorum codicum ipsum compotem facerent (22), ut vere de eo Joannes Vives praedicaverit. „ Franciscus Petrarcha bibliothecas tam diu clausas reseravit primus, *et pulverem situmque e monimentis* maximorum auctorum excussit (23). — Hi autem libri quantopere jacerent neglecti, et quanto igitur labore essent eruendi, ex iis patet, quae sibi Leodii, in patria nostra, accidisse narrat, ubi cum duas Ciceronis orationes reperisset, vix, aut ne vix quidem atramenti aliquid, idque croco simillimum, nancisci potuit, ut eas describendo ex interitu eriperet atque servaret.

Sed

Sed alia etiam difficultas cum hoc conquirendi labore erat conjuncta. Cum enim Monachi desidia, eo tempore, delitescerent, vix idonei et periti librarii inveniri poterant, qui repertos codices rite describerent : quin ipsa seculi barbaries in antiquitatis monimenta adeo grassata erat, ut hominum ignorantia prorsus essent corrupta, ita ut Petrarcha dubitaret, num Cicero si rediret aut Livius sua scripta relegentes intellecturi essent (24).

Quid igitur? Haec etiam obstacula superans, ipse manum operi admovit: ipse Ciceronis libros et Virgilii aliorumque carmina descripsit, ut vel sibi haberet, vel amicis dono offerret, vel per Italiam divulgaret.

Sic igitur primus fuit, qui, barbaro isto seculo, antiquorum libros e morte in vitam revocaret et posteritati traderet, quos nemo, ne vel ipse Petrarcha, si uno tantum seculo postea floruisset, repraesentare nobis potuisset. Nam, ut ipse auctor est, plures Ciceronis aliorumque scripta in adolescentia viderat, in quibus postea iterum

si-

sibi comparandis omnem operam perdidit (25). —

Itaque plures antiquorum libros huic debemus superstites, qui sine ejus amicorumque opera, eandem procul dubio sortem subiissent atque ii, quorum jacturam tantopere lugemus (26). Quodsi forte blattarum tinearumque vim superassent, nisi Petrarcha aliam eorum tractandorum rationem induxisset, adeo fuissent laceri et barbarie inquinati, ut eorum praestantiam nemo perspicere, nec germanam scripturam repraesentare, nec ipsi humanitatis doctores esse potuissent.

Cum his viri meritis, aliud fuit conjunctum, minime hoc loco negligendum, et quod summam vim in Literarum humaniorum rationem ad nostra usque tempora habuit. Qui enim mature e Cicerone suo intellexerat, omnem Literarum florem a Graecis ad Romanos pervenisse, pro singulari, quo valebat, acumine, continuo perspexit arctam esse utrarumque literarum cognationem, ut qui eas separare velit, animi quasi et corporis discidium inducere videatur. At vero deërant libri, deërant, eo tempo-

pore magistri, unde pulcherrimam illam Latini sermonis matrem cognosceret.

Quid igitur? — Cum Graecos ipsorum lingua loquentes audire non posset, interpretationes undecunque sibi comparavit, ut quodammodo certe eorum praestantiam perciperet. Ut vero in Barlami venerat notitiam, quam avide et alacriter eum complexus est, ut, tali duce, ex fontibus tandem hauriret, quod adhuc e rivulis delibare debuisset! Licet autem non satis diu Barlami institutione uti potuerit, ut Graecam linguam perdisceret; vel sic tamen, ab eo inde tempore, fervidum studium summamque diligentiam in Graecis libris conquirendis posuit, quos ubi nactus erat saepius amplectebatur, ac suspirans ajebat. „O magni viri, quam cupide vos audirem (27)!" Et sane Petrarcha et Bocatius primi fuerunt auctores, ut utraque lingua tamquam affinis simul excoleretur, et Graecos libros conquirendi possidendique studium exsisteret, quod licet apud nonnullos in insaniam fere degeneraret, quam maxime tamen Graecis literis excolendis utile fuit (28). — Uterque suis adhortationibus,

Bo-

Boccatius impensâ etiam operâ effecit, ut mox, in Academia Florentina, eae literae publice docerentur (29), quas, paucis ante annis, vix decem in Italia intelligerent (30). Quid, quaeris? Ambo novi fuere ardoris auctores, quo in utramque linguam homines incumberent.

Uni vero Petrarchae hoc proprium fuit, ut Platonem exulem in Italiam revocaret, et amore, quo erga eum ipse flagrabat (31), alios imbueret. Ita Plato Aristoteli fuit oppositus, et ipse Aristoteles Averrois aliorumque sordido pulvere liberatus: uterque inter se comparatus: utrique sua laus tributa, et *nova ita* lux oborta, quae Scholasticorum et semidoctorum noctem ac tenebras dispellens, nova Literarum studiosis spatia aperuit, in quae laeti excurrerent.

Quod excelsi ingenii hominibus proprium esse dicitur, ut totum doctrinarum ambitum perspiciant et complectantur; hoc item habuit, si quis alius, Petrarcha praecipuum. Non unice in Poëtis, sed in prosae quoque orationis scriptoribus curam suam collocavit: non minus Philosophos, quam Histori-

cos

eos adamavit, et Grammaticis aeque atque oratoribus operam dedit. Quod quidem non unice ad laudes Petrarchae referendum esse arbitror; sed ad vim quoque et efficacitatem pertinere censeo, quam ipse in aequales et posteritatem habuerit. Sic enim factum est, ut pari honore et Graeca et Latina, et Poësis et prosa oratio haberentur, nullumque Literarum genus jaceret neglectum, quod ad humanitatem pertineret. Immo vero effecit etiam, ut rite et accurate utraque lingua excoleretur: ut Grammatices et Rhetorices justa ratio haberetur, et quod majus est, uti Socrates primus Philosophiam coëgit de vita et moribus quaerere; ita Petrarcha veteres auctores, optimos illos verae Philosophiae interpretes, humanitatis coëgit lumen per totam Italiam diffundere.

Etiamsi Petrarchae merita, his finibus continerentur, quos adhuc posuimus, quis non lubenter Joanni Bocatio assentiretur affirmanti, eum bonarum literarum studia in Italia et longius Italia excitasse (32)? Sed latius patent A. A. et nullis fere limitibus

cir-

circumscribuntur. Non enim studia illa excitavit tantum; verum novam etiam literarum tractandarum viam indicavit, quam quasi ex alta specula oculos quaquaversus libero prospectu pascens, optimam et brevissimam ad destinatum locum pertinere conspexerat.

Quocirca operae pretium me facturum confido, si breviter exposuero, qua tandem ratione Petrarcha literas tractaverit inque usum cum suum, tum aliorum adhibuerit.

Hoc fuit multorum Seculo XIV. et XV. vitium, ut in antiquis legendis, aut unice rerum rationem haberent, verba et orationem non animadvertentes, aut, qui plurium etiam mos erat, ut res et argumenta librorum parum curantes in verba sola essent intenti, vel etiam unum alterumve ex antiquis sibi tanquam exemplum ad imitandum proponerent, quod unice sequerentur (33). Non ita Petrarcha, qui a servili imitatione alienus, cum antiquis eam familiaritatem contraxerat, ut suo modo eorum rationem exprimeret; non vero scrupulosa religione imitaretur quemquam. (34)

Quod si subinde in ejus scriptis puritatem

tem sermonis desideramus et verbis offendimur, quae recentioris aetatis colorem referant, reputandum, ejus aetate et postea quoque opinionem apud Italos viguisse, Latinum sermonem non minus sibi esse proprium, quam antiquos Romanos suos esse populares crederent. (35) Quoties vero de rebus magni momenti agit, quibus ipsius animus erat commotus, toties ejus oratio tam pure et eleganter fluit, tam item gravis est et vehemens, ut omnes omnino Seculi XIV. et XV. scriptores superaverit, et abunde ostenderit, se antiquos in succum plane et sanguinem redegisse. Cujus rei egregium documentum exstat in nobili illa ad Urbanum V. epistola de sede ecclesiae Avenione Romam transferenda (36). Antiquos legerat et commentatus erat, ut ingenium una cum animo excoleret; sed pulchri venustique sensu ductus, dictionis elegantia et orationis pulchritudo ei simul cordi erant. Antiquorum orationem scribendo cum delectu esse imitandum censebat; sed eos praeterea tractandos docebat tanquam doctrinarum et sapientiae fontes, unde percipi posset, quid

 olim

olim accidisset: quae doctissimorum virorum de maximis rebus fuissent sententiae: quid in singulis disciplinis esset praestitum: qua ratione in rebus inquirendis et exponendis illi fuissent usi: a quibus erroribus esset cavendum: quae omnino ratio ineunda, ut antiquorum vestigiis insistentes regia via ulterius ipsi possemus progredi, eorumque exemplo posteritati prospicere. Neque tamen in eorum effatis acquiescendum docebat, sed, judicio adhibito, justis lancibus examinandum,

„*Quid verum, quid pulchrum, quid utile, quid non.*"

Quae quidem Antiquorum tractandorum ratio quam vim ad inquirendi et investigandi studium excitandum et alendum habuerit, me non monente intelligitis ipsi. Ita homines, scholasticis repagulis remotis, e somno quasi excitati, ipsi inquirere, suam ipsi sententiam libere expromere, ipsi se in cogitandi libertatem exserere potuerunt, unde nova rerum ratio effloruit, cujus Petrarcha merito praecipuus auctor celebratur.

Idem

Idem porro in Antiquis legendis ita versatus est, ut eorum usu animum ad virtutem componeret et mores emendaret, recte statuens, „doctrinam et eruditionem sine virtute et moribus saepius inflare et diruere potius quam aedificare. Fulgida esse, ajebat, vincula laboriosumque negotium ac sonorum pondus animae" (37). „Nec unquam," inquit, „tam gloriae cupidus fui, quod interdum me fuisse non infitior, quin maluerim bonus esse quam doctus" (38). Quamobrem eos demum veros doctores habebat, „quorum prima et ultima cogitatio esset bonum facere auditorem, quique non solum docerent, quid esset virtus aut vitium, praeclarumque illud, hoc fuscum nomen auribus instreperent; sed rerum optimarum amorem, pessimarum vero odium fugamque insererent." (39)

Intelligitis, ut spero A. A. quantopere Petrarchae ratio a superioribus fuerit diversa, et vere me affirmasse, eum novum Literarum stadium aperuisse, unde laeta rerum illa conversio exstitit et literae nostrae rursus humanae factae sunt.

Superest ut videamus, quo tandem modo Pe-

Petrarcha veram illam et germanam literarum excolendarum viam aliis indicaverit et aequalibus persuadere potuerit, ut eam inirent. In quo tamen argumento eo breviores erimus, quo magis vestra diutius abuti patientia nobis religio est. Itaque summatim rem attigisse sufficiat.

Hoc effecit igitur libris scribendis in quibus cum res praeclaras et nobilia facta antiquorum, quae dudum in oblivionem abierant, tamquam nova et inaudita repraesentavit: tum etiam quae Antiqui pulchre et vere cogitaverant et dixerant, collegit eaque ita exposuit, ut placerent et apud lectores plura cognoscendi *alerent* cupiditatem. Magnam item vim habuerunt epistolae, quas alacritatis et ardoris plenas plurimas scripsit ad aequales, ad adolescentes, ad principes, ad tenuiores: sed ita, ut singulae singulorum indoli, conditioni, moribus unice essent accommodatae. Multum denique effecit carminibus suis cum Latinis, tum vernaculis maxime. Quos enim Laurae cantor flebilibus suis modis ceperat, quidni illi *Africae* Poëtam audire averent? et perlectâ *Africâ*, alia ingenii monimenta adire a tanto viro condita? —

ta? Neque tamen unice scriptis suis, sed magis etiam exemplo et sermonibus aetati suae profuit. Vir enim non doctus tantum fuit et eruditus; sed sapiens etiam atque bonus, urbanus idem et placidis moribus omnes bonos alliciens: ut vere Colucius (40) dixerit, eum haud minus bonarum literarum studium virtute sua et sapientia propagasse, quam ingenii dotibus et doctrina iis amicos et admiratores conciliasse.

Quid mirum igitur omnes tantum virum suspexisse, qui mature jam principum virorum amicitiam et amorem sibi conciliâsset? Quid mirum, eum exemplum fuisse habitum, ad quod omnes boni se componerent? Quo vero magis illa viri auctoritas invalesceret, ipsi effecerunt coronae honores, quibus non tantum publice omnium doctissimus declaratus fuerat; sed quibus aliorum etiam animi fuerunt accensi, quorum praecordia e nobiliori luto finxerat Titan. Hi Poëtam laureatum adibant et simul ita praestantissimum Literarum antistitem cognoverunt, qui omnibus praesto esset: omnes flagranti literarum amore imbueret: omnibus viam commonstraret, qua ire oporteret, omni-

nibusque ducem se atque comitem offerret.
Denique Petrarchae exemplum atque aucto-
ritas eo majorem vim in aequales habuerunt,
quod, ut Cato ille, diutissime senex fuit et
in ipsa senectute prae reliquis floruit, donec
septuagenarius libris incumbens mortuus re-
pertus est. (41).

Et vero si temporis angustiae et vires
meae sinerent, lubens in hunc amoenissimum
campum exspatiarer, ut Petrarcham vobis
informarem, non juvenem corona laurea Ro-
mae tempora cinctum; sed senem omnium
laude cumulatum, opusque confectum intuen-
tem, quod ipse inceperat, eundemque nobili
laetitia *exsultantem*, cum totam jam Ita-
liam luce ab ipso accensa videret collustratam,
quae, paucis abhinc lustris, tenebris jacuerat
pressa. Verum me retineo a describendo,
quod sensu melius quam descriptione per-
cipitur. Ut igitur finem orationi imponam, ta-
lis omnino Petrarcha fuit Literarum doctor,
qualem voluisse Ruhnkenium nobis auctor est
Wyttenbachius ille (42): « qui et literarum
« cognitionem ratione teneret et pulchritudi-
« nem sensu perciperet: utramque in lucem
« promeret: in venustiorum hominum princi-

 « pum-

« pumque civitatis virorum consuetudinem pro-
« duceret, ad morum elegantiam referret, ad
« omnem vitae usum conditionemque accom-
« modaret et Socratica ratione popularem
« redderet."

Alteram provinciae partem aggredior, qua mihi prospera atque adversa enarranda sunt, quae, per hunc annum, Academiae nostrae evenerunt.

Quis igitur non mecum statim laetatur, optimum Regem singulari Dei beneficio salvum esse atque incolumem, ejusque auspiciis Academiam, sub meo magistratu, floruisse nec defuisse consilio, quo a Majoribus instituta et a Rege instaurata fuit?

Quis vero amplissimorum Curatorum consessum intuens, non item continuo mecum desiderat virum nobilissimum, Joannem, Fridericum, Guilielmum van Spaen, ut antea Harderovicenae, ita inde ab instaurata Academia, nostrae Trajectinae Curatorem vigilantissimum? Quis non mecum desiderat virum antiqua gen-

gentis prosapia nobilem, gravissimis in Republica honoribus gestis spectabilem; sed eundem singulari urbanitate et officiosa humanitate insignem, curisque suis atque munificentia de Academia nostra optime meritum. Meministis A. A. senem octogenarium, amoenissima villa sua beatum, agriculturae, literis et artibus cum faventem, tum studentem etiam: eumque, superiori quoque anno, huc excurrentem, ut festo nostro interesset, et sua praesentia diei solennitatem augeret. Hunc igitur virum et Academiae et nobilissimae gentis caussa, nobis lugemus ereptum; sed est tamen quo nos solemur, virum tam *diu inter nos* versatum fuissse, et non nisi summa senectute, corpore non animo confectum, ad beatiorum sedes abiisse. Habemus quo nos solemur, cum vos, viri amplissimi! sanos atque incolumes hîc adesse videamus, tibique inprimis, ampl. Beauforti, de restituta valetudine gratulamur, quae nuper afflicta, omnibus bonis curam et metum injecerat. Vos cuncti diu felices vivatis corpore et animo integri, cum patriae tum Academiae utilitatibus et gloriae consulentes.

In

In vestrum, Collegae conjunctissimi! ordinem oculos convertens, non possum quin magnas optimo Deo gratias agam, nullius nobis mortem esse lugendam, easque majores cum plures vestrum morbis gravioribus fuerint correpti. Ita clarissimum de Brueys nobis et Academiae servatum esse perquam gaudemus, speramus autem fore, ut corporis vires magis magisque resarciantur et diu accurata ejus doctrina, patriae atque discipulis prosit. — Oordtium vero senem annis atque doctrina venerandum morbo etiamnunc impediri, quo minus nostro festo intersit, ut magnopere dolemus, gaudemus tamen, metui, quo paucis abhinc mensibus, agitabamur, spem successisse, benevolentissimum virum, sanitati ita restitutum iri, ut aliis, quod semper in votis habuit, utilis, et Deo suo, quem pie colit, gratus vivere possit.

Nec minus dolemus Cl. Heyligers ea valetudine laborare, ut hic adesse, et vero docendi provinciam aliquantisper obire non potuerit. Quodsi Deus nostra vota rata fecerit, dexterrimus hic Chirurgus brevi convalescet et salutarem artem ad summam senec-

nectutem exercebit feliciter. Tuo enim exemplo exercebit Cl. Bleuland, quem dubito, senem dicam an juvenili alacritate virum? senem omnino si annorum numerum attendo, vel discipulorum proventum, qui e tua schola prodierunt; vel doctrinae copiam tuae et maturitatem; juvenem vero, si alacritatem illam video et laboris constantiam, quam omnes in te mirantur, ut nunquam minus te otiosum fuisse dicant, quam hoc ipso tempore, quo honorifico tuo otio frueris. Diu nobiscum etiam vivas, Academiae nostrae ornamentum atque humanitatis.

Haec vestra sit quoque felicitas, collegae conjunctissimi! Cuncti ad summam usque senectutem, animis atque corporibus vigentes, et patriae et literis, et Palladis Trajectinae alumnis prositis, ut prodestis eximie.

Utinam vero vestram, optimi juvenes! coronam perlustrans neminem desiderarem eorum, quos, initio mei magistratus, civibus Academicis accensos, hoc quoque die salutare et hic contueri posse optaveram.

Sed aliter supremo rerum humanarum arbitro placuit. Septem enim Academiae cives lu-

lugemus, immatura nobis morte esse ereptos: Jacobum Verhoef, Adrianum van Epen Middelhoven una cum fratre Michaële, Gerardo, Jacobum, Abrahamum Uytenhage de Mist, Petrum de Rijk, Joannem, Gisbertum Vollebrecht, et nuperrime Georgium, Joannem Klint, quorum alii literarum curriculum vix ingressi, alii longius provecti, alii finem jam spectantes, tristi nobis documento fuerunt, mortem omni aetati esse communem, et vestram inprimis plures mortis casus habere. De singulis hoc loco praedicare, etiamsi temporis angustiae sinerent, supervacaneum foret: vos enim in commilitonibus dijudicandis raro errare soletis. Qua autem caritate dilecta illa capita fueritis amplexi, quo loco optimos illos juvenes habueritis, non tantum *luctûs* indiciis, sed justis etiam, quantum potuistis, exsequiis, ipsi satis indicastis: et vero, ubi opus erat, palam fecistis, luctum *vestrum* vere esse humanum, non magis ad *dolendum*, quam ad consolandum et cognatis liberalitate vestra succurrendum paratum.

Sed a tristibus ad laetiora veniamus. Academia, per hunc annum, et civium numero

auc-

ancta fuit, et, cum moribus longe plurimorum alumnorum ad cultum atque humanitatem compositis, tum industria atque discendi ardore laetissime floruit. Vultisne documenta A. A? Juvenes illos intuemini, quos in eo sum, ut regiis industriae praemiis ornem: quali quoque praemio civis noster Petrus van Galen, hoc item anno, in Academia Leodiensi, dignus fuit judicatus. Legite doctas illas commentationes in variis disciplinarum generibus, ita ab alumnis nostris conscriptas et propugnatas, ut summos eos honores vel in Theologia, vel in Jurisprudentia, vel in arte Medica, vel in Literis, merito suo consecutos esse, omnes fateantur. Testes quoque disputandi sint exercitationes ad ingenium acuendum judiciumque firmandum institutae, quibus plures, hoc anno, ita usi sunt, ut simul eas ad artem perspicue, suaviter et graviter dicendi scribendique accommodarent. — Quod vero ad morum cultum et urbanitatem attinet, hujus rei nudius tertius habuimus documentum musicum, omni probatione dialecticâ majus (43).

Ne-

Neque in prosperis Academiae recensendis praetermittenda doctrinarum in hac Musarum sede adminicula, quae cum aucta fuere et amplificata, tum ad suos usus rite adhibentur.

Locus, chymicis destinatus laboribus et institutionibus, novo instrumentorum apparatu licet hoc anno non auctus, optime tamen docendae et chymicae et arti pharmaceuticae inservit.

In Museo Zoölogico, vertebrata, quae dicuntur, animalia, in aptissimis scriniis disposita sunt. Fuit autem illorum numerus quam maxime auctus, et avibus e locupletissimo Museo Rayano comparatis, et pluribus exemplis, commutatione facta, e museo regio acceptis, quibus scrinia ita sunt repleta, ut pisces bene multi et plurima conchylia, aliaque animalia invertebrata minus commode vel prorsus non exponi possint. His igitur ut congruus brevi locus paretur, quam maxime est optandum.

Museum mineralogicum usibus magis ma-

gis-

gisque inservire et speciminum numero augeri pergit: sunt enim specimina oryctognostica, justo ordine secundum systemata virorum Clarissimorum Hauy et Leonhard disposita, et quae ad Geognosiam pertinent, hoc anno admodum aucta, facili quoque conspectui atque usui adaptata.

Musaei anatomici, quae specimina in descriptione typis descripta, recensentur omnia supersunt integra, quibus Cl. Bleuland quatuordecim nova addidit, exquisita illa et dignissima, quibus locus in hac collectione assignaretur. Praeterea ad comparatae anatomiae partem, accesserunt duo crania, alterum *tigridis* regiae Bengalensis, alterum *panterae leopardi*, et arida eaque anatomica compages piscis rarioris, siluri scilicet glanis. Utrumque autem cranium Bleulandus munificentiae viri nobilissimi van Zuylen van Nyevelt refert acceptum.

Nosocomium etiam Suermanni et Wolterbeekii cura Medicinae studiosis, egregias opportunitates praebet, in arte salutari, qua late patet, exercenda pericula faciendi. Quo magis Cl. Medici sperant, fore, ut brevi ipsum aedi-

dificium, in quo aegroti ab Academiae Doctoribus curantur, ad hodiernam artis rationem accommodetur.

Hortus Botanicus nulla, hoc anno, cepit detrimenta et continenter plantarum seminum numero augetur, commutandis maxime nostris cum alienis, quae sive in patria seu alibi, ut in horto Parisiensi, Bonensi et Monasteriensi habentur.

Astronomorum specula apta et pretioso instrumentorum apparatu instructa, accuratae et promtae siderum contemplationi inservit egregie.

Physicorum vero instrumentorum apparatus, ut admodum locuples, quotannis augetur et brevi augebitur insigniter munificentiâ illa, qua nuper hujus urbis magistratus Mollio nostro fecere potestatem, ipsorum sumtibus nova comparandi: qua quidem munificentia, Vir Cl. non nisi partim adhuc usus est, recte statuens, non nisi ea acquirenda, quae tanta liberalitate digna sint ejusque monimenta perpetua.

Aucta denuo Bibliotheca est praestantium librorum subsidiis, et quo ejus usus facilior

lior efficiatur, catalogus secundum literarum ordinem digestus, typis exprimi coeptus est.

Denique non possum, quin amplissimo hujus urbis Consuli gratias agam, qui omni cura id agit, ut, in suo magistratu urbano, istiusmodi efficiantur et constituantur negotia, quae Academiae utilia, novis documentis palam faciant, urbis Rheno-Trajectinae magistratibus, cordi esse nostrae Academiae florem atque utilitatem.

Tempus vocat et vero animus gestit, ut suavissimam hodiernae provinciae partem expleam et *Regis nomine*, praemia tradam, quae a disciplinarum ordinibus, in certamine literario victoribus addicta sunt. Vos igitur generosissimi juvenes! veram gloriae viam estis secuti, quam modo Petrarchae exemplo indicavi. Difficilis nonnullis victoria fuit; sed eo nobilior, quo animosiores fortioresque adversarii fuerunt, qui vobis palmam praeripere niterentur. Verum ipsi audiatis quid singuli ordines de exitu certaminis instituti referant.

Or-

Ordinis Literarii judicium hujus est argumenti:

Quamvis sex acceperimus responsa ad quaestionem, anno superiore, a nostro ordine propositam de sublimi tempestatis descriptione, quae Psalmo XXIX. continetur: quamvis etiam hae commentationes singulae suas habeant laudes; haud difficile erat judicatu, esse inter eas, quae cum aemulis suis comparatae, de palma minus feliciter contenderent. Omnium ergo minima visa est disputatio, quae ad nos pervenit ordine tertia, Feithii verbis insignita: *Hij schoot zijn pijlen uit* rell. Ejus praefatio aliquam prae se fert historiam literariam interpretationis, quae Psalmo XXIX. obtigit, sed et mancam illam neque cum quaestionis consilio convenientem. Explicatio carminis partim satis bona est, melior saltem, quam separatae animadversiones: Latina autem dictio minus proba ac subinde sordida.

Aliquanto commendabilior est disputatio prima, cui symbolum: *Feci, quae potui*, quae

quae magnam habet impensi laboris laudem; sed minutam fere demonstrat in parte critica sedulitatem. Caret concinnitate ac permulta continet a proposito aliena. Latinitas haud mala quidem est universe, nec tamen ubivis aeque laudabilis.

Majorem habet dictionis bonitatem commentatio quinta, cui sententia adscripta: Διώκω δ' εἰ καταλάβω; sed judicii laudem haud adeo magnam. In observationibus, quas praemisit auctor, non satis convenienter rerum tractandarum naturae; de Davidis vita atque indole disseruit; in locorum autem situ describendo docte magis quam apte disputavit. In carminis denique explicatione laudabilem diligentiam nobis probavit, licet optimis, quae suppetebant, subsidiis non satis usus sit.

Tribus hisce disputationibus, longe excellit sexta, hoc lemmate distincta: *Monte decurrens velut amnis* rell., quae si operis amplitudine aestimetur ut et dictionis bonitate atque elegantia, ceteris omnibus praestabilior censenda sit. Sed nimia est auctoris in disserendo ubertas et luxuries. Bene ille respondit ad quaestionem propo-

si-

sitam, verumtamen in perquam laudabili responso, modum non tenuit et plerumque nimis divagatus est. Excursus habet quam plurimos, qui, si scorsim spectentur, singuli magnam probant eximiamque ingenii praestantiam, sed si quaestionis propositum attendatur, non satis idonei sunt aut opportuni.

Omnium vero commentationum optimae visae sunt secunda et quarta, quarum illa Pauli verbis inscripta: καλὸν δὲ τὸ ζηλοῦσθαι ἐν καλῷ: haec autem Quinctiliani illis: *quare fructum studiorum* rel. In utraque enim cernitur lucidus ordo, quamvis diversus. In utraque elucet et non vulgare judicium, et magna industria, et singularis quaedam Poëseos ac linguae Hebraicae peritia. Ab utroque auctore prudenter, etsi modo nonnihil dissimili, idonea subsidia adhibita sunt, et utriusque dictio universe bona. Si quid vero animadvertendum est; discriminis, secundae disputationis auctor, mira quadam grataque se commendat simplicitate; et, qui alteram confecit, aliqua saepe eminet elegantia et tali ingenii luxurie, qualis

ibi

ibi quoque admodum placet, ubi auctoris sententiam minus probandam esse arbitreris. Quapropter, cum alterutri auctori injuria fieri judicaretur, cui praemium negaretur lege propositum, sic placuit ordini, ut par utrique *honor* tribueretur, illi vero traderetur *praemium*, cui sortium fortuna favisset. Proximum autem huic honori locum offerendum esse commentationis sextae auctori censuimus. Quod ut decrevimus, secundae commentationis auctorem se nobis probavit Leonardus, Jacobus, Fridericus Janssen: quartae Joannes, Everardus de Voogt: sextae Gerardus Molenkamp, qui singuli sunt *Theologiae in Acad.* Rheno-Trajectina *Studiosi.* Ei autem, quem primo loco memoravimus aureum praemium sortiendo contigit.

Vos igitur huc simul escendite optimi Janssen et de Voogt! Vos enim ambos victores laeto animo renunciavi, et duo item praemia habeo, sed unum auro, alterum charta constans. Verum par utrique honos; honos autem auro censetur nec charta. Macti potius vestra *virtute* sitis et meritis. Alteri vestrum aureum hocce, alteri hoc charta-

ceum porrigo praemium: neutri vero *materies* spectanda praemii: ad ipsum praemium attendendum est, progressuum vestrorum meritorumque documentum.

Neque tu, dilectissime Molenkamp! hinc inornatus abibis. Audivisti ordinis Literarii de tua commentatione Judicium et in eo te fuisse, ut palmam caperes. Hoc igitur instrumento, quod tibi publice trado, aliis ita sis commendatus, ut nos dudum te spectatum dileximus discipulum.

Ordinis Theologici Judicium ita se habet:

Theologorum ordo certamen indixerat literarium, quo „de lege sive consuetudine quaerebatur, qua in reformatis Belgii ecclesiis, jubentur antistites identidem, instante sacrae coenae celebratione, singulos sodales in eorum aedibus convenire, ad sacrum epulum invitare et de usu ejus legitimo monere." Ad quam quaestionem unam tantum accepit commentatationem, quae symbolum adscriptum habet: *Historia sapientiae magistra:* quam disputationem aureo praemio conde-

co-

corandam esse censuerunt Theologi, cujusque auctorem, resignata scidula et disquisitione rite instituta, declararunt, Guilielmum, Christianum, Slingerland Conradi Theol. in Acad. Rheno-Trajectina Studiosum.

Itaque tu ornatissime Conradi! praemium tibi addictum accipe et quemadmodum hodie te dignissimum praestitisti Theologiae Studiosum, ita aliquando sis Ecclesiae Christianae ornamentum.

Jureconsultorum judicium his verbis est conceptum:

Ad anno 1827 ab ordine J. ctorum propositam de *dote* et jure dotium apud Romanos *historicam* disquisitionem, tres oblatae sunt commentationes. Prima distinguebatur hoc dicto: *Sperare licet timenti;* quae disquisitio multa praebet diligentiae et et jurisperitiae indicia, quibus ejus scriptor se ordini J. ctorum, reddidit commendatissimum; sed cum in aliis, tum in historica inprimis disquisitione inferior est aemulis, neque etiam scriptori ordo rerum tractandarum, quem secutus est, valde prodest. —

Duarum reliquarum, altera commentatio his erat verbis inscripta: *Dos est magna parentium virtus:* altera: *Dotium caussa semper* rell. Binae hae commentationes placuerunt ordini universe; sed neutra potuit probari omni numero perfecta: quin difficillimum videbatur judicatu, utra esset alteri praeferenda: quae enim ordo animadverteret, vel in utraque inveniebantur paria, praecipue in rerum tractandarum defectu et fontibus non consultis ad argumentum utilibus, vel in dispari utriusque merito. Laus uni inprimis tribuenda in nonnullis, multum imminuebatur praestantia eorum, quae in aliis partibus in altera disquisitione habebantur meliora. — Cum ergo videretur, cuique eorum, si concertatorem neuter habuisset, praemium tribui posse, utrumque laudibus et meritis parem judicavit ordo J. ctorum.

Apertis scidulis prioris disquisitionis auctor apparuit, Guilielmus van Lynden Juris in Acad. Rheno-Trajectina Candidatus; alterius vero, Adrianus, Hendricus van der Kemp, Juris in Acad. Lugduno-Batava Candidatus. Ducta sorte praemium cessit priori,

ri, secundo vero paris honoris testimonium dandum censuit J. ctorum ordo. Uterque inquisitione instituta, suae se commentationis auctorem esse abunde probavit.

Vos item ambo accedatis praestantissimi juvenes! Utinam, vestro exemplo, semper non nisi studiorum et veri honoris concertatio inter nostrarum Academiarum cives obtineat. Simul stadium estis ingressi et simul pervenistis ad calcem. Uterque igitur victor; utrique par habendus honos: et vero parem utrique tribuimus; cujus judicii, tibi, dilecte Lyndeni! numus ille aureus: tibi vero ornatissime van der Kemp, charta illa, auri instar habenda, documento esto.

Vix praemia distribui, et ecce novorum reportandorum omnibus offertur opportunitas. Denuo enim vobis proponuntur quaestiones, ad quas si rite responderitis, idem vos manebit honos, quo commilitones jam videtis ornatos. Has igitur quaestiones jam vobis recitabo..

QUAE-

Quaestio Mechanica.

Exponantur atque exemplis illustrentur methodi, quibus linearum, superficierum, atque corporum centra gravitatis calculo definiantur.

Quaestio Chymico-Oeconomica.

Quaeritur Analysis Chymica comparata carnis bovinae, vitulinae, ovinae et porcinae, ut inde efficiatur, quaenam praecepta in singulis his carnibus, sive integris, sive illarum extracto, diu, atque etiam per itinera longa, conservandis, sequenda.

Quaestio Theologica.

Probetur, doctrinam *Christianam*, cum sanae *rationis* de Deo rebusque divinis decreta pure traderet, divina auctoritate confirmaret, varia ratione illustraret, ad homines consolandos emendandosque adhiberet, at-

atque ad permultorum notitiam propagaret; et *Theologiae*, quae dicitur, *Naturali* valde profuisse, et vero de genere humano, hoc quoque nomine, optime meruisse.

Quaestio Juridica.

Quaeritur, qua ratione fiat, ut secundum Naturae jus, ex pacto, nulla accedente praestatione, jus et obligatio perfecta oriantur.

Ad quam quaestionem ita respondeatur, ut, paucis ante declarata pacti natura, tum praecipua scriptorum de hac juris et obligationis perfectae caussa et fundamento sententiae explicentur et disquirantur, ac tandem, quid verius videatur argumentis probabilibus doceatur.

Quaestio Medica.

Succincte enarrentur praecipua Recentiorum experimenta Cl. Bell, Magendie, Eschricht, Schöps et Bellingeri de actione nervi Olfactorii, Trigemini et Facialis, nec non de utriusque radicis nervorum spinalium officio, ut denique e disputa-

ta-

tatis concludatur, quaenam probabiliter sit actio horum nervorum.

QUAESTIO LITERARIA.

Disputatio de Platonis Phaedone, qua primum sermones Socratis cum amicis breviter, sed tamen apte et ex dialogi ratione enarrentur: tum petantur inde et explicentur, quae ad animi immortalitatem probandam prolata sunt argumenta: tandem quae sit eorum argumentorum in *Philosophia theoretica* vis et auctoritas, efficiatur.

His solennibus peractis, unum superest, ut Academiae magistratum in successorem conferam, qui mihi Regis decreto datus est. Itaque, te Cl. Kops! hujus Academiae Rectorem, in proximum annum, dico, renuncio, proclamo. Tu igitur, Vir magnifice! hunc tibi destinatum locum occupa, et honorifico tuo munere tam feliciter fungere, ut illud de-

depositurus, quae ego hodie, eadem tu quoque profiteri possis, fasces nullam habuisse molestiam et, te Rectore, Academiam Rheno-Trajectinam laete floruisse.

Ita faxit Deus Optimus Maximus!

ANNOTATIO AD ORATIONEM.

(1) In Oratione pro M. Coelio, c. 31.

(2) Vid. Plutarchus in Bruto, p. 986. D.

(3) Vid. Petrarchae Epist. de rebus familiaribus, IV. 1. Opp. p. 624. Edit. Basiliensis. anni 1581.

(4) De rebus famil. Epp. VIII. 3. p. 692.

(5) De contemtu mundi, p. 355.

(6) Rerum senilium, XV. 1. p. 948.

(7) De rebus famil. Epist. III. 18. et Epist. ad viros illustres, p. 708.

(8) De rebus famil. Epist. VI. 2. p. 657.

(9) De rebus famil. IV. 10. p. 637.

(10) De ignorantia sui, p. 1052.

(11) Ibidem.

(12) Rerum senil. I. 6. et VIII. 8. p. 747 et 843.

(13) Rerum senil. XIII. p. 937.

(14) Tusc. Quaest. III. 2.

(15)

(15) Epist. I. 17. 41.

(16) Rerum senil. XVI. 2. p. 967. et de contemtu mundi, p. 357.

(17) De rebus famil. Epist. I. 6, p. 579.

(18) Vid. Leibnitius in introd. in scriptores Brunsv. §. 63.

(19) Vid. Petrarcha de rebus fam. Epp. I. 6. 9. 11. p. 579. 584. 585. et §. V. 11. et 12. p. 650.

(20) Vid. Rerum senil. XV. 1. p. 946 et 947.

(21) Vid. Rerum senil l. l.

(22) Vid. Rerum senil. l. c. p. 948.

(23) Operum II. p. 482.

(24) Vid. Petrarcha apud Mehum, p. 292.

(25) E. g. M. Terentii Varronis, et Ciceronis librum de Gloria.

(26) Vid. *Epistolae* ad viros illustres, p. 705.

(27) Vid. Rerum senil. VI. 2. p. 807. et in primis Variarum Epistolarum, ep. 20. p. 999.

(28) Vid. de remediis utriusque fortunae dial. 43. p. 42.

(29) Vid. Bocatius de Genealogia Deorum XV. 7. p. 392. edit. Basil. a. 1532.

(30) Vid. Petrarcha apud de Sade in opere, cui titulus est: Memoires pour la vie de François Petrarque II. p. 627.

(31) Vid. Variarum Epist. l. l. p. 999.

(32) Vid. Petrarchae opera, p. 966.

(33)

(33) Vid. Joannes Vives de caussa corruptae Art. IV. p. 401. quem citat Meinersius in libro, qui inscribitur: Historische Vergleichung der Sitten rell. III. p. 122.

(34) Vid. Petrarcha de ignorantia sui, p. 1054.

(35) Vid. Meiners loco citato, III. 128.

(36) Vid. Petrarcha de rebus sen. VII. 1. p. 811.

(37) In libro de ignorantia sui, p. 1039.

(38) Ibidem.

(39) Loco citato, p. 1052.

(40) Vid. Colucii Epist. Vol. II. p. 51.

(41) Vid. Guinguené Hist. Liter. Vol. II. p. 432.

(42) In vita Davidis Ruhnkenii, p. 90.

(43) Die 24° m. Martii A° 1828. complures nostrae Academiae alumni festum musicum celebrarunt quinquennale: ad quod cum praeter praeceptores, civium etiam et inprimis matronarum puellarumque florem invitassent; cuncti dubii haeserunt, utrum magis concentus musici praestantiam, an pulchri sensum et elegantiam interiore odei dispositione atque ornatu spectabilem, an vero urbanam iuvenum humanitatem laudarent, qui in hujus festi celebratione germanos se Minervae atque Apollinis cultores praestitissent.

LEONARDI JOANNIS FREDERICI JANSSEN,

IN ACAD. RHENO-TRAJECT.

LITT. HUM. CAND. ET THEOL. STUD.,

RESPONSIO

AD

QUAESTIONEM LITERARIAM,

AB ORDINE

PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM PROPOSITAM:

„ *Ita exponatur magnifica vehementissimae tempes-*
„ *tatis descriptio, quae* Psalmo XXIX. *continetur,*
„ *ut Hebraicae et Linguae et Poëseos idonea habea-*
„ *tur ratio, utque situs locorum, quantum opus*
„ *sit, et componendi carminis opportunitas atten-*
„ *dantur.*"

Quae, pariter ac JOANNIS EVERARDI DE VOOGT ad eandem quaestionem responsio, praemio digna judicata, sortibus jactis, aureum reportavit nummum.

καλὸν δὲ τὸ ζηλοῦσθαι ἐν καλῷ.

PAULUS.

PRAEFATIO.

Poësis Hebraeorum quantopere a nostra poë-si differat, in linguae, morum, cultusque dis-crimine observare licet. Hebraei enim, alia tem-pora viventes, aliam cogitandi, sentiendi sensa-que *exprimendi* rationem sequebantur. Alia coeli aërisque temperies, alia regionis facies sensibus eorum obversabatur; aliae religionis notitiae animis eorum erant infixae. Affectibus etiam agitabantur vehementioribus, atque vivi-diore gaudebant phantasiae vi. Hinc quod poë-seos Hebraicae indoles et forma a nostra lon-gissime distant. — Et tamen nescio, quam vehe-menter nos capiant divina illa Hebraeorum car-mina; qua sancta voluptate nos afficiat simplex quidem et rudior illa, sed vitae integra, sed

 sin-

ſincera, ſublimibusque ſenſibus inſtructa ipſorum Muſa!

Si quam unquam, Hebraeorum ſane poëſin, Deum inter et homines habeamus oportet coelestem quaſi internuntiam. Verſatur nimirum in rebus ſive divinis ſive humanis eo modo celebrandis, quo coelum conjungit et terram.

Nam, cum Deum celebrat omnium rerum potentisſimum dominum ac moderatorem, eo ipſo celebrando, hominem ad Deum facile adducit.

Cumque rerum ſeu phaenomenorum terrestrium laudes extollit, altius ascendit, ipſumque hominem ſupra mortalia potest evehere. Quam majestatem frustra quaesieris in aliarum gentium antiquarum poëſi.

Hanc autem ſublimitatem ea maxime Hebraeorum carmina ſpirant, quae in magnificis rerum naturae ſpectaculis depingendis verſantur. Iis enim carminibus poëtae elatos illos omnes infuderunt ſenſus, quibus ipſi intus calescebant et commovebantur.

Atque haec nobis reputantibus, et Jobeidis auctor et Davides animum ſubeunt inprimis; quorum carmina hujus generis ſi perpendimus, necesſe est confiteamur:

Est Deus in nobis, agitante calescimus illo!

In

In hisce autem carminibus divinum illud eo sentimus facilius, quod naturae illa spectacula etiam nunc nostris sensibus patent. Sublimitatis sensus in nostra inest natura! Hinc dulce est vinculum, quo cum iis ipsis carminibus copulamur; ut cum poëtis velut concinere gestiamus. Hoc si quo alio, tum eo maxime tempore expertus sum, quo eximium illud Davidis carmen proxime lustrare studui, quod versatur in omnium gravissimo naturae spectaculo celebrando.

Nobilissima enim Facultas Literaria Rheno-Trajectina me hac Quaestione ad decurrendum propositum spatium allicuerat;

„ Ita exponatur magnifica vehementissi-
„ mae tempestatis descriptio, quae *Psalmo*
„ XXIX. continetur, ut Hebraicae et Lin-
„ guae et Poëseos idonea habeatur ratio,
„ utque situs locorum, quantum opus sit,
„ et componendi carminis opportunitas at-
„ tendantur."

Ecquis tiro vocibus Magistrorum leniter adhortantium obstreperet? Ecquis juvenis studia animi sui abjuraret dilecta? Quis sibi ipse suavissima oblectamenta, uberrimosque et utilissimos eriperet fructus? Quae cum exspectare

re auctus fuissem, uberiora jam inde in me emolumenta redundasse, summopere laetor.

In respondendo autem simplicissime procedere cupiens, eam fere viam secutus sum, quam ipsa Quaestionis indoles ostendere videbatur; ut primum Linguae, tum Poëseos rationem haberem; in priore autem parte opportunitatem quoque componendi carminis, atque locorum, quantum opus videretur, situm attenderem: in altera parte poëticas carminis virtutes enucleare, ipsamque adeo tempestatis descriptionem exponere conarer.

Quae quomodo mihi successerint, penes Vos esto judicium, Viri Clarissime!

CAR-

CARMINIS COMPONENDI OPPORTUNITAS.

In vetustis Hebraicae poëseos monumentis tractandis, omnium prima nobis quaestio occurrit de opportunitate, qua fuerint composita. Neque haec quaestio semper, ob summam carminum antiquitatem, documentorumque historicorum penuriam, facilis explicatu est. Attamen eo magis attendenda est eadem, quo plus lucis ex opportunitate, sive certo seu probabiliter constituta, in carminum redundat intelligentiam. Et in iis quidem carminibus, quae generalia argumenta continent, parum refert plerumque, utrum eorum opportunitatem definite detegere queamus, nec ne (1). Quorum vero indoles plane singularis est, et quibus praesens poëtarum conditio ansam dedisse videtur, in eorum opportunitatem tanto diligentius inquirendum est, quan-

(1) Cujus generis exemplum est Psalmus I.

quanto constat certius, hujus opportunitatis cognitionem ad bene percipiendas carminum dictiones atque imagines, totamque eorum rationem recte intelligendum summopere conducere.

Huic carminum generi cum nostrum videatur annumerandum, omni studio nitamur necesse est, ut, quoad ejus fieri possit, componendi carminis opportunitatem rite constituamus.

Quandoquidem vero in hocce carmine, aeque atque in aliis pluribus, testimonium historicum desideratur ad eam opportunitatem reperiundam, nihil aliud suppetit, nisi ut ipsum carmen accurate inspiciamus, ex eoque quid probabiliter hac in caussa colligi possit, sedulo indagemus.

Continet nimirum, quod ex tota carminis ratione luculenter patet, descriptionem tempestatis vehementissimae. Hujusmodi ergo tempestatem, *qualis* in carmine describitur, carminis ipsius conficiendi primariam ansam dedisse, nulli dubitamus. Descriptionem enim neque fictam neque allegoricam esse, facile colligitur, cum ex naturali ordine quo procedit tempestatis descriptio, tum ex accurata ejusdem repraesentatione, maxime autem ex valde commoto, cum eam depingebat Poëta, animo.

Quod igitur ad ordinem descriptionis attinet; cetera enim clarius infra patebunt: attendi cupi-

pimus ad tempestatis cursum atque vehementiam.

Ex Mari Mediterraneo exoritur ea; super hoc enim mare horrendo modo primum intonat (1); Libanum petit deinceps, in quem montem gravissime saevit (2); ac tandem, cum fulminibus imbribusque conjuncta, ad austrum Palaestinae proficiscitur; Arabiae deserto stragem illatura maximam (3).

Ex quibus efficimus, tempestatis hujus cursum cum situ regionis prorsus convenire. Et constat quoque, hujusmodi via tempestates procedere Palaestinenses.

Imbres enim, qui cum tempestatibus plerumque sunt conjuncti (4), e Mari Mediterraneo in Palaestinam ingruunt (5). Quod documento est, ab hacce regionis parte tempestates oriri solere (6).

Immo vero ipsas tempestates semper a Maris Mediterranei partibus procedere, Volneyus diserte affirmavit (7).

Quod

(1) Vs. 3 et 4. (2) Vs. 5 et 6. (3) Vs. 7 et 8.

(4) Vid. Volney, *Itin.* Vol. I. p. 329 et 330. edit. V. „ Gall. cette association perpetuelle des nuages au tonnère."

(5) Vid. 1 *Reg.* XVIII. 44 et 45. *Luc.* XII. 54.

(6) Vid. Harmer, *Observ. de Oriente. Edit. Belg.* Vol. I. p. 12 et 63. et J. H. Pareau V. Cl. *Antiq. Hebr.* p. 62. §. 3.

(7) *Itin.* l. I. p. 328 et 329. „ Le tonnère — il est „ en-

Quod autem ad tempestatis descriptae vehementiam attinet, haec nihil profecto habere censenda est, quod modum excedat, si Palaestinensium tempestatum cogitemus impetum; quem gravissimum esse, sacri et exteri scriptores testimoniis suis satis demonstrarunt. Sic Willermus *Tyrensis* (1) hanc vim tempestatum vividissime expressit, cum nubes ait, atque ventos, et tonitrua fulminaque continua, tam graves fudisse imbres, ut, si quando homines iis plane obruerentur, vix quemquam superstitem fore putaret. — Eadem ratione Muhammedes de tempestatibus, quales in Arabia, Palaestinae proxima, esse solent, locutus est, cum diceret: „ Homines digitos suos in auribus ponunt propter tonitruum fragores metu mortis; tantaque est fulgurum vis, ut parum absit, quin visum luminaque mortalium auferant (2)."

Non itaque mirum videri potest, Davidem, in rerum natura depingenda admirabilem Poëtam, hor-

„ encore remarquable qu'il ne vient jamais des par-
„ ties du continent; mais de celles de la Mer: c'est tou-
„ jours de la Mediterranée que les orages arrivent sur
„ le Delta et la Syrie."

(1) *Gesta Dei per Francos*, p. 849.

(2) *Cor.* II. 18, 19. Vid. C. B. Michaëlis in Pottii *Commentt. theolog.* P. III. p. 46 sqq.

horribile hujusmodi spectaculum naturae carmine celebrasse; cujus spectaculi vim eum persensisse, cuique carmen legenti facile patebit.

Qua vero vitae aetate hanc tempestatem descripserit, accurate definiri non potest. Videtur ad virilem jam accessisse aetatem, regiaque majestate potitus fuisse. Sensuum enim hujus carminis gravitas atque majestas huic ejus aetati optime congruunt. (1)

At regia demum majestate accepta recte Principes adhortari potuit (vs. 1 et 2.) ut Jehovam venerarentur; prouti Israëliticas tribus admonebat, eadem fere formula usus 1 *Chronic.* XVI. 28, 29: quo quidem tempore regia potestate jam erat ornatus.

Quo autem anni tempore acciderit haecce tempestas, etiamsi esset cognitum, nostra non magni interesset. Hoc saltem affirmari potest, rarissime in Palaestina tempestates obtinere media aestate, hieme vero et redeunte vere, omnium creberrime. (2)

Quod

(1) Cf. Muntinghe, *Bibl. Hist. hum.* Vol. VI. p. 45. „ Toen hij den troon beftegen had — namen (zijne gedichten) doorgaands meer van den toon der hooge Ode aan."

(2) Cf. Volney, *Op. Cit.*, Vol. I. p. 345. et Pareau, V. Cl. in *Antiq. Hebr. descript.* p. 63.

Quod ad locum attinet, in quo carmen hocce composuerit Poëta, de eo non satis constat.

Est conjectura, ex qua Davides praesens fuerit in Aede sacra, cum ea oriretur tempestas; atque, dum Levitae et Sacerdotes sacris suis muneribus fungebantur, ita permoveretur, ut media in tempestate hocce carmen composuerit.

Est alia, quae Davidem non quidem in Aede sacra, sed in loco quodam prope Hierosolymam fuisse censet, ubi libere tempestatem contemplatus et ita affectus fuerit atque agitatus, ut statim, pleno de animo, hos versus effuderit.

Quod ad priorem attinet conjecturam; haec primo obtutu satis videatur commendabilis, et originem forte duxisse ex *versus primi* vocabulis בני־אלים — *filii Principum:* quibus cl. Palmius Levitarum et Sacerdotum Principes intelligit (1). Id maxime efficere studuit e verbis *vestitus sanctus* (vs. 2.), quo Levitae et Sacerdotes erant induti. Cumque sacri hi ministri quotidie fuerint in Sanctuario, sua munera obeuntes, Davides fingi possit eos saeviente tempestate in illo loco alloqui; inprimis cum vs. 8. canit:

„ Dum

(1) Vid. ejus opusculum: *Eenige liederen van David* etc. p. 28. Lugd. Bat. 1815.

„ *Dum in ipſius templo quisque dicit: gloria!*"

Verum enimvero ipſis vocábulis בני־אלים, de quibus infra agendi locus erit, Sacerdotes et Levitae non videntur innui.

Veſtitus autem *ſanctus*, quo induti Jehovam adorare jubentur *Principes*, apte quidem in Levitas et Sacerdotes quadrat (1); magis vero carminis laudi conſulere nobis videmur, ſi haec verba de *Proceribus quibuscunque Israëlitarum*, ſive *tribuum Principibus*, dicta cenſeamus, quibus ceteroquin *veſtitus ſanctus* non erat proprius. Sic vero demum ſumma vis erit in tota allocutione, ſi *Principes illi* dicantur, ſacerdotum ad inſtar, *Jehovam in ſancto veſtitu venerari:* dum contra Poëta *Levitas et Sacerdotes*, illo ſemper veſtitu utentes, minus apte ea *formula* allocutus fuisſet. Atque hoc inde etiam videtur magis probabile, quod in locis parallelis, ſimilique contexta oratione, formula eadem metaphorica *populi tribus* (2), *ipſeque populus* ad Deum venerandum excitantur (3).

Neque ſane negligenda est haec carminis ipſius ratio, quae inprimis favet noſtrae ſententiae. Vix

(1) Vid. 2 *Chron.* XX. 21. coll. *Exod.* XL. 13.
(2) 1 *Chron.* XVI. 28, 29. coll. *Pſ.* XCVI. 7-9.
(3) *Pſ.* CX. 3.

Vix enim efficacior esse potest oppositio, quam qua *Principes* opponuntur *Jehovae*, omnium *summo Principi*; quem ut venerabundi in sancto vestitu adorent, *Principes terrestres* graviter admonentur. Quae quidem oppositio vel exigua vel nulla esse videatur, si Levitae intelligantur atque Sacerdotes, sacro Jehovae ministerio semper dicati. Si autem Davides fingeretur in Aede sacra fuisse, cum hocce carmen componeret, nescio an ipsum Sanctuarii nomen, cum pronomine illo conjunctum (vs. 8.), langueat quodammodo:

Dum in ipsius sanctuario quisque dicit: gloria!

Atque tum etiam Poëta his ipsis verbis rem narrasset haud valde novam ac memorabilem. Si ipse in aede sacra praesens fuisset, multo dixisset efficacius:

Dum hi omnes — in hoc *sanctuario*, *cet.*

Nunc vero remotius esse videtur: *dum in ipsius Aede sacra quisque dicit: gloria* (1)! Praeterea

(1) Neque hoc versu Davides aliquam ministrorum sacrorum mentionem fecit; itaque ex eo efficere non possumus, eum Sacerdotes et Levitas alloqui.

ac Sanctuarii parietibus circumcirca incluſus, atque in ſaeviente tempeſtate (1), nimis fuiſſet diſtractus Poëta, quam ut hoc ipſo in loco tales verſus effunderet, et hoc ipſo tempeſtatis tempore tempeſtatem deſcriberet (2).

Ignoſcatur, me hic longius exſpatiatum eſſe; etenim ſummae opinionis dignitas utrique reverenda tamdiu me detinuerunt.

Altera, quam attulimus, conjectura majori veri ſimilitudine ſe commendat, dummodo ita accipiatur, *ut* certo definitus locus, in quo fuerit Poëta, non conſtituatur; ſed hunc aliquando media in tempeſtate haud procul ab Hieroſolymis fuiſſe remotum, opinamur, ubi totum ejus curſum libere contemplari, ejusque vehementiam perſentire potuerit. Quae ita ejus animum affece-

(1) *Sonante etiam* fortaſſe muſica ſacrorum miniſtrorum.

(2) Hoc enim minus eſt Poëtarum, ut eodem temporis momento, quo rebus externis afficiuntur, easdem carmine celebrent. Davides, cum tempeſtatem depingeret, ejus phaenomena et effectus pernoſcere debuit, quae in Sanctuario aegre perceperit. — Quae quidem phaenomena *omnia* eorumque effectus, etiamſi percipere in Sanctuarii quodam loco potuiſſet, tum demum potuit *cognoſcere*, cum tempeſtatis *exitum* vidiſſet. Si autem ſtatuamus, eum media in tempeſtate unumquemque ejus effectum notaſſe, difficulter intelligemus, quomodo ad tantam poëſeos praeſtantiam acceſſerit.

terint atque permoverint, ut statim post tempestatem, ad eandem tali ratione celebrandam, omnium maxime fuerit comparatus.

Hac ducti carminis componendi opportunitate, paratiores ad ipsum carmen interpretandum et exponendum accedemus.

Sed prius quam hoc aggrediamur, breviter nobis in locorum, quae in tempestatis descriptione memorantur, situm inquirendum erit.

LO-

LOCORUM SITUS.

Uti sacrae geographiae cognitio necessario requiritur ad explicandam Hebraeorum Historiam, ita ad eorum Poësin dijudicandam perquam fructuosa est. Neque enim tantummodo poësis Hebraica naturali vinculo conjungitur cum ipsius gentis historia, verum etiam Hebraei poëtae in carminibus suis saepius loca adduxerunt, quibus ipsi haud parum efficaciae videntur tribuisse, quaeque ad affectus eorum concitandos summopere composita erant. Unde quoque haec ipsa summam vim habuerunt in carminum indolem ut et in imagines ab auctoribus usurpatas.

Hoc cum in nostro etiam carmine obtinuerit, accurate situs locorum nobis explorandus est, quatenus ex eo carminis ipsius ratio illustrari potest. — Igitur hanc in rem primum de Libano, deinde de aliis locis in hoc Carmine memoratis agendum erit.

LIBANUS.

Libani cacumina nivibus obducta sunt, unde *Libani* nomen videtur accepisse, quod ab *albedine* derivandum est. (1) Est longissimus atque altissimus montium tractus, valle intermedia ita distinctus, ut pars ejus occidentalis, quae est superior, *Libanus*, orientalis, quae inferior est, *Antilibanus* vocetur (2):

Quae nominis ipsiusque tractus montani distinctio, quamvis in Cod. Sacro nusquam obvia sit, rite tamen tenenda est, cum quia in Alexandrina versione occurrit (3), tum quod exteris maxime scriptoribus solennis est.

Qui itaque vero nomine *Libanus* appellatur atque in nostro carmine innuitur (4), hunc uno con-

(1) Dicitur enim לבנון a לבן *albus fuit.* De hisce nivibus retulit Pococke, *Beschrijving van het Oosten*, T. II. p. 154 et 169. et Shaw, *Itin.* T. II. p. 86. edit. Traject. A. 1773. — Van Hamelsveld, *Aardrijksk. des Bijbels*, T. I. p. 288. tradit, ejus etiam humum albicantem esse.

(2) Vid. Strabo, *Geogr.* L. XVI. p. 754. et Busching, *Nieuwe Geographie*, Vol. V. P. I. p. 265.

(3) E. c. *Deuter.* I. 7. III. 25.

(4) Vs. 5 et 6. Illud patet et ex versione hujus Carminis Alexandrina, et ex adjuncto nomine *Sirii*, qui partem quamdam Antilibani efficit, quod deinceps elucescet.

consensu omnes, et antiqui et recentiores scriptores, ad Aquilonem Palaestinae situm esse judicant; ita quidem, ut pars ejus quaedam ipsi Palaestinae fuerit adscripta.

Plinius (1) ac Strabo (2), nec minus recentiores peregrinatores (3), in eo consentiunt, Libanum, montanum Syriae tractum, Mari Mediterraneo adjacere (4), et juxta ejus ora Aquilonem versus longe protendi (5). Verum simul etiam ad Orientem porrigi eum, satis constat (6). Ad ejus pedes est vallis amoenissima (7), quae inde a Mari Mediterraneo ad Orien-

cescet, et denique e Cedris vs. 5. memoratis, quibus Libanus non solum antiquitus abundavit, sed quas etiamnunc alit: qua etiam de re infra videbimus.

(1) *Hist. Nat.* L. V. C. 20.

(2) *Geogr.* L. XVI. p. 754.

(3) Maundrel, Pococke, Shaw, Volney.

(4) Strabo accuratius tradit, eum inchoare *κατὰ Τρίπολιν καὶ τοῦ Θεοῦ πρόσωπον μάλιστα. Theoprosopon*, est promontorium infra Tripolin, hodie *Cap Pouge*. Cf. Pococke l. l. p. 166. in annot.

(5) Plin. l. l. „A tergo ejus (Sidonis) mons Libanus orsus 1500 stadiis *Simyram* usque porrigitur." — Sed Shaw Vol. II. p. 13, eum ad fluminis usque *Eleutheri* ostium extendi refert; ejus vero termini nondum satis definiti sunt.

(6) Τελεύτωσι δὲ ἐγγὺς πῶς τῶν Ἀραβιῶν ὀρῶν τῶν ὑπὲρ τῆς Δαμάσκης. Strabo. Cf. Busching l. l.

(7) *Josuae* XI. 17. בקעת הלבנן, sive *vallis Libani*

Orientem porrigitur Aquilonem versus. Atque hinc a Libano, illinc ab Antilibano, fere circumdatur.

Libanum igitur ab Occidente lambit Mare Mediterraneum, supra quod longe eminet; est enim unus ex Asiae montibus altissimis, omnibusque Palaestinae montibus altior (1); unde mirum non est, peregrinatores eum e longinquo conspicere posse, navigantes autem procul e mari eum suspicere atque admirari (2).

SIRIUS.

Hoc nomine Sidonii Cisjordanenses *Chermonem* designabant: sed Emoraei Transjordanenses *Chermonem* vocabant *Senir* (3). Quae quidem nomina, nonnihil similia, dialecto magis quam significatione diversa censeri possunt (4).

Ra-

ni, quae apud *Strabonem* κοιλὴ Συρία, hodie *Bokat* dicitur. Vid. Ikenii Dissert. XV.

(1) Vid. Hieronymus in *Zachar.* XI. 3.

(2) Cf. Volney, Op. I. Vol. I. p. 296.

(3) *Deuter.* III. 9. et IV. 48. Ubi pro שיאן legendum videtur שרין, quod expressit etiam *Syrus*.

(4) Vid. Scheuchtzer, *Bijb. der Nat.* T. VIII. p. 201 et 202. cf. Simonis Lexicon ex editione Eichhorni in voce שיאן.

Rariore autem *Sirii* nomine relicto, *Chermonis* situm quaeramus.

Id omnino videtur constare, sacros scriptores hunc montem habuisse terminum Palaestinae Transjordanensis septentrionalem; huc enim ducunt loca quae eum tangunt primaria (1). Inde Hamelsveldio hic mons idem esse videbatur, qui Antilibanus (2); loco inprimis inductus *Josuae* cap. XI: 17. E quo tamen probabiliter haec elici non possunt.

Si vero *Chermon* universe pro finibus Palaestinae septentrionalibus aliquoties diceretur, ideo innui potuit, quod esset omnibus ob suam prae ceteris Antilibani montibus eminentiam nobilis. Attamen ex ipsa nominum distinctione, qua diversae interdum denotantur Antilibani partes, clarius etiam liquet, *Chermonem* non eundem fuisse, quem Antilibanum (3). Huc ducit etiam *Psal-*

(1) v. c. *Jos.* XI. 3, 17. XII. 1, 5. XIII. 5, 11; *Judic.* III. 3. 1 *Chron.* V. 23. *Ps.* LXXXIX. 13.

(2) Est Antilibanus montium ille tractus infra Libanum, prope Sidonem, qui, prope Mare Mediterraneum, situs, Damascum versus petit Orientem. Vid. Strabo l. l. Eusebius ut et Hieronymus in descriptione locorum Palaestinae, et conf. Busching l. c.

(3) Vid. *Cant.* IV. 8. ubi *Senir* a *Chermone*, et 1 *Chron.* V. 23, ubi mons *Chermon* a *Baäl-chermone* distinguitur.

Psalmi LXXXIX. versus 13, ubi *Chermon* opponitur *Tabori* (1).

Eundem autem fuisse partem *Antilibani*, luculenter efficimus ex locis *Jos.* XI. 3. (2) et XIII. 5. (3).

Utrum autem ex *Josuae* XIII. 11, ubi *totus mons Chermon*, et *Ps.* XLII. 7, in quo *Chermon* plurali numero occurrit, efficiatur, in iis locis innui longiorem montium tractum; sive etiam colles minores huic monti adjacentes, nec ne, non magni momenti nostro loco esse videtur, nec, si indagare conaremur, exitum habitura videretur disputatio.

Quod si his adjungamus testimonia Flavii Jo-

(1) Uterque et *Tabor* et *Chermon* erant montes altissimi. *Tabor* altitudine et simul solitario situ in oculos facile incurrebat, aeque ac *Chermon*; qui si idem esset atque *Antilibanus*, minime efficaciter *Tabori* opponeretur. Cf. omnino *Annot.* (§§§) ad Shawii T. II. p. 18.

(2) Ubi *Chevitae* habitasse dicuntur in terra *Mitzpa* sub *Chermone*. *Mitzpa* autem prope fontes *Jordanis* tangebat *Antilibanum*.

(3) Ubi commemoratur *Baalgad* sub *Chermone* situm. Oppidum nimirum hoc erat Coelesyriae, quod a parte meridionali contingebat *Antilibanum*. Unde concludimus, illud fere hujus montis segmentum, quod a *Jordanis* fontibus usque ad *Baalgad* protenditur et *Antilibanum* superat, *Chermonis* nomine insignitum fuisse.

Josephi (1), Hieronymi (2), atque Pocockii (3); haud temere nobis concludere videmur; hunc montem fuisse situm in Palaestinae Transjordanensis septentrionali parte, non procul a *Jordanis* fontibus (4).

Notabile est, hunc montem ab interprete Samaritono *montem nivis* vocari (5) eodemque nomine dici *Arabibus* et *Chaldaeis*, neque hoc injuria; tradit enim Hieronymus (6), ab hoc monte, tempore aestatis, nivem deduci Tyrum; quod confirmatur testimonio Pocockii, qui memorat, eum sempiternis nivibus obductum esse (7).

Nec vero tantum nivibus abundabat; sed arboribus etiam, maxime pinis (8), quae vel in eo ipso, vel in confiniis ejus crescebant. Cedros autem aluisse eum non constat; harum praestantissimae solummodo erant in *Libano*; quae alte ex-

(1) a Relando allegata.

(2) In descript. Loc. Pal.

(3) *Itiner.* Vol. II. p. 124.

(4) Cf. Pareau, V. Cl. *Antiq. Hebr.* p. 57. Nec miramur, Schröderum *in ann. MSS.* ad *Ant. Hebr.* Sect. I. Cap. I. §. 1. statuisse: „*Chermonem* esse partem *Antilibani*."

(5) *Deuter.* IV. 48.

(6) In voce *Aermon.*

(7) Vol. II. p. 124.

(8) *Ezech.* XXVII. 5.

excrescentes (1) pulchreque ramis vestitae (2) a sacris scriptoribus tanquam arbores celebrantur a Deo plantatae (3). Eae una cum pinis et cypressis *erant Libani gloria* (4).

At haec etiam gloria fuit! Exiguo tantum numero earum reliquiae reperiuntur in planitie quadam ampla, quae est inter *Libani* apices altissimos (5). Quae autem supersunt, eae stupenda crassitudine pollent, ob summum, quod tulerunt, aevum. Ex tota earum forma atque specie, quae unicuique majestatem incutit, haud difficulter conjicitur, quare tantis antiquitus laudibus evectae fuerint.

Inviti sane haec relinquimus loca, in quibus tam lubens animus noster vagatur; sed ad alia progrediendum est.

CADESCH.

In hujus loci situ definiendo discrepant Geogra-

(1) Vid. *Jud.* IX. 15. 1 *Reg.* V. 6. 2 *Reg.* XIV. 9. *Ps.* XCII. 13. CIV. 16. *Jes.* II. 13.

(2) *Ezech.* XVII. 2, 22—24.

(3) E. c. *Num.* XXIV. 6. *Ps.* CIV. 16. Quia sc. sine hominum ope crescentes, tam insigni praestantia eminebant.

(4) *Jes.* LX. 13. cf. XXXV. 2.

(5) Pocock. Vol. II. p. 174, 175 et 176.

graphi. Principio autem cavendum est, ne hoc nomen confundatur cum nomine urbis cujusdam in tribu *Nepthali*, quae *Kedesch* (קֶדֶשׁ) vocatur, sive etiam *Kedesch in Galilaea* (קֶדֶשׁ בְּגָלִיל) (1). Haec enim, et nomine (2) et fama (3) et situs denique conditione, carmine nostro excludenda est (4).

Quod igitur *Cadesch* nostro in loco commemoratur, cui proximum erat desertum, hoc unanime cum antiqui, tum recentiores, terminis Palaestinae australibus adjacere judicant (5). Recentiorum autem nonnulli distinguunt *Cadeschum* a *Cadesch-Barnea*, quorum cuique alium situm tribuunt (6). Nobis haec quidem minori curae

(1) *Jos.* XIX. 37. et XXI. 32.

(2) Quamvis nostrum etiam *Cadesch* interdum *Kedesch* vocetur, e sententia *Relandi*. Vid. *Jos.* XV. 23.

(3) *Cadesch* enim, quod in nostro carmine occurrit, omnium notissimum ac celebratissimum erat, *Num* XXI. XXXIII. 36. XX. 3, 11, 16. dum alterius vix mentionem faciunt.

(4) Memoratur sc. hoc loco desertum *Cadeschi* nomine insignitum, de quo in tribu *Nepthalitica* non constat.

(5) *Num.* XXXIV. 4. cf. XX. 1. et *Jos.* XV. 3. cet. Cf. Relandi *Palaest.* p. 114 seqq. Busching, Vol. V. p. 393. et Hamelsveldi *Geogr.* Vol. III, p. 357.

(6) Relandus et Bachienius.

rae sunt; haud adeo enim quaerimus urbem, sed desertum *Cadeschi.* Cum tamen ipsam urbem habeamus veluti aditum in desertum, breviter monuisse sufficiat, eorum virorum doctorum sententiam probabilem non videri: ac potius statueremus, duobus illis nominibus, unum eundemque locum designari. Scilicet ipsa haec nomina interdum permutantur (1), et utriusque loci situs in ordinem redigi potest, etiamsi alterum situm fuisse censeamus in *Paranis* deserto (2), alterum in deserto *Tsinis* (3). Haec enim distinctio, si accurata esset, ubivis obtineret; verum non semper attenditur in C. S. Est igitur discrimen non in re, sed nomine positum (4). Dicitur praeterea urbs *Cadesch* sita fuisse ad extremos *Edomitarum* fines (5). Ex quibus recte effici posse videtur, hanc urbem fuisse sitam ad extremos Palaestinae terminos au-

(1) *Deuter.* I. 2, 19 et 46.

(2) *Num.* XIII. 26. cf. XII. 16.

(3) *Num.* XXX. 36, 37.

(4) Conferri cupimus *Num.* XIII. 36. cum *Num.* XXXII. 8. et *Jos.* XIV. 6, 7. Quibus locis collatis patet, eosdem exploratores uno eodemque tempore ex *Paranis* deserto, in quo *Cadesch* erat sita, et ex *Cadesch-Barnea* fuisse emissos, atque *Paranem* rediisse *Cadeschum* versus.

(5) *Num.* XX. 16. coll. vs. 14.

australes, in eo nimirum loco, quo *Tsinis* et *Paranis* deserta ad Edomitarum fines se invicem tangebant (1).

Cadeschi igitur deserto, quod ab urbe nomen habet, *Davides* illud inprimis innuisse videtur, quod ad hujus urbis Aquilonem erat. — Ab urbe nimirum hujus nominis protendebatur Aquilonem versus, usque ad Mare Mortuum, dum ad Austrum atque Orientem contingebat *Tsinis Paranisque* deserta; quorum tamen desertorum partes quasdam id continuisse, veri haud est absimile (2). Mediam itaque *Arabiam* transibat *Petraeam*, a *Canaäne* in *Paranis* atque *Tsinis* pergens deserta.

Verum ne existimemus Poëtam hujus deserti fines accurate cogitavisse. Hoc poëtarum non est. Cum desertum vastum atque omnibus notum designaret, hanc praecipue ob causam *Cadeschi* tetigit desertum, quod viderat tempestatem in hasce *Arabiae* se contulisse partes.

Quod

(1) Vid. Dissertatio Schuttii *de Itineribus Israëlitarum* Belgice scripta, p. 42 seqq.; quae reperitur adjecta Pocockii Vol. IV. p. 327. et conf. Hamelsveld Op. c. T. III. p. 327. ac Tydemanni annotatio (*), ad Shawii Op. l. Vol. II. p. 69 et 70.

(2) Consuluimus Chartam Geogr. Schuttii l. l. quae, adhibitis novissimis observationibus Shawii, Pocockii et Niebuhrii, confecta est.

Quod quidem desertum adspectu erat horrendum, ob montes permagnos vallesque arenosas, ubi pigris in campis arbores aestiva non recreabantur aura.

Sed hisce jam locis, pro viribus, exploratis, ad ipsum carmen interpretandum et explicandum nobis accedendum est.

LIN-

LINGUAE RATIO.

Cum ex linguae ratione idonea habenda non pendeat tantum carminis intelligentia et recta interpretatio, sed poëseos etiam ratio dijudicanda ex ea sit; summa ope niti nos decet, ut huic quaestionis parti satisfaciamus.

Quod igitur ut fiat, quantum in nobis erit, hunc modum secuturi sumus, ut, praemissa Carminis versione, singulorum versuum voces, earumque vim et notabilem cum aliis ejusdem contextae *orationis* vocibus conjunctionem, ita exponere conemur, ut justus inde efficiatur *sensus*, ad carminis intelligentiam. — Deinde, cum ea, quae ad criticam pertinerent, pauca essent, eademque arctissimo cum grammatica ratione nexu conjuncta, haec ipsi interposuimus Carminis expositioni. Cumque ad manus essent aureae Schröderi ad hocce carmen annotationes, harum adjungendarum veniam nobis interdum sumsimus.

PSALMUS XXIX.

1.

Carmen Davidis.

Date Jehovae, Filii Principum,
Date Jehovae gloriam et decus!

2.

Date Jehovae gloriam debitam!
Adorate Jehovam in ornatu sancto!

3.

Fragor Jehovae est super aquas —
Deus gloriosus intonat!
Jehova super aquas magnas!

4.

Fragor Jehovae est validus!
Fragor Jehovae est venerabilis!

5.

Fragor Jehovae frangit cedros —
Immo frangit Jehova cedros Libani!

6.

Has ſubſilire facit ut vitulum,
Libanum et Sirium ut pullum bovis feri!

7.

Fragor Jehovae vi ejicit flammas ignitas!

8.

Fragor Jehovae tremefacit deſertum —
Tremefacit Jehova deſertum Cadeſchi.

9.

Fragor Jehovae cervas facit abortiri,
Sylvasque nudat arboribus!
Dum in ipsius sanctuario quisque dicit: Gloria!

10.

Jehova sedet terram inundans:
Immo sedet Jehova rex sempiternus!

11.

Jehova suum populum tuetur —
Jehova suo populo largitur securitatem!

Ver-

Versus 1.

מזמור לדוד *Psalmus* five *Carmen Davidis*. Quae enim ל nomini דוד praepofita est, auctorem denotat. Neque a quoquam, quod fciam equidem, in dubium vocatur, aut faltem dubitari potest cum aliqua veri fpecie, Daviddem esfe Carminis auctorem: nam, praeter infcriptionem, verfiones antiquae, ipfiusque carminis fenfus et conceptus fatis hoc arguunt. Alexandrini addunt *ἐξοδίου σκηνῆς*, *exitus tabernaculi*, feu ultimi diei festi Tabernaculorum; qui dies ἐξοδίου nomine venire folet apud LXX. Ita Venema. Statui autem potest, Pfalmum progresfu temporis cantatum fuisfe fub finem festi Tabernaculorum. Senfus primi verfus est: „ Vos, Principes, agnoscite et celebrate gloriam et decus Jehovae!"

Verbum הבו ad gravisfimas adhortationes aptum hic etiam fingulari cum vi adhibetur; quod non tantum ex ejus iteratione, fed etiam ex accentus retractione patet. Cf. Schröderus, *Inftit. Gramm.* p. 276.

בני אלים *Filii Principum.* De hisce cum

an-

antea jam nonnulla, quae ex ipſius carminis ratione hauſta esſent, attulerimus, nunc paulo plura notanda erunt. Sunt igitur qui intelligant *falſorum deorum cultores;* aliis ſunt *coelites;* alii autem univerſe cogitant de *cultoribus* Dei; alii denique accipiunt de *Principibus. Alexandrini* totum verſum ſic reddiderunt:

„ Ἐνέγκατε τῷ κυρίῳ υἱοὶ θεοῦ,
„ ἐνέγκατε τῷ κυρίῳ υἱοὺς κριῶν.
„ ἐνέγκατε τῷ κυρίῳ δόξαν καὶ τιμήν.

Ita etiam *Vulg. Syr. Arabs* et *Aeth*. Duas igitur lectiones ob oculos habuisſe videntur antiqui illi interpretes אֵלִים et אילים: quarum utramque diverſa ſignificatione acceperunt et expresſerunt, ut illam de *Deo*, hanc de *arietibus* exponerent. אילים enim, cum ׳ in priore ſyllaba, *arietes* etiam ſignificat. Quamvis autem Alexandrini ſenſum loci miſere detorſerint, tamen nos docent, lectionem אילים, cum ׳ in priore ſyllaba, valde probatam fuisſe antiquitus; quam etiam habent quinque codd. Kennicotti, et quatuor, quos doctisſimus de Rossi inſpexit. Jam vero איל, pp. *robur*, *fortitudinem* notat, a rad. אול *crasſus*, *ſpisſatus fuit*, *cum ſpisſatione quadam eminuit*, *prominuit:* hinc *aries* a *prominendo*. — Dein autem איל de *crasſitie*, cum

cum corporis tum mentis, usurpatum est; et ab hac *crassitie prominente*, succrevit porro secundaria notio *roboris*, ut et *eminentiae* super alios; hinc denique אול ,איל, contracte אל, de *primo*, de *principe* dicitur prae aliis *eminente*. Quae fusius proponuntur et comprobantur a summo Schultensio *in Lex. MS. Originum*, v. אול et איל. Ex vi itaque nominis אלים vel אילים, *Principes* denotantur. Etenim magni momenti non sunt, quae objiciunt nonnulli, vocem אלים sine litera י, *Deos*, sed cum hac litera inserta, *magnates*, *principes* significare; ut fecit Michaëlis, in *Epim. ad Lowthi Praal.* XXVII. Usus nimirum hicce non valde est constans; praeterquam quod, ut vidimus, complures versiones antiquae atque Codices habeant nostro in loco אילים cum י in priore syllaba.

Cum igitur vox אלים, *Principes* sive *Nobiles* significet; quaeri potest, utrum Principes Civiles, sive viri tribuum primarii, an vero Principes Sacri, sive *Sacerdotes* et *Levitae*, intelligendi sint. Hi enim erant etiam *nobiles* sive *nobilium* quaedam *classis*. Neque hoc tamen probaret, ideo *sacros hosce ministros* esse intelligendos; quoniam *Levitae* et *Sacerdotes*, non ex significatione et vi vocis אלים, *Principes* sive *Nobiles* vocari posse videntur, sed potius propter *nobile munus*. Quamvis enim, aeque ac

tribuum *Principes* et *Magnates*, appellari possent שרים vel ראשים et in quibusdam locis ita fortasfis appellentur, nullum tamen locum inveni, ubi voce אלים vel אילים dicti fint; qua faepe quidem *potentes*, *proceres*, *magnates*, non vero *facri ministri* eorumve *principes* defignentur.

Huc denique accedit, quod eadem, qua hic, formula, in locis parallelis 1 *Chronic.* XVI. 28, 29, repetita, ut videtur, *Pf.* XCVI. 7, *variae tribus* ad Dei gloriam agnoscendam et celebrandam excitentur, non autem *facri ministri* (1).

His, quae modo monuimus, iisque etiam, quae fupra p. 13. notavimus, rite perpenfis, non possumus, quin *magnates*, five tribuum *proceres*, hac voce intelligamus. — Quod ad vocis verfionem attinet; adftipulantes habemus auctores Bibliorum vernaculorum, ut et Lutherum, Dathium, Seilerum, Mosem Mendelsohnium.

בני אלים, idem fignificare quod אלים, non opus est ut fufe moneamus. Est autem hoc linguae Hebr. idioma, referens ejus et antiquitatem et fimplicitatem. Hujus generis exempla col-

(1) Qui formulis admonentur, ברכו את־יהוה *Pf.* CXXXIV. 1. five הללו. CXXXV. 1. non autem הבו, ut hic et in locis parallelis; etiamfi hoc fieri potuisfe, non dubitamus.

colligere atque notare non opus est nostram in rem.

כבוד pp. *gravitatem ponderis* denotat a כבד *gravis fuit pondere:* inde *gravis honore, pretio;* item *gloria.* Cf. Schultens. ad *Prov.* XXV. 17.

עז autem, a עזז, pp. *intorsit, denso nervo fortius adstrinxit*, coll. Scheidii *Lexico* in voce, et Schult. *Commentario* ad *Prov.* VIII. 28, *robur* significat; hic metaphor. *decus, gloriam*, ut et *Ps.* VIII. 3. XCIII. 1. XCVI. 6. CV. 4. Unde *κράτος*, 1 *Petr.* V. 11, idem significare videtur; atque hinc in aliis locis de *regia majestate* usurpatur. Vid. *Syll. Diss. Leidens.* parte II. p. 1086. et Scheidius ad *Gen.* XLIX. 3.

Versus 2.

כבוד שמו pp. est: *gloria nominis ejus* h. e. *gloria Deo nostro, cujus nomen est Jehova, conveniens.*

שם pp. *signum* distinguens, inde *titulus, nomen.*

השתחוו. Vi formae Hisp. verti posset, „vosmet ipsos valde facite subsidere." Vid. Schröd. *Gramm.* p. 50. Verbum enim שחה, cogn. שחח et שוח, coll. Cl. Pareau *Instit. Interp.* V.

V. T. p. 213. pp. *subsidendi* notionem habet. Illa autem specie saepius obvium est, cum de subjectissima reverentia erga superiores, ut *Gen.* XXXVII. 9. tum de sacra erga Jehovam, veluti *Ps.* CXXXVIII. 2. Erat enim more receptum apud Orientales, ut, quicumque aliquem honorare vellent, se humi ita inclinarent, ut facie eam attingerent: unde *adorandi* exstitit significatio. Conf. Michaëlis in *Suppl. ad Lex.* p. 2307, et Rosenmull. in *Scholiis* ad h. l. verti ego potest h. l. „ submissa veneratione Jehovam adorate."

בהדרת קדש pp. *in ornatu sanctitatis* h. e. *sancto*, coll. Schröd. *Syntaxi* p. 295. Alexandrini habent ἐν αὐλῇ ἁγίᾳ, Vulg. *in atrio sancto*, conveniente versione Syriaca et Aethiopica. Verum, cum ipsae hae versiones, monente Rosenmullero in suis *scholiis*, ad vocis Hebr. indolem manu quasi nos ducant, hac cognita indole satis liquet, nomen הדרה recte pro *ornatu* sive *vestitu* accipi posse. Verbum enim הדר et cogn. אדר, collata Dial. Arabica, significationem *tumendi* habet, ac de eo dicitur, qui *cum fervore elatus est;* hinc facile notio *ornatus* succrevit; vid. Michaëlis in *Supplem. ad Lex. Hebr.* p. 509, qui fusius de hac voce disputavit. Hanc significationem confirmant loca parallela 1 *Chron.* XVI. 29, ubi vi-

videatur omnino Stronck in doctissimo suo opere Biblico, et *Ps.* XCVI. 9. CX. 3. Quibus in locis hac formula *vestitus* ille *sanctus* sive festus intelligendus est. *Psalmi* enim CX. vs. 3. non cum *Symmacho* legendum videtur בהררי קדש, ubi vid. Muntinghe. Ad nostrum vero locum conf. cl. Palmius, Dathius, Michaëlis; quem tamen *vestitum*, hoc loco, non proprie sumendum esse, monuimus supra, pag. disp. 13. et monebimus infra suo loco.

Sensus autem hic est: „ Intimam, in adoratione Jehovae, reverentiam ostendite!"

Versus 3.

Animadvertenda est hoc versu ellipsis verbi cum nominativo construendi; quae saepe in sententioso stylo, ubi gravior animi subest affectio, obtinere solet. Vid. Schröderi *Synt.* p. 357 et 358. Quam ellipsin in primo membro supplevimus verbo subst. הָיָה *fuit*, in postremo autem membro, ad sententiae brevitatem et rythmum quodammodo retinendum, non item supplevimus.

קול יהוה pp. *vox* sive *fragor Jehovae.* Ita, solenni usu, *tonitru* vocari apud Hebraeos, cum ex aliis bene multis locis patet, tum praecipue ex *Ps.* XVIII. 14. „ Hoc enim e populari quadam

dam eorum opinione ortum esse videtur, qua Deum in tonitru praesentissimum videbant, ipsumque adeo tonitru *Jehovae vocem* appellarunt." Vid. Pareau V. Cl. *de Mythica S. C. interp.* p. 228. edit. sec. et conf. Harmar *Observ. Vol. III.* p. 322.

קוֹל, ab antiquo קוּל vel קָוַל, quod significavit *sonum edidit* et hac significatione superest apud Arabes, de quocunque *sono* usurpatur, e. c. *Ps.* XIX. 4.

Quales vero aquae nomine plurali הַמַּיִם designentur, non uno modo ab interpretibus dijudicatum est. Nonnulli, uti Doederleinius et Rosenmullerus, *nubes* intelligunt, adducto *Ps.* XVIII. 12. ubi ex opposito עָבֵי hoc pateat. Herderus minus considerate ex loci nostri parallelismo idem hoc efficere conatur; cum ex eo potius efficias, *Mare* esse intelligendum. Adjungitur enim, in tertio versus membro, huic voci adjectivum רַבִּים, atque nullus, quantum mihi saltem cognitum est, exstat locus, in quo *nubes* vocentur מַיִם רַבִּים. Omnia vero loca pro *Mari* pugnant; sive proprie sumto, sive improprie; vide e. c. *Ps.* XCIII. 4. LXXVII. 20. XVIII. 17. XXXII. 6. et CXLIV. 7. Voci autem רַבִּים subest *magnitudinis* notio ex רָבַב, Arabice ربّ, *spissus, compactus*, et hinc *multus, copiosus*,

sus, magnus fuit. Vid. *Syll. diss. Leid.* T. I. p. 558 et 559. item Scheidii *Lexicon Hebr.* in voce. Hac vero et sequenti voce *Mare Mediterraneum* innui, multi recte viderunt; ita ut idem sit, quod *Num.* XXXIV. 6. dicitur גבול ים et 1 *Reg.* XVIII. 43 et 44. ים; ex quo Mari tempestates oriri solent. Conf. Muntinghius, Palmius Michaëlis et Venema. Schröderus autem in *ann. ad h. l. MSS.* haec habet: „ Tonitru in Palaestina surgit ab occidente plaga Maris Mediterranei, quae hic per *aquas* et *aquas spissas* designatur."

אל הכבוד pp. *Deus gloriae* h. e. *gloriosus*; sic dicitur etiam מלך הכבוד *rex gloriae*, i. e. *gloriosus*, *Ps.* XXIV. 9 et 10. Praeteritum הרעים per praesens tempus reddendum est; quod linguae ratio suadet, ipseque postulat orationis contextus. Est a רעם Arabice رغم, pp. *tremuit*, *intremuit* naso commoto. Hinc *commotus*, *iratus fuit*; unde in Hiphil *commotionem fecit*, *intonuit*; *tremorem fecit*, *aërem concutiendo*. Vid. A. Schultensii *Comment. ad Jobum* p. 1041, coll. Scheidii *Lex. Hebr.* h. v.

Versus 4.

Hic versus pp. vertendus fuisset,

„ Fragor Jehovae est in potentia —
„ Fragor Jehovae est in majestate!"

Est secundum emphaticam construendi rationem, qua praedicatum subjecto suo junctum est praemissa particula ב, quae interiorem rei naturam exprimit. Vid. Schrōderi *Synt.* p. 303 et 304. Ita etiam בקדש דרכך *Ps.* LXXVII. „ *in sanctitate via tua*", i. e. *sancta est*. Quocirca locum nostrum vertimus: „ Fragor Jehovae est validus — Fragor Jehovae est majestate plenus, venerabilis!"

כח Sive כוח a כוח Arab. كاح *pressit, compescuit;* inde כוח *pressio validior, robur.* Vid. Scheidius l. l. in voce et Michaelis, *Supplem. Lex. Hebr.* p. 1221.

הדר h. l. idem est, quod Graece *κῦδος, majestas.* Vid. Schultens. ad Prov. p. 141.

Praeterea hic etiam animadvertenda est ellipsis, in stylo sententioso frequentissima.

Ver-

Versus 5.

In altero hujus versus hemistichio particula ו, verbo יִשְׁבֹּר praeposita, vim habet singularem, ex emphasi ortam, qua poëta praecedentia repetit; unde per *immo* reddidimus. Idem obtinet cum alibi saepius, tum *Ps.* XC. 17. — Futurum יִשְׁבֹּר est a verbo שָׁבַר *fregit:* unde שֶׁבֶר *confractio* talis, quam vehemens procella exercet, monente Scheidio, in *Lex. Hebr.* p. 542.

Praeterea in eodem hemistichio animadvertenda est vis particulae אֶת nomini אַרְזֵי praemissae, quae in priori hemistichio non occurrit. Indicat enim ea accusativi nota h. l. *definitum actionis effectum.* Vid. J. G. Hasse, *Hebr. Sprachlehre*, p. 219. Auget praeterea valde sonorum cursum orationis. — Ceterum *participium* שֹׁבֵר, aeque ac *futurum* יְשַׁבֵּר, in eadem orationis serie, per praesens tempus reddidimus. Vid. Schröderi *Synt.* p. 343. not. 6.

אֶרֶז autem non *pinum*, sed *cedrum* significare, satis docuit Trevius in *Historia cedrorum Libani.* Hodieque, ipsis *Libani* incolis, אֶרֶז *cedrus* est. — Huc accedit auctoritas plurimarum versionum antiquarum, quae *cedrum* hac voce intelligunt. Uti autem cedri universe arbores sunt robustissimae, ita illae, quae in *Libano* crescebant, ceteris etiam fuerunt excel-

cellentiores; unde peculiaris vis in altero hemistichio: „ frangit Jehova cedros Libani." Conf. Rosenm. *in Scholiis*, et qui ab eo citantur; inprimis vid. Oedmann, *Vermischte Sammlungen aus der Naturkunde zur Erklärung der Heil. Schr.* P. II. p. 203. et seqq.

Versus 6.

Verbum וירקידם vertimus, *has subsilire facit;* Pronomen enim tertiae pers. plur. ם, in verbo hocce, non ad sequentia לבנון ושריון, sed ad praecedens ארזי referendum esse videtur. Sic minus intricata est constructio, et orationis ordo melius procedit. Hoc item placuit Schrödero in *Ann. MSS.* ad h. l.

Alexandrinus interpres a textu Hebr. ita recedit, ut videatur totum hunc Psalmum figurate intellexisse. Etenim verbum וירקידם in priore hemistichio vertit: *καὶ λεπτυνεῖ αὐτάς.* Vulg. *et comminuet eas;* sic falso vel videndo vel audiendo, vertit verbum וידיקם, pro וירדיקם. Alterum hemistichii nomen, שריון, reddidit per *τὸν ἠγαπημένον*, Vulg. *dilectum*, ubi ob oculos habuit ישרון, quo nomine *populus Israëliticus* antiquitus interdum vocatus est, veluti *Deut.* XXXII. 15. XXXIII. 5 et 26. Plura hac de re vid. apud Rosenm. in *Scholiis* ad h. l.

quae

ו quae dicitur conversiva, praeposita verbo ירקידם, hoc loco praesentis significationem indicat. In versione eam non expressimus, quamvis per *ita ut* reddi possit. — Vis enim dictionis, quantum fieri poterat, retinenda videbatur.

רקד pp. *Saliit*, *subsiliit* sive homo sive animal. Deinceps autem improprie ad alias etiam res transfertur, *Nahum.* III. 2.

Quae sequitur particula separata כמו, haec, ut alibi, ita h. l. similitudini inservit: pp. significat *ad instar*, *ad speciem*. Vid. Schröderi *Gramm.* p. 258. et *Synt.* p. 437.

עגל *Vitulus* a עגל Arab. et Syr. *torsit*, *compinxit*, *volvit in orbem*, hinc עגל, *vitulus* a saltu gyrante. Vid. Scheidii et Groenewoudi *Lex. Hebr.* h. v. Opponitur בן־ראמים i. e. *pullo bovis feri*. De cujus vocis ראם significatione cum antea diu disputatum sit, hodie satis unanimiter eruditi *bovem ferum* ea intelligunt. Vid. doct. Stronck operis Biblici Vol. IV. p. 156, qui, inter alios, cl. Paravium citat; cujus sententiam, e *Commentat. Job.* desumtam, hic nobis afferre liceat. Ita auctor pag. 323.

„ ראם رأم, et cognata רום ac רים Arab. رام med. و et ي, pp. videntur significasse: *In altum excrevit solidius*, ac primitivo usu dicta fuis-

fuisse de *cornibus animantium*; quo usu peculiariter usurpari ריום apud Hebraeos, non opus est ut demonstrem. — Hinc igitur nomen ראם aut רים et Arab. رِئم pp. designant, *animal cornua habens procera*, *elata*. — Unde hac generali denominatione aliud animal peculiare apud Hebraeos, aliud apud Arabes significatum fuit. Apud hos enim ita potissimum dicitur *Dorcas*, apud illos vero *species* quaedam *bovis sylvestris*, quae cornuum magnitudine eminet."

Si quis autem metuat, ne ita Davides imagine usus sit popularibus suis incognita, siquidem boves feri in Palaestina non reperiuntur, observamus, non agi de *bubalo*, Belg. *een' buffel*, quod animal Linnaeus, *Nat. Hist.* T. I. P. III. p. 327 sqq. Amst. 1762. 8°. adscripsit Asiae, sed rectius Africae Buffon, *H. N.* T. XII. p. 294 sqq. et *Suppl.* T. VI p. 132 sqq. 4°. Agitur vero de specie quadam bovis feri, qualis in Palaestina etiam erat. Conferri meretur Bootius, *Anim. S.* L. III. C. I.

Schröderus ad nostrum versum haec notavit: „ Per graviora tonitrua totus aër tam vehementer concutitur, ut ipsa terra contremiscere videatur. Hoc poëtica comparatione exprimit, qua procerae arbores, quales sunt cedri, et peralti montes, quales sunt Libanus et Sirius, dicuntur ad instar vitulorum subsultare."

Ver-

Versus 7.

Participium חֹצֵב est a verbo חָצַב pp. *Caedere* h. e. *diffindendo ejicere* et *dispergere*. Vid. omnino Doct. Stronck. l. l. et conf. Versio Knappii, Dathii, Mendelsohnii, Muntinghii et Cl. Palmii. Verbum est efficacissimum; exprimit enim plane fragorum vehementiam.

לַהֲבוֹת אֵשׁ pp. *flammas ignis* i. e. *ignitas*, quibus fulgura intelligenda esse, non opus est ut copiose demonstremus.

לֶהָבָה Masc. לַהַב pp. est: *flamma pura*, fumique expers, a לָהַב cogn. לאב Arab. *arsit*, *exarsit*. Ita in Mascul. לַהֲבֵי־אֵשׁ etiam occurrit *Jes.* LXVI. 15. quod Graece expressum reperitur *Act.* VII. 30.

אֵשׁ a rad. אשׁשׁ, *agilis fuit*, certo derivari, ait Alb. Schultens. *in dict.* MSS. *ad Hoseae* III. 1. Conf. Scheidii *Lexic.* in voce; qui a sono ignis exsilientis et scintillas evibrantis hoc verbum esse factum affirmat.

Ita hunc locum exposuit Schröderus: „Tonitrua, per montes Palaestinae septentrionales resonantia, tam crebris fulminibus conjuncta sunt, ut totum coelum ardere, et flammis relucere videatur."

Ver-

Versus 8.

Hic versus conjungendus videtur cum antecedente, qui unico tantum membro absolvitur, et re ipsa arctissime cum nostro versu cohaeret.

Animadvertenda est poëtica constructio, qua collocatum videmus verbum יָחִיל, quod, in priore hemistichio, postponitur nominativo, in altero autem, eidem est praepositum.

יָחִיל in praesenti tempore interpretamur. Est eadem orationis series, eadem tempestatis descriptio, ac vertimus adeo *tremefacit.* Vi scilicet tonitruum, aërem concutientium, desertum tremere videbatur. Est autem a חוּל, et cogn. חִיל, *torqueri*, *distorqueri*, hinc *tremendi* atque, in specie *Hiphil*, *tremefaciendi* exstitit notio. De hac voce dissertationem scripsit Aurivillius, quam edidit Michaëlis ordine vicesimam nonam, *Lips.* 1790.

מִדְבָּר *Desertum*, pp. est *locus*, *quo pecora pastum ducuntur*; a rad. דבר pp. *seruit*, *in seriem struxit*, *duxit serie nexa*; *eduxit pecora*: inde *locus quo pecora pascuntur*; qualia loca in *desertis*, ad agriculturam non idoneis, permulta esse, vel ex peregrinatoribus satis innotuit. Deinde ipsum *desertum*, aut sterilem locum significat. Quaeri autem possit, quodnam hoc fuerit desertum, cujus mentionem Poë-

ta

ta *h.* l. injecit. Schröderus hanc tulit sententiam:

„ A monte *Libano* tempestas proficiscitur
„ versus plagam Orientalem, sive *Arabiam Desertam*, quae Hebraice κατ' ἐξοχὴν *desertum*
„ dicitur; peractoque circuitu, tandem subsistit
„ in deserto *Cadesch*, sito ad Austrum *Palae-*
„ *stinae.*"

Ad quae tamen viri cel. verba observandum est, Poëtam non videri tam accurate desertum aliquod spectasse, ut ipsos ejus terminos mente distinctos habuerit; sed eundem potius, cum tempestatem vidisset, quae longe ad Austrum se converteret, *Arabiamque* peteret (1); *Petraeae Arabiae* desertum ob oculos habuisse. Hoc enim ad Austrum regionis Israëliticae situm erat, et interdum etiam poëtice pro tractu Australi occurrit. Vid. e. c. *Ps.* LXXV. 7. Quod quidem in priore hujus versus membro universe tantum indicat, cum dicit: *Fragor Jehovae tremefacit desertum*; deinde vero, Cadeschi *desertum* nominatim memorans, distinctius significat Poëta. Similis est ratio in vs. 5, ubi primum universe enuntiat Poëta: *Fragor Jehovae frangit cedros*; tum vero peculiari-

(1) Quod e priore sequentis versus hemistichio effici potest.

citer adjicit: *Immo, frangit Jehova Libani cedros.*

Versus 9.

קול יהוה יחולל אילות: *Fragor Jehovae cervas facit abortiri!* Cum nonnulli haec ceteris dignitate inferiora ducerent, verterunt: „ Fragor Jehovae dolore afficit, vel tremefacit „ Quercus." Vid. Lowth. *prael.* XXVII. in *Annot.* Verum enimvero Quercus, in plur. num. non אילות, sed ubique אילים, dicuntur. אילת autem est *cerva*, masc. איל, *aries*; a rad. אול vel איל. Conf. p. disp. 34. Atque verbum יחולל, in rariore specie Pihlel, significat: *abortiri facit.* Hoc enim verbum de *parturiendo* usurpatur, e. c. *Jes.* LI. 2. deque *partu cervarum*, *Job.* XXXIX. 4, ubi vid. Schultens. Praeterea *Chaldaeus* etiam haec verba ita reddidit: אליתא מבטין, Hieronymus: *obstetricans cervis*, Aquila: ὠδίνοντος ἐλάφους. Cf. Rosenm. in *Scholiis* ad h. l. et in *Ann.* ad Lowthi *prael.* XXVII. De partu hocce praematuro cervarum vid. Bochart. *Hieroz.* P. I. L. III. c. 17. In nostris quoque tractibus exempla sunt haud rara animalium, per tempestatum terrorem praemature parturientium.

Quod attinet ad verba ויחשף יערות, haec non-

nonnulli metonymice intelligunt, *de feris sylvas deserentibus*, alii, de *foliis arborum*, quibus *dorasis*, *sylvae* scilicet *nudae* viderentur; alii denique, de ipsis sylvarum *arboribus*. Verbum autem חשף pp. coll. dial. Arab. significat, *huc illuc movendo descalpere*. Vid. Scheidius in voce, coll. Schultens. ad *Prov.* p. 415; dein, *scalpendo nudare*, *Gen.* XXX. 37. Unde recte Venema ad h. l. vocis significationem exposuit: „ *deradere*, rasura crepante et stre„ pera, adeoque violenter." Quae etiam verbi vis apparet ex *Joël.* I. 7, ubi *vitis* dicitur חשף חשפה, *vehementer denudata*: ita nimirum, ut, fructibus, foliis, ramisque destituta, nuda plane appareat.

Sic quoque *Syrus* locum nostrum accepit, qui *sylvas* jacuisse dicit *eradicatas*. Neque igitur sylvas frondibus solum ac foliis arborum destitutas existimem: tempestatis enim vehementia, quae cedros frangere poterat, majorem iis cladem intulisse videtur; sed eas arboribus ipsis, vi fulminum ac procellarum fractis atque prostratis, ita orbatas fuisse, ut nuda apparuerint loca, in quibus arbores antea laete excreverant. In qua sententia versatur etiam Schröderus. Neque una tantum hic describitur sylva prostrata, sed quaecunque tandem sylvae conspici poterant. Nomen enim plurale, יערות, *sylvas*

significat, et derivatur a verbo יער, cogn. ער Arab. *ferbuit*, *bullivit*; hinc est יער ejusque femininum יערה, *fervor*; item *locus fruticibus et virgultis asper*, ac *salebrosus* iisque veluti *exaestuans*, sive *sylva*. Conf. Scheidii et Simonis *Lexica* invoce.

ובהיכלו, cet. Copula ו hic eam vim habet, ut respondeat Latino *dum*; quam vim ei tribuendam esse, notavit ad h. l. Schröderus; cum quia sequitur participium, tum quod eadem haec particula res connectit ad idem tempus pertinentes. Conf. ejus *Synt*. p. 432.

Nomen היכל de *Templo* hic adhiberi, nemo facile probaverit. Intelligitur manifesto aedes sacra, domus Jehovae, ejusque quasi *palatium*, quale erat aetate Davidis. Ita etiam alibi, veluti 1 *Sam*. III. 13. *Ps*. V. 8. XI. 4. Minus recte nonnulli coelum ipsum intelligunt, domicilium supremi omnium rerum regis, coll. *Ps*. XVIII. 7. et XIX. 2. Sed in nostro loco nihil est quod eo ducat.

Quod autem ad כלו attinet, proprie esset: *Complexus ejus*, i. e., pronomine affixo ad praecedens nomen היכל relato, omnes, quos complectitur aedes sacra. Indicantur ergo sacrae Israëlitarum turbae, quae simul cum *Levitis* et *Sacerdotibus gloriam Jehovae* celebrabant. Id vero non nuda enunciatione, sive prolata voce sola *gloriae*

fac-

factum esse videtur, sed cantu adhibito, ac pluribus verbis. Certe אמר de *cantu* etiam ac *celebratione* usurpatur, e. c. *Ps.* XLV. 2.

„ Canat utique gens Israëlis:
„ Quod in perpetuum durat ejus benignitas."

Versus 10.

Animadvertenda est constructio poëtica, ex qua verbum ישׁב, in priore hemistichio, post יהוה ponitur; in posteriore, hanc vocem antecedit. Sed de hoc ipso verbo nobis fusius agendum est. — Igitur cum ישׁב in forma praeteriti hic adsit, praeteriti temporis significationem retinuerunt ii viri docti, qui nomine מבול *Noachicum diluvium* designari existimarunt. Hoc voluit Rosenmullerus ad h. l. idemque Palmio V. Cl. videbatur commendabile; qui, ut alios taceam, assentientem habent summum Schröderum. Cujus viri sententia, memoratu omnino digna, huc redit. „ Deus graviores tempestates, tanquam omnium rerum arbiter, ita temperat et moderatur, ut illae non ultra modum saeviant et humanum genus pessumdent."

„ *Jehova ad diluvium sedit.*"

i. e.

i. e. diluvio praesedit, tanquam summus judex et arbiter; qui noluit integrum humanum genus interire, sed in mediis undis conservari."

„*Et consedit Jehova rex in perpetuum.*"

i. e. prout olim diluvio modum praescripsit, ita etiam deinceps imbres temperavit, tanquam supremus rex atque dominus, eosdemque temperabit per omne futurum tempus."

Quae sententia, quamvis nostro loco satis apta, nobis tamen videtur minore simplicitate se commendare. Verbum enim ישב recte in praesente tempore accipitur; quod ex serie orationis, in eadem descriptione versantis omniaque tanquam praesentia proponentis, satis efficitur.

Nomen autem מבול plerumque omnino *Noachicum diluvium* exprimit, neque haec significatio, si nostro loco admitteretur, imbris notionem excluderet. Verum haec nondum nos impediunt, quominus hac voce *pluviae lapsum graviorem* intelligamus. Derivatur enim a יבל, Arab. وبل, quod pp. significat: *vehementer propulit*, pecul. *imbrem effudit; copiose pluit*. Inde מַבּוּל pro מֻובָּל pp. *impulsio vehementior*, *diluvium*. Vid. Scheidii *Lexic.* in voce. Cum autem diluvium Noachicum nihil fere aliud fuerit nisi aquarum copia, ex ingenti pluvia-

viarum lapsu orta, Poëta, eodem hoc nomine adhibito, praesentis tempestatis effectus exquisite expressit. Probabile praeterea nobis non videtur, Davidem, cum imbres sibi animo repraesentaret, unice diluvium Noachicum memorasse; nihil vero de eo indicasse, quod ipsis oculis suis conspexerat. Nobis igitur Poëta praesentem pluviarum impetum exprimere videtur, dum dicit: *Jehova sedet ad diluvium*, i. e. Aquarum veluti diluvium afferens in terram, per pluviarum copiam (1).

Sedere autem; cum pp. judicibus in more esset; uti *alibi* saepe, ita hoc etiam loco de Jehova dicitur: cujus in aquis afferendis moderandisque potentia atque sapientia admiranda esset. Praesentis vero temporis significatione, quam verbo וישב tribuimus, *futuri* notionem contineri, e voce sequente לעולם satis fit perspicuum. — וישב יהוה, *Immo sedet Jehova*, cum emphasi repetitum est. *Sedet rex*, tanquam omnium rerum dominus atque gubernator. Jehovam autem regem esse, saepissime agnovit atque professus est regius poëta. Vid. *Ps*. V. 3. LXVIII. 25.

(1) De hisce vid. Volney l. l. Vol. I. p. 330. edit. V. „Ces *ondées violentes*, qui suivent les grands coups de tonnère, et qui arrivent de préference à la fin des orages etc."

25. et imprimis *Ps.* XCIX. 1. — *Sedet rex perpetuus.* Vox enim עולם tempus designat diutissime durans, cujus terminus *occultatur*, a עלם Ar. علم, *signum impressit*, tam ad distinguendum, quam ad claudendum, ex qua posteriore notione usus *occultandi* apud Hebraeos." Sunt verba cl. Paravii in *Comm. Job.* p. 140. Conf. Schultens. *de defect. Ling. Hebr.* §. 168.

Versus 11.

Praeter verborum hujus versus ordinem, minus intricatum quam poëticum, duo verba animadvertenda sunt יתן et יברך, *futuro* quidem *tempore* expressa, sed ad praesentem rerum conditionem depingendam unice composita (1). Hine ergo utrumque etiam verbum in praesenti interpretati sumus.

Prius hemistichium pp. esset: *Jehova praebet robur suo populo*, i. e. Jehova suo populo vi-

(1) Haec sunt vestigia illa infantilis quasi simplicitatis in Hebraeo sermone observanda, qui nulla continet certa distinctorum temporum indicia, ut ait cl. Paravius *de Myth. S. C. interpr.* p. 210. Cf. Herder, *Geist der Hebr. Poësie* T. I. et idem: *Uber den Ursprung der Sprache* p. 95 et 96. Vol. II. Edit. 1827.

vires addit auxiliumque praestat, et potentia sua eum defendit atque tuetur, coll. *Ps.* XXVIII. 7-9. LXXXVI. 16. LXVIII. 36.

עם h. l. esse *populum Israëliticum*, peculiari Jehovae regimine beatum, non opus est ut multis exemplis probemus. Saepius populus Israëliticus עם יהוה, *Gens Jehovae*, dicitur, e. c. 2 *Sam.* I. 12. i. e. gens uni vero Deo Jehovae sacra.

ברך pp. est *genua flectere*; hinc *flexis genibus* bene *alicui precari: largiendi* autem significationem ideo accepisse videtur, quod qui bene precatum salutatumque veniebant antiquitus, munera solebant afferre. Vid. Simonis *Lexic.* ex edit. Eichhornii, in voce.

שלום, quod pp. est *integritas*, derivatur a verbo שלם, Arab. transit. *paravit rem* sc. ad suam perfectionem; intransit. *paratus*, *absolutus*, *integer fuit*. Hic vero שלום non tantum *salutem* aut *incolumitatem*, sed etiam, idque potissimum, *securitatem* indicare videtur. Effici potest hoc, cum ex sententiarum parallelismo; opponitur enim Jehovae *tutela*; tum ex ipsa carminis ratione: „ Dum omnia concutiuntur, populus Jehovae salvus est atque securus."

Alios video *futura* יתן atque יברך, *optativo* sensu accepisse, ,, utinam Jehova" etc. Alios, sola

sola *futuri* significatione. Quid vero magis cum carminis ratione conveniat, penes lectores judicium esto.

Sensus huc redit: „ Dum toti naturae terrorem incutit Jehova, simul defendit ac tranquillum utrumque servat populum suum; ita quidem, ut huic nihil timendum sit. —

PO-

POËSEOS RATIO.

His jam pro virium mearum tenuitate ad finem perductis, laetiores nos campi exspectant. Superest enim, ut de poëtica Carminis ratione dicamus. Quod tanto aggredimur lubentius, quanto plures poëseos dotes in eo animadvertimus. Quae singulae cum ejus praestantiam *luculenter* indicant, tum una sublimitas eam plane conficit. Ad hanc enim ejus ducunt virtutes, hanc totum omnino carmen *spirare* videtur. Quod cum ita sit, primum nobis liceat universe nonnulla de sublimitate monere; ita tamen, ut, quoad ejus a nobis fieri possit, quandam illius notionem adumbremus, quae comes nobis sit atque dux futura, in perlustranda sublimi hac tempestatis descriptione.

Hoc nimirum sublime vocamus, quod eodem se-

fere momento, quo inferiores animi nostri sensus deprimit, simul praestantiorem animi extollit naturam.

Duo vero, ratione habita facultatum animi inferiorum, sunt genera sublimitatis.

Unum oritur ex obruta imaginatione per rerum sub sensus cadentium vim et magnitudinem.

Alterum ex depressa nostra *sensuali* natura per repraesentationes rerum moralium, aut per morales affectus. In utroque hoc genere habetur veluti victoria sensus moralis de inferioribus animi facultatibus deportata. Victoria hominis de se ipso!

Sic Oceanus immensus, Montes peralti, Moles magna, Spatium infinitum, Vis quaedam ingens, et quaecumque alia similia censeantur, imaginationem fere obruunt et deprimunt; dum hac tamen ipsa depressione nostram sentimus prae his omnibus libertatis efficaciam, nulla rerum externarum vi aut magnitudine compescendam. Sic etiam omne, quod divinum, quod praestans, quod virtute excellens est; sive affectus sit, sive res in facto posita, seu denique actio, sensualem nostram deprimit naturam; sed, hac ipsa depressa, excitatur atque extollitur sensus noster moralis, libertatis sensus. Prius illud nos quodam dolore, posterius hoc nos divina quadam voluptate afficit; verum in *utro-*

quo

que eo *conjuncto* sublimitatis sensus constat (1).

Utrumque vero sublimitatis genus uti universe in multis Hebraeorum carminibus, ita praesertim in nostro carmine dominatur.

Si vero quaeramus, unde factum sit, ut Hebraeorum poëtae prae aliis Orientalibus et Occidentalibus, Graecis etiam atque Romanis, sublimitate eminuerint; hoc non modo tribuendum videtur eorum phantasiae, rebus sensus ferientibus facilius commotae, eorumque affectibus vehementioribus; sed indoli maxime eorum nativae, proprioque eorundem ingenio, ad sublimitatis sensum exprimendum valde compositis; praecipue autem in eo cernitur vis religionis, cujus notitiae divinitus iis quasi erant incussae (2).

Nulla autem sunt naturae phaenomena, quae ab antiquissimis inde temporibus homines magis per-

(1) Haec breviter de *sublimitate* praemonuimus; non aeque ac si Longini, Mendelsohnii, Lowthi, Schilleri, aliorumve de sublimitate expositiones abrogare videremur, sed, quia nulli horum prorsus assentiri potuimus, hanc nobis probabiliorem visam sententiam proposuimus. In qua equidem eo lubentius acquievi, cum, hisce jam scriptis, cognoverim J. F. L. Schröderum V. Cl. hujus sententiae defensorem, *in Oratione* Belgice scripta: *de sublimitatis sensu*; quae reperitur in *Vaderl. Letteroef.* anni MDCCCX, p. 129 seqq.

(2) Conferri meretur Lowthi *Prael.* VIII.

percellerent et extra se raperent, quam tempestates (1); nulla, quae sensum sublimitatis magis excitarent et elicerent, quam haec naturae magnifica spectacula. Quodsi igitur respiciamus ad ea, quae de sublimitate ejusque caussis apud Hebraeos attulimus; si reputemus tempestatum Palaestinensium impetum; si denique perpendamus, Hebraeos in his ipsis Jehovam praesentissimum videre sibi fuisse visos: mirum profecto nobis accidere non potest, tantam apud eos in poëticis tempestatum descriptionibus reperiri sublimitatem.

In iis autem Hebraicae poëseos monumentis, quae in tempestatibus depingendis versantur, nullum mihi obvenit, quod illa omnia, quae sublimitatis sensum movere solent, tam conjuncta et veluti cumulata contineret, quam hocce carmen *Davidicum*; nullum, quod, tam gravi dictione, tanta brevitate, tam exquisito denique luminum delectu, talem rerum copiam oculis proponit animique sensibus objicit, quam nostrum illud eximium antiquae poëseos monumentum.

Superest igitur, ut in hac disputationis parte de iis omnibus, quae modo indicata sunt, agamus. Haec enim carminis praestantiam plane con-

(1) Vid. Cl. J. H. Pareau, *Comm. Job.* p. 261.

conficiunt. At, quamvis hisce cunctis arctissimum intercedat vinculum, omnia tamen simul explicare non commode possumus. Itaque potius eorum, qui ea in re maxime versati sunt, insistentes vestigiis, primum attendemus *habitum* atque *colores* carminis; deinde ejus *indolem*, quae sublimem illam continet tempestatis descriptionem, enucleare conabimur. Eo enim liberius totam tempestatem descriptam persequi poterimus, quo minus singulis orationis luminibus spectandis detinebimur.

Quod igitur stylum Hebraeorum poëticum a prosa oratione perpetuo distinguit, est sententiarum, qui dicitur, parallelismus (1). Ad quodcunque enim argumentum adhibebant eum Hebraei poëtae, sive suavius canerent, sive sublimius vocem efferrent. Cumque singulos carminum versus in membra quaedam dividerent; ipsis versuum sententiis iterandis, variandis, vel augendis, mirabilem saepe carminibus conciliarunt gratiam: sed haud raro etiam iisdem summam tribuerunt gravitatem, quae ad sublimitatem valde composita esset.

Quod quantopere in nostrum carmen quadret,

(1) De cujus origine, ratione et vi vid. Lowth. *Prael.* XIX. et ejusdem *Praef. in Jesaiam*, coll. Cl. Pareau, *Interp. V. T.* p. 429-431.

dret, dictu est difficile; omnis enim orationis efficacitas, omneque pondus per hunc parallelismum augentur mirum in modum. Quis enim est, ut paucis tantum in hoc genere utamur, qui in initio jam Carminis, ubi *synonymus* dominatur parallelismus, non percipiat repetitionis illius efficacitatem:

„ Date Jehovae, Filii Principum.
„ Date Jehovae gloriam et decus!

Quid? quod in hisce:

„ Fragor Jehovae frangit cedros —
„ Immo frangit Jehova cedros *Libani!*

eandem rem non tantum per repetitionem, sed per *Libani* etiam in altero membro augmentum, gravissime videamus expressam.

Idem etiam in illis cernitur, ne alia proferamus;

„ Fragor Jehovae tremefacit desertum —
„ Tremefacit Jehova desertum *Cadeschi*!

Sed non solum in *synonymo* parallelismi genere, quod per plurimos Carminis versus migravit, verum in *synthetico* etiam componendi modo, quo variae sibi invicem respondent sententiae,

tiae, sola fere constructionis forma similes, hanc orationis efficaciam observare licet; cujus generis memorabile reperitur exemplum vs. 9:

> Fragor Jehovae cervas facit abortire —
> Sylvasque nudat arboribus —
> Dum in ipsius sanctuario quisque dicit: Gloria!

Sed totum carmen repetendum esset, si omnia singulatim notaremus, quae sive ex *Synonymo* sive ex *Synthetico* parallelismi genere efficaciam dictionis augent mirifice; ita quidem, ut, per hunc membrorum parallelismum, non modo nihil de sublimitate Carminis sit detractum, sed ut potius ipsa haec sublimitas per sententiarum parallelismum aucta sit, eamque ita majore in luce positam videamus.

Atque haec quidem de sententiarum parallelismo poëtico, quatenus ad carmen nostrum spectat, dicta sufficiant. De tertio enim parallelismi genere, quod *Antitheticum* vocatur, quodque in Proverbiis maxime cernitur, non opus est ut aliquid dicamus. Ejus nullum in nostro carmine exemplum reperimus. Sed hoc, oblata opportunitate, animadvertere cupimus, non tantum in Carmine frequentes esse sententiarum repetitiones, ad parallelismum poëticum referri solitas, verum etiam quarundam vocum singula-

rum repetitiones occurrere: quae quantum ad Orationis pondus valeant, dici vix potest. Huc imprimis pertinet, quod septies *Fragor Jehovae* occurrit. Quibus tamen repetitionibus non tantum tribuerim, ut mystici aliquid iis subesse existimem (1). Agnoscimus vero lubentissime, non tam persuadendi, quam quidem percellendi, vim hisce repetitionibus esse insitam. His cunctis, quae pleraque strictim enumeravimus, accedit subita illa personarum mutatio; quae cum in plurimus versibus obtineat, dictionis efficacitatem ad fastigium fere adducit.

Ita E. G. vs. 3. dicitur:

Fragor Jehovae super aquas —

in ultimo autem membro,

Jehova super aquas magnas.

vs. 4. Fragor Jehovae frangit cedros,

Jehova frangit cedros Libani.

vs.

(1) Quod Michaëlidi placuit, in Epimetro ad Lowthi prael. supra laud.

vs. 7. Fragor Jehovae tremefacit —

Tremefacit Jehova, cet.

Est itaque in sententiarum distributione atque universa dictione vis permagna, in repetitionibus gravitas summa; quae, in ipsa etiam repetitionum redundantia, summam brevitatem sibi adjunctam habet.

„Hebraei enim, si universa spectes, sunt largi, copiosi, uberes; si singula, parci, restricti; subinde addendo amplificant; tota quidem res fuse interdum tractatur, sed iteratis crebrisque et per omnia brevibus et nervosis sententiis, ut nec copia, nec vis desit (1)."

Quae quidem, verissime observata, in totum nostrum carmen recte quadrare videntur, ut carmen hocce haberi possit summae brevitatis, cum magna rerum copia conjunctae, exemplum insigne. Quae cum postea, si totius carminis sublimitatem tractabimus, clarius patefacienda sint; hic tamen pauca quaedam tangamus, quae strictissime et simul copiosissime dicta sunt. In eo igitur genere eminent haecce:

Fragor Jehovae vi ejicit flammas ignitas.

Ubi

(1) Est haec Lowthi *Observ.* vid. ejus *Prael.* XXVII. p. 262.

Ubi, uno celerrimo ac brevisſimo ictu, fulgura flammantia omni vi oculis quaſi objiciuntur. — Item:

Fragor Jehovae cervas facit abortire,
Sylvasque nudat arboribus. —
Jehova ſedet terram inundans!

Cujus quidem concinnitatis atque brevitatis cauſam esſe vehementisſimum Poëtae affectum, non dubitamus (1). Alioquin enim quis tandem intelligat, tantam rerum copiam, tam *brevibus ſententiis*, ipſasque illas ſententias, tam *paucis verbis* exprimi potuisſe? Non aliter pictor, varios colores in tabulam quaſi projiciens, paucis penicilli ſui lineis, mirum in modum nos percellit. Sed non ſolo *pingendi modo*, *colorum* etiam *vigore* nos pictor movere poteſt: movetque nos itidem utraque re nostri carminis auctor.

Quos tamen poëticos hujusce carminis *colores*, quo nomine imagines ejus vocare licet, non anxie nobis quaeſivisſe videtur Poëta, ut illustrarent et amplificarent ſuam deſcriptionem; quos ſenſibus antea conceperat, hos ſummo in affectu arripuit, dum vires vitamque per eos deſcriptioni addit (1).

Da-

(1) De *imaginum origine* eximie egit LOWTHUS. *Prael.*

Davidi autem, viro Orientali, qui ingenio esset fervidior rebusque in sensus incurrentibus facile commotus, non vitio vertendum esset, si in utendis imaginibus audacius subinde simulque luxuriosius versatus fuisset. At vero hac in re minime censendus est peccasse Davides. Aptam enim hoc in carmine audaciam suspicimus, nullam animadvertimus luxuriam nimiam. Imagines, tanquam affectuum auxiliatrices, sic adhibuit Poëta, ut earum ope dictionis et carminis ipsius sublimitatem mira quadam ratione auxisse videatur. Quae primum occurrit imago, est Metaphora, eaque non adeo audaciam, sed potius gravitatem spirans. Metaphorice enim formulam, quae vs. 2. occurrit, *adorate Jehovam in vestitu sancto*, accipiendam esse, indicavimus supra. Cum autem *vestitus* ille *sanctus*, proprio sensu, *sacris Jehovae ministris* adscribendus sit, majorem dignitatem habet nostro loco translata formulae significatio (1), qua *principes populi*

Prael. V. 62 seq. De earum *fontibus*, quos statuit *quatuor* apud Hebraeos, vid. *Prael.* VI—IX. Conf. tamen Cl. Pareau *Instit. Interpr. V. T.* p. 228—239.

(1) Conf. Lowth, *Prael* VIII. p. 94. et Herder, qui in opere, *vom Geist der Hebräischen poësie*, T. I. p. 323 Edit. *Justii*, haec habet: „Da der ganze Staat priesterlich, da auf Opfer und Heiligthum alles gegründet war, so kleidete sich auch die Dichtkunst in

li admonentur, *in sancto vestitu Jehovam adora-re*, aeque ac si *Sacerdotes* essent, atque adeo Deum toto animo venerari, eamque venerationem coram aliis luculenter demonstrare. — Quam gravi et sublimi modo haec dicuntur! Qualis ad sanctum Jehovae cultum exhibendum exhortatio! — Altera, quae in Carmine mox elucet imago, est Comparatio; eaque brevissima simulque et audax et perquam apta, in cujus usu ingenium Orientalis poëtae haud difficulter agnoscas. Davides enim, postquam tempestatem in *Libano* saevientem depinxit, pergit vs. 6.

Has (cedros) facit subsilire, ut vitulum —
Libanum et Sirium, ut pullum bovis feri.

Quaeri potest, utrum tota haec res per solam imaginem proposita sit, atque adeo ex Orientalium poëtarum hyperbolico loquendi genere dijudicanda, an vero in ipsa veritate nitatur? Nobis utrumque videtur quodammodo conjungi posse. Quando enim reputamus tempestatum in Palaestina vehementiam; cum montes cogitamus altissimos, in quibus omnium gravissimae esse so-

in allem Schmuck der Priester." Et T. II. p. 129: „Die Bilder der edelsten Würde wurden vom Schmuck der Priester genommen," etc.

soleant tempestates (1), et quorum arbores, partim fulgurum ictibus fractae, partim ventorum ac tonitruum vi agitatae fuerint: tum nobis non valde mirum accidit, hos ipsos montes, tremulo undabundoque motu moveri fuisse visos (2)? Poëtam autem his montibus saltum aliquem affinxisse, ob terrorem, quem singulis rebus tempestas incuteret, hoc sane nobis veri videtur dissimile. Est tamen hoc loco aliquid simul confictum et e vivida Poëtae imaginatione petendum. Adest enim vituli saltantis bovisque feri comparatio. — Hanc vero imaginem, ex nostra cogitandi sentiendique ratione dijudicatam, nimis forsitan audacem haberemus; immo displiceret magnopere illa *vituli* commemoratio. Si vero reputemus, summum esse Orientalibus phantasiae vigorem magnamque adeo in utendis imaginibus licentiam; si

(1) Quod exteris etiam poëtis haud incognitum fuit:

„ ——— ——— ——— ille flagranti
„ Aut Atho aut Rhodopen aut alta Ceraunia telo
„ Dejicit" etc. Virgil. Georg I. 331 seqq.

(2) Qui terrae motum statuere malint, perpendant, illi interpretandi ratione multum de tempestatis vehementia detractum iri. Accedit, quod in Carmine hujus terrae motae mentio non reperitur. Sententia, quam nos proposuimus, confirmatur iis, quae leguntur apud Dervillam; *Godgel. Natuurkunde*, p. 143.

si cogitemus, eosdem Orientales, ipsumque praecipue Davidem, qualiumcumque animalium imaginibus valde delectatos fuisse; si denique teneamus, comparationis tertium, quod a rhetoricis dicitur, unice in saltu horum animalium positum esse: elata, magnifica, sublimis nobis censebitur imago. Simili comparatione utitur Poëta *Ps.* CXIV. 4.

Subsilierunt montes, ut arietes,
Colles, ut agniculi.

Summam denique majestatem prae se fert totum hocce carmen per continuam Jehovae potentissimi inductionem, qua eum proponit Poëta super Mari tonantem, Libani cedros frangentem, desertum tremefacientem, sylvasque destruentem, ac tandem regis ad instar in throno coelesti sedentem indeque terram aquis inundantem. Quales Dei inductiones poëticae tantum aberant, ut a religione damnarentur, ut potius per ipsam illam religionem variis modis alerentur atque excitarentur (1).

Verum hic abstinendum est. Quo ulterius progredimur, eo magis arctissimum vinculum animadvertimus, quo haec omnia cum universa tempestatis descriptione copulantur. Hanc igitur

(1) Vid. J. H. Pareau, *Instit. Interpr. V. T.* p. 439.

tur nunc totam perlustrare cupimus. Cum enim et poëticam dictionem et lumina Carminis huc usque adumbrare conati simus, ordo, quem nobis praescripsimus, postulat, ut Carmen quasi particulatim lustrando, de ejus sublimitate paullo fusius agamus.

vs. 1—3.

Exordium hocce, quamvis ad ipsam tempestatis descriptionem non proxime pertineat, eo tamen vinculo cum illa conjunctum est, ut et in exspectationem summam nos ducat de eo quod eventurum sit, et subito quasi ictu feriat. Hoc enim est Lyricae Poëseos proprium, ut, si quis sensu abreptus canat, non primun rem narret, sed, quid sentiat, quid velit, aut fieri cupiat, *verbis exprimat* (1).

Principes nimirum, sive Magnates, quicunque tandem sint prae ceteris eminentes, extemplo a Poëta excitantur, ut Jehovam, gloria veluti et decore indutum, agnoscant et celebrent, coram illo se prosternant, illumque sancte adorent!

Enimvero non solum percellimur gravissima il-

(1) Sunt haec verba Doct. L. G. Pareau, *in Comm. de* Togrāji *Carmine*, p. 84.

illa oppositione, inter *Jehovam* omnibus infinito superiorem hominumque *Principes*, sed percellimur etiam Poëtae vehementi affectione, cum canendi fecit initium; sentimus, quae tum ille sentiebat; nam ad eam animi altitudinem nos rapit, ad quam ipse intimo venerationis sensu erat adductus. —

Eandem apprime efficaciam habet *Ps.* XCVI. 9, et imprimis *Ps.* XCIII. 4. ubi in saeviente procella Jehovam ita veneratur Poëta:

Prae sonitu aquarum —
Prae agitatis fluctibus Maris —
Verendus est Rex summus Jehovah!

Digna etiam sunt, quae hic conferantur, Elihui in Jobeide verba, prolixiore quidem modo prolata, sed sensum illum venerationis erga Deum in tempestate apparente plane exhibentia. Sic ergo ille (1):

Numini adest formidabile decus —
Magnificus robore judicioque!
Excellens justitia, rationes non reddet!
Igitur metuant eum, quotquot hic adsunt.

Vs.

(1) *Job.* XXXVII. 22[b] seqq. Utor autem, ut in aliis, interpretatione Paravii V. Cl., quae ad manum erat.

Vs. 3—4.

Jam statim in ipsius tempestatis descriptionem incidit Poëta. Mare nobis ob oculos continuo ponit permagnum, super quo *fragor sonat Jehovae!*

Tempestas nimirum, ab Occidente ingruens, Mari incubat; ex quo, fragores ejus longissime possunt audiri. *Tonat* e longinquo *Deus gloriosus!* Jehova enim, cum sit appariturus, gloria indutus est. —

Jehova regnat!
Magnificentiam induit —
Induit gloriam Jehova!
Majestate se accingit! (1.) —

Neque igitur tantum auribus percipiuntur fragores tonitruum, sed vero oculis subjicitur ipse Deus agens, tonans. *Jehova super aquas magnas!*

Hic rerum altitudinem quis non sentiat! Immensa spatia Maris, quae imaginatione frustra complecti conamur, ut et horrendi tonitruum super Mari fragores, nos penitus confundunt; dum idem hocce naturae spectaculum venerationis sensum nobis inji-

(1) *Ps.* XCIII. 1.

jicit, Jehovae exhibendum potentisſimo. Simul igitur evehimur, ſentimus idem cum Poëta; noſtrumque animum

— divina quaedam voluptas
Percipit atque horror. (1)

Sed manet in Mari tempeſtas. Ita enim Poëta in fragoribus deſcribendis pergit:

Fragor Jehovae est validus!
Fragor Jehovae est venerabilis!

Quae ſuſpicari nos ſinunt, tempeſtatem paullo propius acceſſiſſe ad Libanum. Nunc enim fragorum demum percipitur ſingularis vehementia,

Fragor Jehovae est validus!

At majora etiam ex paucis hiſce verbis efficere poterit lector attentus. Etenim non tantum in iis naturae videbit convenientiam, quod ad tempeſtatis deſcriptionem attinet, ſed etiam veluti introſpiciet in Poëtae animum, maxima admiratione perculſum. Admirationis enim ſummus affectus effecerat, ut haec effunderet poëta:

Fragor Jehovae est validus!
Fragor Jehovae est venerabilis!

Ita

(1) Lowth. *Prael.* VIII.

Ita etiam *Ps.* LXVIII. 34.

Vocem ſuam edit, vocem majestatis!

Id autem nobis indicio est, Poëtam ita in ſpectaculum illud magnificum oculos habuisſe infixos, atque ſic affectum fuisſe potentia et majestate Jehovae, ut non posſet non hos animi ſui affectus exprimere: quod tamen mira quadam brevitate fecit.

Brevia item ſunt et ſublimia illa Virgilii:

— — Ponto nox incubat atra,
Intonuere poli — cet.

Sed ea Davidicae deſcriptionis magnificentiam ac majestatem minime attingunt. Est enim hujus *ſublimitatis* cauſa in religionis ſenſu intimo ſita, quem nobis Poëta veluti inſpirare videtur. Haec igitur Davidica humanas res e nostra memoria fere expellunt, eumque in nobis ſublimitatis excitant ſenſum, quem ſancta rerum divinarum movet recordatio.

Contulisſe juvat egregiam tempestatis deſcriptionem in Jobeide obviam, quae in tonitruum fragoribus depingendis incomparabilis est: (1) At-

(1) Cap. XXXVII. 2 ſeqq.

Attente auſcultate vocis divinae fragorem !
Voce diu protracta edit mugitum —
Intonat voce majestatis ſuae !
Nec quis asſequatur ejus vocem quam audit.
Voce ſua intonat Deus mirabilem in modum !
At ipſum divinae majestatis tonitru quis coram ſustineat ! (1)

Vs. 5.

Huecusque glorioſe, etſi procul, e Mari ſonabant fragores divini, ſed a Poëta ita deſcripti, ut

(1) Cap. XXVI. 14. — Afferre liceat tempestatis deſcriptionem, quam dedit nobililisſimus poëta, Klopstock, et quae, ſi ſublimitatem ſpectes, est profecto eximia.

„ Wolken ſtrömen herauf !
„ Sichtbar ist der, kommt der Ewige !
„ Nun ſchweben und rauſchen und wirbeln die Winde !
„ Wie beugt ſich der Wald ! wie hebt ſich der Strom !

— — — —

„ Langſam wandelt die ſchwarze Wolke,
„ Seht ihr den Zeugen des *Nahen* den zückenden Strahl !
„ Hört ihr *Jehova's* Donner !
„ Hört ihr ihn, Hört ihr ihn,
„ Den erſchütternden *Donner* des *Herrn* !

* Vid. Carmen cui titulus: *Frühlings - morgen* ; e quo haec deſumſimus.

sit proximi viderentur. Nunc vero tempestatis effectus propiores indicant, eam e Mari in Continentem se convulisse.

Fragor Jehovae frangit cedros.
Immo frangit Jehova cedros Libani. —

Quod physice quidem defendi non posset, poëtice potest. Leges enim physicas non curat Poëta, qui res ita depinxerit, quales ipsius animo vehementer commoto videbantur! Fragorum vim maxime fuerat expertus. Fragores cum fulminibus, arbores frangentibus, quam proxime erant conjuncti! Improbabile tamen minime nobis videtur, procellam quandam graviorem hujus tempestatis comitem fuisse, quae, pariter ac fulmina, longe lateque stragem arboribus intulerit. Hanc autem ventorum vim in summo animi affectu non commemoravit Poëta (1).

Cedros tantum adspicit fractas, ipsas Libani cedros, quamvis firmas atque proceras! Libani enim altis montibus omni mole incubat tempestas: atque in hos montes gravitatem suam omnem exonerare videtur.

Ec-

(1) Talem vero memorat procellam in sublimi illa, quamvis ficta, tempestatis descriptione, *Ps.* XVIII. 11.

„ Vehebatur (Jehova) Cherubis et volabat,
„ Et super venti alis ferebatur!" Cf. *Ps.* XCIX. 1.

Ecquis igitur est, quem haec rerum externarum vis ac magnitudo non concutiat et quasi deprimat, sed cujus in animo simul non excitet sensus sublimes, quibus ipse Poëta movetur, dum Jehovam videt aliisque monstrat in hac naturae perturbatione agentem omniaque efficientem! Cum hoc autem loco conferri meretur Vates sublimitate insigni eminens, *Nahumus*, ubi in eximia sua tempestatis descriptione haec canit:

Languent Basanus atque Carmelus,
Quaeque crescunt in Libano, languent (1).

Nostri vero loci majestas incomparabilis in eo maxime cernitur, quod ipse Jehova agens inducitur. (2)

Manet quidem in Libano tempestas, sed simul in *Sirium* saevit, altissimum illum montem Libano oppositum. (3)

Nunc

(1) Cap. I. 4. ad quem locum vid. omnino doctissimum Kreenii Specim. Acad. *de Nahumi vaticinio* p. 65.

(2) Vere Lowthus, *Prael.* XVI. inquit, „Dei magnitudo, potentia — — sunt argumenta, in quibus perpetuo et semper digne versatur, in quibus plane triumphat Hebraeorum poësis!"

(3) Quem ad Austrum profectura tempestas transgredi debuit.

Nunc vero majus etiam spectaculum, ex majore tempestatis gravitate ortum, nostris oculis objicitur; cum Cedri Libaniticae, ipsique montes Libanus et Sirius, animalium ad instar, subsiliant. (1)

Quam vivide, quam rapide, hunc tempestatis furorem per imaginem expressit Poëta! Quantopere nosmet ipsi nobis videmur huic saevienti tempestati adesse, omnemque ejus gravitatem sentire! — Hos enim montes tremefactos, eorumque arbores firmissimas concussas dum cogitamus, obruitur dejiciturque imaginatio nostra, quae sustinere talia nequeat! Verum erigimur simul per religionis affectum, e sensu Jehovae praesentissimi oriundum! — Hoc verae est sublimitatis. — Ejusmodi etiam affectus auctor *Jobeidis* excitat, cum Deum in gravissima tempestate *inducit* appariturum:

En, montes evellit, nec opinantes (dum advenit)
Eos suo halitu subvertens! —
En, terram tremefactam quatit ex suo loco!
Ejusque columnae pavide obstupescunt! (2)

Hunc

(1) Conferri cupimus, quae diximus supra p. 70 seqq.
(2) Cap. IX. 5 s. q.

Hunc sensum etiam fovit *Nahumus*, cum ita caneret:

Montes per eum concutiuntur —
Et colles huc illuc moventur —
Subsultatque terra, ad ejus conspectum! (1)

Vs. 7.

Jam satis diu cum in illis montibus saeviisset tempestas, eos reliquit et propius, ut veri simile est, accessit Hierosolymam. Nunc ergo fulmina volitant, et flammae sparguntur ignitae! Hoc videt, hoc arripit Poëta. Nec tamen ista fulgura, quae visum mortalium auferre minitantur, diu sustinet, iisve longe depingendis immoratur. Uti enim ea celerrime eunt, ita vultum ab iis ipse subito avertit. — Sed breviter tamen rem attigit: eoque factum est, ut horror praesentissimae tempestatis penitius nos supprimat.

Fragor Jehovae vi ejicit flammas ignitas.

Hinc demum intelligitur, quanta fuerit tempestatis vehementia; qua tam subito se excipiebant fragores atque fulmina, ut, quid prius, quid pos-

(1) Cap. I. 5. cf. etiam *Ps.* LXVIII. 17.

posterius esset, dignosci non posset. Ideo Poëta fingit haec fulmina per fragores ejecta, cum proprie ex atris nubibus in se invicem invectis proficiscantur perque totum coelum reluceant. Accedit vehementissimus Poëtae affectus, quo abreptus haec effudit. Mirum igitur nobis non videtur, eum ipsos fragores proposuisse, qui fulmina ejicerent.

Fusius haec noster, ac sublimi etiam modo, in carmine supra laudato descripsit:

Tenebras ponebat sibi ut latibulum
Circum se, ut tentorium sibi
Caliginem aquae, densa nubium!
Mox a fulgore ejus adventantis nubes diffugiebant.
Grando cadebat prunaeque ignitae!
Intonabat in coelis Jehova!
Altissimus fragorem suum edebat!
Emittebat sua tela ac disjiciebat,
Quassabat fulmina ac propellebat citissime. (1)

Sed brevissime Elihuus:

Jam enim nonne conspicitur fulmen?
Rutilat illud per aethera! (2)

Ele-

(1) *Ps.* XVIII. 12 seqq.
(2) *Job.* XXXVII. 21. cf. etiam Cap. XXXVI. 30. ubi dicitur:

En, supra se diffundit fulminis sui lumen,
Dum mare ad ima usque tenebris obtegit.

Eleganter et splendide omnino hoc fulmen descripsit Amralkeis, sed magnam sublimitatis laudem ejus descriptio mereri non videtur: (1)

— — Videsne, o socie mi, fulmen,
quod tibi commonstro sic emicans, ac
si manibus vibraretur e nube circumaggesta in cumulum!
Cujus splendor *omnia illuminat*; estque adeo,
ac si plures lucernae accensae essent a monacho,
Qui profuse instruxerit oleo ellychnia bene ex
lino contorta! (2)

Cum nostris autem conferri quodammodo possunt Ovidiana illa:

Ecce Deûm genitor rutilas per nubila flammas
Spargit! — —

(1) Sublimitate Hebraeis multo sunt inferiores Arabes.

(2) *Moallakah* vs. 68 sqq. Uti mihi licuit versione Cl. Pareau, quae, cum haec typis praepararentur, in lucem edita est. Vide ejus *Comment. de Amralkeisi Moallakah*, p. 72. Praeterea tota haec descriptio imaginibus operose exactis referta est; in his nimirum luxuriari solent Arabes prae Hebraeis.

Vs.

Vs. 8.

Non lento gradu procedit tempestas, sed volat, dum per gravissimam procellam ad Cadeschi usque desertum propellitur. Neque tamen ejus impetus diminitus est; nam:

Fragor Jehovae tremefacit desertum —
Tremefacit Jehova desertum *Cadeschi!*

Quae nonnulli de metonymica hujus loci ratione protulerunt, ac si *homines* aut *animalia deserti* essent tremefacta, non vero ipsum desertum, nobis non magnopere placent. Sacris enim, ac praestantissimis etiam Graecorum Romanorumque poëtis, hoc maxime solemne est, ut terram, vel similia per tempestates tremefacta esse canant.

Ita Davides alibi in tempestate:

Tunc tremebat et concutiebatur terra —
Ac fundamenta montium quassabantur!
Tremebant — nam Ille erat iratus! (1)

Et Aeschylus:

χθὼν

(1) *Ps.* XVIII. 8. cf. LXVIII. 9. CIV. 32. *Jerem.* IV. 24.

Χθὼν σεσάλευται. —
Βρυχία δ' ἠχὼ παραμυκᾶται
Βροντῆς — κ. τ. λ. (1)

Tellus concutitur —
Sonusque rugiens reboat
Tonitrui.

Eodem modo Virgilius:

Ipſe Pater — — —
Fulmina molitur dextra, quo maxima motu
Terra tremit. (2)

Non itaque mirum videatur, Davidem hoc loco deſertum ipſum deſcripſiſſe tremefactum, aut certe tonitruum vi ita concusſum, ut tremere videretur. Hoc enim poëtae est imaginatione vivida praediti.

Quae autem his inest poëſeos praestantia, dicam? an efficacitas, hanc comitatur proxime ſublimitas atque majestas: nam cum per tremefacti deſerti contemplationem imaginatio nostra obruatur, eo ipſo penitus percellimur; ſed libe-

(1) In Jovis irati deſcriptione, *Prometh. Vinct.* vs. 1080 ſeqq.
(2) *Georg.* I. 328 ſqq.

bere simul in altum evehimur per cogitationem illam: hunc motum Jehova cievit! — Ecce autem subito in aliud abripimur spectaculum:

Fragor Jehovae cervas facit abortire!

Tam graves sunt fragores et tanta est fulgurum vis, ut cervae abortum patiantur metu compulsae (1). — Quae dum legimus, nescio, quid nos magis moveat, tempestatis vehementia, an poëtae animus, in medio tempestatis furore animalia haecce cogitantis, an denique ipsius poëseos praestantia, quae peculiare istud ita referat, ut sublimitatis laudem omnino mereatur! Ex nostri quidem ingenii cultu judicantibus videri queat ipsa illa cervarum abortum facientium mentio carmini tantae dignitatis non convenire, et *cum justo pulcri* sensu pugnare. At caveamus, ne nostrum sensum simplicioribus obtrudamus temporibus, quibus vox naturae quasi audiebatur apud Hebraeorum poëtas. Vide autem, quantum una cum animalibus patiatur poëta Hebraeus (2)! Quodsi vero cogitamus, Davidem quondam pastorem fuisse, qui nonnumquam con-

(1) Cf. *Job.* XXXIX. 4.

(2) Conferri velim Herder. *Geist der Hebr. poësie*, Vol. I. p. 73.

conſpexit animalium in tempestatibus angores, cervarumque abortus per metum effectos, minime mirabimur, hoc loco commemorari cervas abortum ita pasſas, ut inde graviſſimum augmentum ad ſublimem tempestatis deſcriptionem accedat. (1)

Sed ſubito ad aliud denuo ſpectaculum adducimur; nondum enim tempestatis impetus ceſſavit: Jehova nimirum, qui cervis abortum attulerat,

Sylvas nudat arboribus!

Arbores ergo fulmine tactae ita ubique *in ſylvis* pro-

(1) Cf. Blair, *Lesſen over de Redek.* T. I. p. 93 In hoc *adjunctorum* delectu, quo feliciſſimus erat Davides, admiratus ſum ſaepe Klopstockium, pluribus recentioribus in hoc genere praestantem, maxime, ubi haec in *Mesſiade* canit:

Satan ſprach's. Indem ging von dem Versöhner Entſetzen
Gegen ihn aus. Noch war in den einſahmen Gräbern der Gottmensch.
Mit dem Laute womit der Lästerer endete, rauschte
Vor dem Fusz des Mesſias ein wehendes *Blatt hin.* Am Blatte,
Hing *ein ſterbendes Würmchen.* Der Gottmensch gab ihm das Leben.
Aber mit eben dem Blick, ſand er dir, Satan, Entſetzen!

prosternuntur, ut magna longe lateque strages conspiciatur (1). — Quod autem sylvae arboribus denudatae tantam huic loco gravitatem afferant, e duobus praecipue rebus elucescit; cum, quod hisce additis magis pateat furibunda tempestatis vis; tum, quod eo major sit oppositionis efficacitas. Subjicitur enim:

Dum in ipsius sanctuario quisque dicit: Gloria!

Dum omnia tremunt et concutiuntur; dum animalia abortum patiuntur ac sylvae denudantur arboribus; Jehovae palatium stat firmum et incolume, ejusque cultores nullo afficiuntur terrore. Immo vero in media tempestatis vehementia majestatem Numinis Divini cum veneratione adorant! — Digito veluti commonstrare videtur *Poëta* sacram illam Jehovae aedem, ejusque quasi palatium terrestre. Subeunt ejus animum sacrae turbae, e Sacerdotibus, Levitis, multis-

(1) Hoc valere tempestatem, etiam cecinit TASSO:

Tremono i tuoni e pioggia accolto in gelo,
Si versa e i paschi abbate, e inonda i campi —
Schianta i rami il gran turbo, e par che crolli
Non pur le querce, ma le rocche e i colli!

Gerusal. Cant. VII. St. 115.

tisque de populo viris, principibus maxime, compositae, quae saeviente tempestate gloriam Jehovae praedicabant! Tempestates autem Israëlitis adeo non terrorem injiciebant, ut potius, per Jehovae in iis praesentiam, eorum animi erigerentur valde. (1)

Nec sane mirandum est, Poëtam commemorasse hasce turbas. In periculis summis Rex suum populum dilectum cogitabat; sed cogitabat eum, sacra celebrantem. In sacris enim omnes ejus cogitationes defixae erant: sacrum Jehovae cultum ipse instauraverat. Vix igitur dubitabat, quin in illa tempestate permulti se ad aedem sacram contulissent, ubi Jehovam venerarentur.

Quam elatis Poëta fuerit sensibus, quam vivida imaginatione, et quam sanctis affectibus, cum haec de pleno animo effunderet, non erit opus ut multis verbis ostendam.

Enimvero haec omnium rerum descriptarum confusio ac perturbatio, quam pinxerat, nostram superat imaginationem (2); populi autem, in media tempestate securi, virtus atque re-

(1) Vid. Harmar, l. l. T. III. p. 322 seqq.
(2) Vid. Schiller, Opp. Vol. VIII. p. 227. Edit. 1818. 8°.

religio animum nostrum ad summum altitudinis gradum adducunt.

Vs. 10.

Quod in gravissimis tempestatibus plerumque evenire solet, ut pluviae cadant densiores, nunc etiam obtinebat; sed tam vehementer tantaque copia effundebantur pluviae, ut diluvium oriri videretur, quo terram Jehova inundare dicitur.— Haec Poëtae descriptio nihil habet, quod nostram exspectationem admodum superet, quandoquidem in nostris regionibus graves imbres cum tempestatibus saepe conjuncti sunt; in Oriente autem ipsi imbres eo sunt graviores, quo gravior est tempestas. Cujus rei illustre exhibet exemplum nobilissimus Poëta Arabs, *Amralkeis*.

Haec dicens, consedi juxta hunc socium meum,
 et dum reliqui partim erant in Darigjo,
Partim in Uzeibo, procul accidebat aliquid,
 quod attenta mente contemplarer.
Imber erat, qui gravis onere fastigium Katnae ad dextram attigerat,
Et ad sinistram incumbebat in *monte* Sitar et Jedsbul

Mox

Mox aquas conspiciebatur copiose effundens supra campos Cuteiphae.
Ubi pronas humi dejecit arborum densissimas.
Pars imbris sequior transibat *montem* Kenân,
Ibique ibices expellebat ex omnibus habitaculis.
In Teimae autem *oppido* ne truncum quidem palmae relinquebat intactum,
Neque ullum munimentum, nisi quod alte lapidibus exstructum esset. (1)

Ex qua descriptione imbris, plena horroris, quodammodo efficere possumus, quanta fuerit imbris a Davide descripti vehementia. Amralkeis enim antea descripserat tempestatem vehementissimam, quam sequebantur hi imbres, quemadmodum in nostro carmine Davides. Et quid naturae convenientius: quid ad efficaciam esse potest aptius? Est in carminibus sacris exemplorum copia, quae satis indicant, imbres hosce cum tempestatibus conjungi et eximie a poëtis depingi. (2)

In

(1) Vid. Moallakah vs. 68 seqq. e versione Paravii V. Cl. in Comment. C. I.

(2) *Ps.* CXXXV. 7. *Job.* XXXVIII. 25. Cff. *Ps.* XVIII. 14-16. *Ps.* LXXVII. 18 seq. *Jerem.* LI. 16. X. 13. *Job.* XXXVII. 11.

In nostra quidem tempestatis descriptione, pluviae diserte non indicantur consuetis vocabulis, sed ex effectu tamen impetus earum satis dijudicari potest. Etenim

Sedet Jehova terram inundans.

Pluviae nimirum, quae in montes decidebant, et de montibus in valles proruebant, molem afferebant aquarum, unde exsisteret inundatio gravissima. In montosa Palaestinae regione citius etiam inundantur terrae atque celerius diluvia apparent (1).

Nostro autem in carmine breviter quidem ea dicebantur, verum quo major est hujus descriptionis brevitas, eo etiam major est ejusdem vis. Non tantum enim ad naturam rerum exprimendam apta est, sed tempestatis quoque praesentissimam vehementiam nobis proponit plane cumulatam. Gravissimus nimirum imber auget tempestatis magnitudinem. (2) Nec tamen, huic spectaculo

(1) Cf. *Ps.* CIV. 13. et Vid. Amralkeis in *Moallakah* vs. 75 seqq.

(2) Hoc sensit etiam Tasso, cum haec in immortali suo carmine (*La Gerusal. Lib.*) caneret:

La pioggia — aigridi — ai venti ai tuoni s'accorda
D'orribile armonia, che'l mondo assorda!

Cant. VII. St. 122.

lo intenti, confundimur! Namque, ut adjicit Poëta,

Sedet Jehova rex sempiternus!

i. e. Jehova non aquarum tantum, sed omnium rerum dominus est ac moderator!

Hoc dictum non aures tantum afficit, sed animum tangit et movet ejusque sensus intimos ita erigit, ut rebus omnibus externis nos reddat superiores.

Simili modo Jehovam laudavit Davides, in *Ps.* XCIII, ubi eum pingit in gravi apparentem procella:

Firma stat terra!
Manet immobilis!
Stabilis est tuus thronus ab aevo!
Ab aeterno tu es!

Quanta autem haec est cogitatio:

— Sedet Jehova rex in aeternum!

Ipsum coelum petit Poëta; ibique Jehovam omnium potentissimum Deum in solio suo immobili sedentem contemplari audet. *In aeternum sedet Jehova*, nam nullis temporum fini-

nibus adstringitur: atque adeo, qualem se nunc praesentissimum potentissimumque ostendit, talem se semper praestabit!

Vs. II.

Suavis est et dulcis clausula, si ipsum Carminis versum ultimum, sed elata simul et sublimis, si Poëtae spectes affectionem, atque sensus quos hoc versu expressit. Haec demum *digna erat* Jehovae celebratio, qua omnibus iis, *quae* antea Poëta effuderat, corona imponeretur.

Jehova suum populum tuetur —
Jehova suo populo largitur securitatem!

Quanta *oppositio*, inter rerum naturae conturbationem, populique quietem et securitatem! Quanta securitas illa, quam Jehova potentissimus populo suo largiebatur! Hac profecto nulla major, felicior nulla! Desunt mihi verba, quae, quod sentiam, apte exprimant, ut defuerunt alibi saepissime in exhibenda Carmis sublimitate. Sed non est quod ego erubescam; cum ipsi etiam Poëtae verba defuisse videantur, quibus animi sui affectionem patefaceret. — Profecto, nihil aliud ab optimo rege Da-

Davide exspectavisses, nisi ut, laetus de populi sui salute et securitate sub Jehovae tutela, haec summa beneficia agnosceret de iisque palam praedicaret; nihil aliud ab eximio poëta, post talem tempestatis descriptionem, nisi ut ea, quae et durante tempestate et statim post ejus finem sensisset, nunc etiam verbis effundere conaretur; nihil aliud denique a praestantissimo Dei cultore, nisi ut religiosis suis affectibus, qui per totum carmen dominarentur, gratisque erga Jehovam sensibus exhibendis, animum suum, divinis rebus plenum, levaret et veluti exoneraret!

Et haec quidem habui, viri clarissimi, quae ad disceptandam Quaestionem vobiscum communicarem. Satis quidem, si verborum spectetur numerus; si vero argumenti dignitas et praestantia, an satis dixerim, valde dubito!

CORRIGENDA.

Pag.	6. lin.	14.	Clarissime!	*lege*	Clarissimi!
—	15. —	9,10.	unanime	—	unanimiter
—	23. —	6, 7.	Samaritono	—	Samaritano
—	32. —	1.	abortiri,	—	abortire,
—	37. —	22.	Hisp.	—	Hitph.
—	50. —	4.	*abortiri!*	—	*abortire!*
—	52. —	6.	invoce,	—	in voce.

JOANNIS EVERARDI DE VOOGT,

IN ACAD. RHENO-TRAJECT.

LITT. HUM. CANDID. ET THEOL. STUD.,

RESPONSIO

AD

QUAESTIONEM LITERARIAM,

AB ORDINE

PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM PROPOSITAM:

„ *Ita exponatur magnifica vehementissimae tempes-*
„ *tatis descriptio, quae* Psalmo XXIX. *continetur,*
„ *ut Hebraicae et Linguae et Poëseos idonea habea-*
„ *tur ratio, utque situs locorum, quantum opus*
„ *sit, et componendi carminis opportunitas atten-*
„ *dantur.*"

Quae, pariter ac LEONARDI JOANNIS FREDERICI JANSSEN ad eandem quaestionem responsio, praemio digna judicata est.

Quare fructum ſtudiorum viridem et adhuc dulcem promi decet, dum et veniae ſpes est, et paratus favor, et audere non dedecet; et ſi quid deſit operi, ſupplet aetas; et ſi qua ſunt dicta juveniliter, pro indole accipiuntur.

QUINCTILIANUS.

PRAEFATIO.

Primo jam intuitu quaestionem a Vobis VV. CC. propositam vehementer mihi arrisisse, candide lubenterque confiteor. Semper mihi grata erant antiqua illa Hebraeorum carmina, quae, valde simplicia et incomta, humani generis infantiam quasi exhibeant; quaeque artis praeceptis non obtemperent, sed naturam referant matrem. Et vero praeterea indomitam illam vim creatricem, quam in praeclaris quibuscunque poëtis merito suspicimus, tanquam omnibus Hebraeorum vatibus privam ac propriam adspiciebam et admirabar. Inprimisque religionis, qua nititur haecce poësis, majestas divinaque origo habebant, quo illam colerem et maxi-

mi aestimarem. In omnibus vero hujus gentis poëtis, quibus suae cuique stent laudes, unum semper dilexeram et carum habueram, Carminis a Vobis propositi auctorem, Davidem. Hunc enim esse *Psalmi* XXIX. auctorem, nisi et longe plurimorum interpretum consensus doceret, poëseos ratio in eo conspicua idem manifeste probaret. Davides igitur, qui, patriae suae amore flagrans, et tenerrima cum nobili Jonathane amicitia junctus, jam puerum me alliciebat, quidni animi sui lenitate nobilissimisque religionis sensibus in juvene excitaret intimum ipsius amorem et aestimationem? Itaque V. V. C. C. de Vestra laetabar quaestione, quae tam utilem jucundamque muniret viam, qua ad Davidicam poësin majori etiam, quam antea, pretio habendam, sponte adducerer. Et continuo manus ad opus admovi, viresque meas in ea pertractanda periclitatus sum. Quae res quatenus mihi cesserit, Vos V. V. C. C. dijudicetis! Quam tenuia et exigua rem instituenti adessent animi ingeniique subsidia, probe mihi metipse conscius eram. At vero *par est omnes omnia experiri*, atque, ut ulterius Ciceronis verbis (1) in rem meam utar, ego opusculum meum laete sum aggressus,

(1) *Orator*. C, I.

ſus, *non tam perficiendi ſpe, quam experiundi voluntate. Malo enim, cum* invitationi vestrae *ſim obſecutus, deſiderari* a Vobis *prudentiam meam, quam, ſi id non fecerim,* progrediendi amorem. Saepius, quidni vera fatear, in elaborando molestum mihi evaſit arduumque, quod initio gratum fuerat negotium et jucundum. Sero perſpiciebam, juveni magnum quid eſſe, ut difficilem ſuscipiat rem, cujus finem ſe asſequi poſſe diffidat. At vero illud proficiendi ſtudium maxime fuit in cauſa, cur a ſemel ſuscepto meo non deſiſterem labore. Aderat in pectore impetus quidam, quo ducimur ad ardua ſuscipienda, et, quantum poterimus, peragenda. Aderant praeſertim nobiles carisſimique commilitones, qui ad perſequendum ſemel ingresſum curſum me adhortabantur impellebantque. Et propoſiti tenax, cujus memet nunquam poenitebit, hoc meum, qualecunque tandem, opus Vestro nunc V. V. C. C. ſubmitto judicio. Quodſi forte quis mihi palmam ſit praerepturus; nemo facile eripiet delectationem, quam e Davidicis carminibus cepi, et maximam utilitatem.

In quaestione pertractanda hunc ordinem, quippe mihi ſimplicisſimum viſum, ſecutus ſum. Totam quaestionem in duas partes majores distribui: quarum prior obſervationes generales complec-

plectitur, posterior autem Carminis continet versionem, cum annotatione perpetua. In hac vero carminis explicatione ad rectam verborum originem indagandam et *Lexica* adii, et vero inprimis summi Schultensii *Opera*. Multum mihi profuerunt interpretes, quorum praecipuas memoravi sententias; quibus, ubi opus esse videbatur, meam addidi interpretationem.

Exstat autem de nostro carmine *Dissertatio Inauguralis*, A. 1769. *rectore* E. Scheidio publice exhibita, *auctore* Gerh. ab Hemessen. Quam tamen inspicere tum demum licuit, cum opusculum amica manu jam esset descriptum. Pauca vero, quae ex ea hausi, in annotationibus addidi, caetera omisi.

Cum autem praeterea in quaestione non tantum postularetur Carminis interpretatio, quae *linguae*, sed vero etiam, quae *poëseos Hebraicae idoneam haberet rationem*; ita et ea, quae poësin spectabant, suo quaeque loco interpretationi adjunxi, et exemplis quibusdam illustravi. Omnia huic annotationi intexere mihi difficillimum, et lectori fuisset molestum. Itaque ea, quae vel ad universum pertinerent carmen, vel ulteriorem quandam requirerent disquisitionem, longiorum excursuum evitandorum causa in priori Commentationis parte collegi et in ordinem quendam redegi. Me forte longiorem,

quam

quam par est, hac in re fuiſſe aliquis putet; ſed vel ſic tamen omnia, quae dedi, tum ad Carminis meliorem intelligentiam, tum ad ſenſus, qui in eo dominantur, rite percipiendos pertinere, unicuique patebit. Et licet etiam aliquando in exemplis citandis vel et in aliis brevitas magis mihi fuisſet ſectanda, juvenem tamen in Davidicae poëſeos indole atque ratione indaganda quaedam dedisſe uberiora, quam quibus opus esſe videretur, nemo aegre feret. Davides mihi cenſebatur unice e Davide explicandus. Hoc mihi opus, hic fuit labor. Davidica carmina legi, iterumque perlegi. Ex hisce maxime nostri carminis veram interpretationem hauriendam esſe putavi. Mirabar, plures interpretes magis univerſam Hebraicam poëſin, quam quidem Davidicam illam, quae ſibi proprium quid *habeat*, ſpectasſe. Tum vero maxime *placidos et nobiles* illos religionis ſenſus, quos in carmine nostro tam eximie luculenterque animadvertas, a nonnullis miſere vexatos et in dedecus Davidis acceptos, non poteram non tueri, et, quoad posſem, ex ipſius Davidis ore in meliore luce collocare.

Denique in *locorum*, quae in Carmine memorantur, *ſitu* deſcribendo eatenus tantum ſumus verſari, quatenus ad nostrum carmen melius intelligendum opus videbatur, et in traden-

da

da *Carminis componendi opportunitate*, aliorum conjecturis nostram ſubjecimus opinionem. Quo melius autem universa Commentationis dispoſitio percipiatur, ejus Conſpectum huic Praefationi ſubjungam.

COM-

COMMENTATIONIS CONSPECTUS.

PARS PRIOR.

OBSERVATIONES GENERALES.

SECTIO I.

DE CARMINIS DOTIBUS AC VIRTUTIBUS, AD POËSEOS HEBRAICAE INDOLEM EXIGENDIS.

CAPUT I.

De Hebraeis ad rerum naturam carmine describendam aptissimis.

CAPUT II.

Indoles poëseos Davidicae, inprimis ejus, quae in rerum natura versatur.

§. 1. *De Davide ejusque indole.*

§. 2. *Sublimitas in poësi Davidica.*

§. 3. *Davides in sua poësi plerumque est simplex, suavis, lenis, simulque valde vividus.*

§. 4. *Affectus in carminibus Davidicis.*

§. 5. *Religionis vis in poësi Davidica.*

SEC-

SECTIO II.

De iis quae peculiariter ad nostrum carmen pertinent.

PARS ALTERA.

PSALMUS XXIX, CUM ANNOTATIONE.

COMMENTATIONIS

PARS PRIOR.

OBSERVATIONES GENERALES.

SECTIO. I.

DE CARMINIS DOTIBUS AC VIRTUTIBUS, AD POESEOS HEBRAICAE INDOLEM EXIGENDIS.

CAPUT I.

Hebraei ad rerum naturam carmine describendam aptissimi.

Instituenti mihi nonnulla praefari de universa Hebraeorum poësi, in animo non est copiose atque distincte exponere miram illam Hebraeorum in poësi tractanda praestantiam, singulasque enumerare opportunitates, quibus fuerint usi hujus gentis poëtae. Haec enim, licet a nostro proposito non omnino aliena, vel sic tamen longiorem, quam decet, requirerent commentationem. Et sane, quid repetam ea, quae

quae alii iique praestantissimi doctissimique viri summo cum studio et mirabili quadam elegantia instituerint atque absolverint (1). Unice id agam, ut ex iis, quae ab eximiis hisce viris sunt prolata de universae Hebraeorum poëseos virtutibus, ea sola ad nostram rem accommodem, quae inprimis requiruntur ad nostri carminis meliorem intelligentiam. Scilicet breviter equidem quasdam easque praecipuas indicabo opportunitates, quibus Hebraei naturam, in qua vivebant, eximie carminibus celebrare potuerint, et revera celebraverint. Hisce enim praemissis deinceps eo aptius rectiusque de Davidicae poëseos indole, ad quam inprimis carmen nostrum exigere sumus conati, judicare poterimus.

Mitto igitur Orientalis coeli aërisque vim in Hebraeorum ingenia animosque, cui coelo, quamvis haud nimium tribuamus, non omnem tamen denegamus vim et efficacitatem. Regionis enim Israëliticae temperies, quamquam aliquando calidior nonnullis-que

(1) Innuo eximia Lowthi Herderique opera. Hisce autem addatur praeclarum Jonesii opus, in quo, licet paucis de Hebraica, uberius tamen de universa egit *Orientali poësi*; ut et eruditissima Dibbitsii, *Comm. de Hebr. poësi cum Graeca comparata*, in Annal. Acad. Rheno-Traject. 1818. Cf. omnino cl. Pareau, *in Inst. Interpr. V. T.* p. 426—467.

que incommodis obnoxia, plurimum tamen sibi constans erat et saluberrima. Gaudebat Palaestina coelo per magnam anni partem fere semper sereno atque jucundo. Tantum autem abest, ut talis coeli aërisque temperies ingenii animique ardorem deprimat et exstinguat, ut potius hominis animum erigat extollatque ad hujus universi majestatem fervide grateque percipiendam (1). — Praeterea longum esset et non necessarium, hoc loco explicare, quid ipsa lingua Hebraica non tantum valeat ad poësin tractandam, verum inprimis ad res naturales exprimendas. Haec enim, si rite tractentur, intimam, eamque tironis viribus longe superiorem, literarum Orientalium requirunt cognitionem, ut et explicationem magis illustrem perpolitamque. Obiter tantum monere sufficiat, linguam hancce copiosa sua, neque ex paucis, quas nos habemus, reliquiis dimetienda amplitudine, frequentissimisque suis figuris et imaginibus mirifice inserviisse poësi tractandae. Tum vero innumera illa herbarum, plantarum animaliumque nomina et cog-

(1) De coeli aërisque temperie in regione Palaestinae vid. Harmer, *Waarnemingen over het Oosten*, *door* J. E. Faber, T. I. p. 1—84 et Cl. Pareau, *Antiq. Hebr. descript.* p. 61 sqq. Cf. autem Dibbits. l. l. p. 32.

cognomina, quibus abundant Hebraei, frequentissima substantiva ad sonos naturam imitantes formata, et verba, quae notiones vel maxime abstractas, tanquam res animatas agentesque repraesentant, manifesta nobis sunt testimonia, quantopere in hac lingua vivat vigeatque natura, quam referebat matrem (1).

Sed vero praeter has aliasque eximias opportunitates, Hebraeorum poëtae ad naturam, qua cingebantur, carminibus celebrandam, inprimis simplicissima vitae ratione, et peculiari sua indole fuerunt aptissimi. Et simul iidem, unum verum Deum tanquam hujus universi Creatorem et Gubernatorem agnoscentes colentesque, venerabili hoc religionis sensu, quo omnis eorum est diffusa poësis, longe multumque alias gentes antiquas superarunt.

Et primum quidem simplicissima vitae ratio sponte hosce poëtas ad naturae ducebat contemplationem. Scilicet Hebraei plerumque non urbium moenibus erant inclusi, neque intra aedium muros cohibiti, sed fere semper hilari delec-

(1) Cf. inter alios Herder, *Geest der Hebr. poësie* I. p. 6 sqq. 140 sqq. II. p. 2 sqq. Muntinghe, *de Psalmen uit het Hebr. vertaald*, *Inleiding*, p. 13 sq. et Cl. Pareau, *Inst. Interp. V. T.* p. 426 sqq. et *de mythica S. C. interpret.* p. 209 sq.

lectabantur naturae adspectu. A longissimo inde tempore vitam egerant pastoriciam aut agriculturae fuerant dediti. Uti antiquitus Patriarchae greges suos per regiones et deserta duxerant, et pecora tanquam praecipuas coluerant opes, ita Israëlitae, licet hac ipsa re Aegyptiis invisi, a prisco more non deflectebant (1). Novimus autem, hanc gentem, cum innumeris gregibus armentisque ex Aegypto egressam, et per deserta Arabica oberrantem, Nomadum instar in tentoriis vixisse, et nil fere nisi pecora sua curasse. Imo vero, ne in Palaestina quidem res pecuaria negligebatur, ibi autem agricultura vigebat quam maxime. In regione nimirum promissa, quamdiu ibi prior stabat respublica, agrorum cultura et gregum cura erat praecipua omnium occupatio, ac nemini indecorum habebatur, si rustici operis negotiis vacabat. (2) Quid? quod, regia dignitate introducta, tanto in honore fuit illa patriarchalis ratio vivendi, ut, quo majorem quis haberet pecudis copiam, eo censeretur opulentior (3). Quidni igitur a poëtis, qui quo-

(1) *Gen.* XLVI. 32—34.

(2) Cf. Lowth, *de sacra poësi Hebraeorum praelect.* p. 71. ed. Rosenmulleri, 1815.

(3) 1 *Sam.* XXV. 2. cf. Cl. Pareau, *Antiq. Hebr. descriptio*, p. 412.

quotidie in desertis vel in pratis versabantur vel ad Jordanis ripas pecora pascebant, agros colebant, vitaeque ruralis gaudebant suavitate, quidni ab illis exspectaremus poësin, in qua vigeat natura? Ovium greges, laete pastum quaerentes, vel ad pabula saltantes; prata fertilissima, et horrida deserta; sylvae arboribus densae, et montium juga asperrima; rivi leniter currentes et litora resonantia fluctibus, die noctuque pastorum animis obversabantur. Et in coeli sereni vel pluviarum nubibus obducti contemplatione; in solis orientis vel occidentis adspectu; in noctium tenebris, iisque sive densioribus, sive lunae astrorumque suavi splendore collustratis; in pluviis imbribusque, et in tempestatum vehementissimarum tonitrubus fulminibusque, plurimi Hebraeorum poëtae rerum naturam continue observare poterant et admirari. Neque eos inde plurimum sibi petiisse imagines et carminum argumenta, nobis mirum videri potest. Fingalis enim filium, in montibus Caledoniae carmina fundentem, quis ideo reprehendat, quod suas imagines duxerit a rebus, quibus proxime cingebatur? Et sane nil frequentius in ejus carminibus occurrit, quam comparationes, vel a montibus desumtae sylvisque, in quibus degebat, vel a mari exaestuante, cujus fluctus littora perpetuo feriebant, vel a procella eminus erumpente et juxta montes et col-

colles ſruente, ſimilibusve naturae ſpectaculis, quae quam ſaepisſime ſub ejus adſpectum cadebant (1). Similiter Hebraei, in orationis forma habituque, imagines naturae quam plurimum adhibent. Ab agricultura et re pecuaria, ab exundantibus aquis, à fontibus aquarum copia destitutis, a luce ſplendente et horridis tenebris, a montibus Libano Carmelove, et quidquid plura Palaeſtinae terra coelumve contineret, ſuas imagines repetunt et comparationes (2). Et prouti Osſianus carminis ſui verſus comparat cum matutino gratisſimoque rore, in colles decidente, cervarum armentis refertos (3), ſic etiam Moſes in carmine, postquam ſublimi exordio divinam celebraverat aequitatem atque potentiam, dicere pergit:

> Destillet pluviae inſtar mea doctrina;
> Defluat, ſicut ros, meum eloquium;
> Ut denſae guttae ſuper tenerum gramen;
> Uti imbres copioſi ſuper herbam (4).

Ac-

(1) Vid. *Carmina* Osſiani ex ed. Kasteeli pasſim.

(2) Cf. Lowth. *Praelect.* VI Cl. Pareau, *Inſtit. Interpr. V. T.* p. 434 ſq. coll. p. 232. Herder, l. l. I. p. 101. ſqq. et Dibbits, l. l. p. 87-95.

(3) Fingalis *initio*, p. 37. ed. laud.

(4) Deut. XXXII. 2. Cf. omnino E. Kist. *in oratione*, cui titulus: *Overeenkomst tusſchen den poëtiſchen*

B *ſmaak*

Accedit autem huic vivendi rationi ipsa Hebraeorum indoles, eximie ad rerum creatarum pulchritudinem, varietatem, et magnificentiam optime percipiendam, sentiendam carminibusque praedicandam comparata.

Merito Hebraei, universe Orientalium, ad quos pertinebant ipsi, indolem referentes, pueris dicuntur simillimi: horum enim rationem ad vivum exprimunt. Uti hi moventur inprimis rebus externis sensus ferientibus, et quidquid vident, audiunt, tangunt, id cupide arripiunt eoque maxime delectantur; ita etiam Orientales sponte adhibent et in suos usus convertunt ea, quae sensibus hauriunt ac percipiunt. Hinc iis rebus maxime operam dederunt, quae, externis patentes sensibus, non interiorem quandam indagationem, sed vero observationem requirebant constantem et diuturnam, quocirca in rebus naturalibus explorandis egregios fecerunt progressus. Historiae naturali studuerunt maxime; et plantas herbasque earumque vim ad medendum hominibus studiose sunt perscrutati. Uti vero pueri animalibus impense delectantur, imo

smaak van Ossian *en de oude Hebreeuwen*, p. 54. sq. *Verhandel. en redev.*, 1816. — In hoc autem exemplo, ut et in caeteris plurimis secutus sum versionem Cl. J. H. Pareau.

imo cum iis tanquam sui simillimis loquuntur et ludunt, ita et Hebraei horum summo ducebantur amore, eaque sociorum instar tractabant, imo paterna quadam caritate aliquando complectebantur (1). Mirum denique, quantum Orientales, sensibus externis ducti, Astronomiae operam dederint astrorumque motus et mutationes observaverint atque exploraverint. Quamvis enim ea perscrutandi vi, quae rationis excultae ope acquiritur, carerent, vel sic tamen non possumus non admirari summam eorum diligentiam, et acerrimum explorandi studium, in iis rebus, quas physicas dicimus; ideo praesertim, quod instrumentis, quae nobis adsunt, paene omnibus erant destituti (2). Praeter hos acriores sensus adest Orientalibus indomitus phantasiae fervor, et ingenium, quo incultius, eo vividius, promptius fervidiusque. Homo igitur Orientalis, quaecunque *sensibus* haurit externis, ea continuo ad animum transfert, vivideque sibi repraesen-

(1) 2 *Sam.* XII. 3. Cf. Bocharti, *Hierozoic.* I. 46. p. 521 et Doct. L. G. Pareau, *Tograj. Carm.* p. 59.

(2) Cf. liber, cui titulus: *Brieven van eenige Portugeesche en Hoogd. Joden aan* Voltaire, IV. p. 131 sqq. et Cl. Pareau, *Inst. Int. V. T.* p. 175 sq. et pag. 54.

sentat. Neque ad notiones abstractas se convertit, easve cogitando et philosophando assequitur percipitque, sed unice rebus objectis afficitur atque impellitur. Omnia, eaque ipsa quae cerni non possunt, ad suos sensus admovet, in ipsorumque oculorum ponit conspectu. Quodsi talis fuit Hebraeorum poëtarum indoles, uti revera fuisse constat, eos rebus creatis vehementer fuisse impulsos, quis non videt? Quid enim magis menti eorundem obversabatur, quam hoc universum, cujus magnificentiam quotidie intuebantur? Tum vero iidem Orientales, quo erant rudiores et incultiores, et quo magis in iis conspicimus judicium non satis explicitum ratiocinandique facultatem parum provectam, eo aptiores videntur fuisse ad rerum naturam vivide et elate carminibus exprimendam ac praedicandam. Fateor quidem, mirabili illa elegantia et venustate Orientales carere, qua Graeci placent, demulcent, alliciunt. Hi nimirum, magis ad rationis praecepta, quam ad affectuum vehementiam, informantes poësin, quidquid pulchrum, exquisitum, venustum habetur in rerum natura, facillime vident, cupide arripiunt et ab ea parte nobis depingunt, qua maxime placeant, animumque nostrum pulchri venustique sensu penitus imbuant (1). Quae omnia si quis ex Hebraeorum

(1) Cf. Dibbits, l. l. p. 117. sqq.

rum carminibus elicere vellet, aeque frustra is quaereret, ac si juvenilis aetatis decus in puero desideraret. Sin vero Graeci provectiore cultu Orientalibus praestent, hisce tamen indomito illo phantasiae ingeniique fervore longe sunt inferiores. Rerum naturam acrioribus sensibus intuentes Orientales vitam animamque et formam humanam omnibus rebus tribuunt. „ Totam hanc naturam non tamquam inanimatam et machinis similem, sed vitae plenam sibi fingunt, plenam vigoris et virium plenam sensusque, omnia moventis animantisque et late per omnes partes diffusi, ut singulae res singulis veluti mentibus consiliisque regi videantur." (1) Hinc audacissimae illae προσωποποιΐαι, quibus abundat Hebraeorum poësis. Ne dicam de animalibus ferisque quibus humana adscribuntur attributa atque affectus; ipsae herbae, plantae, arbores, sylvae, rivi, torrentes, ipsa maria vastissima, montes altissimi et regiones immensae in Orientalium carminibus vivunt et agunt, gaudent, laetantur, jubilant, lugent, erubescunt, prae horrore contremiscunt. Quid? quod stellis, soli lunaeque consilia affinguntur humana, imo fulgura loquuntur ventique agunt hominum instar. Verbo

(1) Sunt verba Doct. L. G. Pareau, l. l. p. 39 ex de Arabum dicentis poësi.

bo: in Orientali poësi, quae in rerum natura adsunt, vita, spiritu, affectibusque animantur omnia (1).

Jungunt autem Orientales huic phantasiae vi summam affectuum vehementiam. Hisce ducuntur et impelluntur, quo animus ruit. Quidquid mente percipiunt, id quam celerrime sub sensus revocant externos, et quidquid sensibus hauriunt, id pleno atque exaestuante pectore protinus effundunt. „Homo Orientalis affectibus unice indulgens iis abducitur, imo rapitur ad summam animi inflammationem, illoque abreptus impetu, abjicit rationis frena, nil curat, nisi quod flagrantibus studiis conveniat, atque ita celerrime fertur torrentis instar, rapido cursu ripas transgredientis, nullumque non obstaculum impetu suo removentis." (2) Poëtae igitur non consulto sibi eligunt carminum argumenta, sed, rebus obviis cum vehementer afficiantur, intimos hos animi sensus, quibus toti imbuti sunt, numerosa lingua, verbis concitatis, vividis imaginibus continuo exprimunt et effundunt. Hinc re-

(1) *Job.* XXXVIII. 35. et passim. *Ps.* CIV. 19. XCVIII. 7, 8. XCVI, 12, 13. *Jes.* XXIV. 19, 20. XXXIII. 9. XXXV. 1, 2. XLV. 12. XLIX. 15. passim Cf. Herder, l. l. p. 111 sqq. 142 sqq. Lowth. *Praelect.* XIII. Cl. Pareau, *Inst. Int. V. T.* p. 230 sqq. et 435 sqq.

(2) Verba Dibbitsii, l. l. p. 22.

rerum naturam carminibus describentes, non ingeniose eam imitantur, ipsique manent immoti ac frigidi; sed contra, nobis palam conspiciendum praebent intimum pectus commotum, ut ipsi nos percipiamus ac penitus sentiamus, quid senserint vates, cum carmina funderent. Laetam celebrantes naturae conditionem poëtae prae gaudio exsultant, et nos laetamur cum iis. Contra in horrendis naturae spectaculis carmine praedicandis intimam animi venerationem ostendunt, nobisque venerabundam admirationem vel stupendum incutiunt horrorem. In carminibus igitur Hebraicis dijudicandis non tantum ipsam *orationem*, *sed multo* magis poëtae animum attendere nos oportet, e quo orationis vinculum explicetur. Ex eadem affectionum vehementia, sententiarum, qui dicitur, paralelismus ortus videtur; qui, quantam gravitatem orationi pondusque afferat, dici vix potest, „ quidquid enim amant vel aversantur, aut quomodocunque vehementer sunt affecti, id et affirmando et contrarium negando, et digrediendo redeundoque ita amplificant oratione, ut sensus animi eosdem semper recurrentes in verbis audire tibi videaris." (1) Legat quis nativam illam et incompa-

(1) Quod verissime de Arabibus dixit Doct. Paravius, l. l. p. 46.

parabilem equi bellici descriptionem, quam nobis dedit Jobeidis auctor. Nonne ante oculos institutum videri sibi videtur animosissimum illud animal, Arabibus inprimis nobile? At vero simul in legendo ipsum poëtam non possumus non cogitare et coram quasi adspicere, dum equum agilem, strenuum, ad pugnam paratum, animose huc illuc exsultantem, summa delectatione et admiratione oculis intuetur. Audias, velim, quantam habeant vim iterationes, repetitiones, digressionesque, quibus utitur vates:

Tune equum induis bellica virtute?
Armasve ejus cervicem ferocia?
Tune eum agilem reddis, instar locustae,
Dum sono sui ronchi formidabilis est?
Terram ungula cavat exultans;
Dum strenuus it obviam telis:
Ridet timorem, non terretur;
Non retrocedit ad ensis adspectum,
Adversus eum pharetra stridat:
Flamma hastae atque ensis:
Tremens ac fremens citissime proruit,
Et stare loco nescit, dum tuba clangit,
Tubae sonanti laetus adhinnit;
Pugnam olfacit eminus;
Ducum minas ac militum clamores. (1)

Si-

(1) *Job.* XXXIV. 19-25. cf. imprimis Cl. PAREAU, *Inst. Int. V. T.* p. 422.

Similiter maximam vim habent illae verborum, sententiarum, rerumve repetitiones, quando Moses transitum Israëlitarum per Mare Rubrum eximio carmine celebravit. In quo praesentissimos sensus affectusque, quos ipsa res, perquam memorabilis, in ejus animo excitaverat, ad vivum videmus expressos. Admiratione et veneratione perculsus poëta hoc ipso temporis momento videt etiamnunc undas, in immensum coacervatas horrideque exaestuantes, quibus Pharaonis currus et exercitus fuerant demersi penitusque obtecti. Chorum igitur induxit, qui Jehovam sic alloquitur:

Spiritu, per te efflato, coacervatae sunt aquae,
Constiterunt cumuli instar fluenta,
Obriguere gurgites in medio mari.
Dixerat hostis: persequar, assequar,
Dividam spolium, istis satiabitur mea libido,
Stringam meum gladium, istos mea manus devastabit! —
Proflasti tuo spiritu — obtexerunt eos aquae:
Praecipites acti sunt, ut plumbum in tumidas aquas. (1)

Sed quid plura? Jam satis enim mihi dixisse vi-

(1) *Exod.* XV. 8—10.

videor, ut indicarem, tales poëtas, naturae pulchritudinem, varietatem et magnificentiam acribus sensibus et phantasia indomita intuentes intimoque pectore sentientes, dignissimos fuisse qui eam suis carminibus celebrarent. Et profecto libri Hebraeorum poëtici, non dico gaudent, sed vero abundant carminibus ejusmodi; quae cum incomta dictionis simplicitate indomitam jungunt fingendi audaciam, quaeque conceptuum excelsitate affectuumque impetu atque vi nos movent, excitant et percellunt. (1)

Iis vero, quae hucusque recensuimus, non unice constat, neque continetur Hebraicae poëseos, quae in natura celebranda versatur, praestantia. Hisce enim virtutibus cum caeteris Musis Orientalibus ea posset aliquatenus comparari; et quidem ab Arabibus in cogitationibus, sententiis, imo in verbis quodammodo aequiparatur (2). Ast majorem acquirit dignitatem gravitatemque Hebraica poësis, et qualem vix, ac ne vix quidem, in ulla poësi inveneris, majes-

ta-

(1) De toto hoc argumento cf. cl. Pareau, *Ant. Hebr. Descript.* p. 458 sqq. Cl. Willmet, *in oratione de ingenio Hebraeorum ad poësin maxime accommodato*, pag. 18 sq. et Dibbits, l. l. p. 37 sqq.

(2) Quod elucet maxime ex iis, quae docuit in *Comm. laud.* Doct. Pareau, p. 25 sqq.

tatem ac sublimitatem, nobilissimis religionis sensibus, quibus nititur tota. Et hinc denique omnium maxime haecce poësis res creatas dignissime carminibus descripsit.

Est quaedam religio in cujuscunque gentis poësi, et apud omnes populos antiquos Diis rebusque coelestibus et divinis carmine praedicandis inservierunt poëtae. Verum Hebraica poësis religionem tanquam matrem, nutricem vitaeque suae fontem veneratur et colit, atque eo melior digniorque eam adhibuit, quo veriores puriorésque de Divino Numine fovebat notiones. Religio, qua homo ab hac terra ejusque pulchritudine adscendat ad ipsius Creatorem ac Gubernatorem unicum et supremum, eumque debitis celebret laudibus, cultuque revereatur sincero, in universa poësi Hebraica sedem suam habet privam et propriam ejusque quasi vim vigoremque constituit (1). Nec mirum. Hanc enim gentem, quam selegerat Deus purioris religionis conservatricem, instituebat, regebat, moderabatur ipse Jehova. Optimis quibuscumque, quarum ni-

(1) Conf. de hac poëseos Hebraeae praestantia Cl. Pareau, *in Oratione de ingenuo Hebraeae poëseos studio*, p. 39 sqq. Rau, *in Oratione de poëseos Hebr. prae Arab. praestantia*, p. 211 sqq. et 41 sqq. et Dibbits, l. l. p. 41—45. 101—108.

nimirum remota illa aetas capax esset, de Numine Divino notionibus imbuebantur, et peculiaribus patefactionibus divinis quam plurimum gaudebant Hebraei. Abrahamus caeterique Patriarchae verum Deum agnoverant terrae coelique creatorem omnipotentem, et moderatorem aequissimum; eumque coluerant tanquam suum amicum rerumque domesticarum testem perpetuum et conservatorem (1). Eundem igitur Jobeidis auctor in carmine suo celebrat tanquam potentissimum, justissimum et sapientissimum, cujus regimen, ad res humanas spectans, non carpendum sit, neque a mortalibus unquam iniquitatis accusandum, quippe quod aeque superet humanae mentis captum, ac si quis divinam magnitudinem, in rerum natura conspicuam, dijudicare velit (2). Cum ipsa autem gentis institutione sensim sensimque elatiores et magnificentiores invalescebant de Deo notitiae. Et cum Moses magnificentissimo modo de montis Sinaitici cacumine leges promulgaret divinas (3) et Jehovam praedicaret totius rerum universitatis Creatorem, Dominum Arbitrumque potentissimum,

(1) *Gen.* XIV. 22. XVII. 1. XXIV. 3. cf. Cl Pareau, *Ant. Heb. Descript.* p. 73 sqq.
(2) Vid. Cl. Pareau, *Inst. Intp. V. T.* p. 548.
(3) *Exod.* XIX et XX.

tuum, immutabilem, aequissimum, justum sanctissimumque, simul vero suis benignum, clementem, fidelem et veracissimum nullaque effigie repraesentandum (1), tum profecto poësi Hebraicae, et suo exemplo, et suis institutionibus eximias quasque suppeditavit notiones sensusque. Tales autem, quales in nulla non poësi defuerant antea, nec postea tam universae tamque sublimes in cujuslibet gentis, nisi in Hebraeorum carminibus, adfuerunt (2). Idem enim Jehova, qui totum gubernabat universum, Israëliticae gentis erat dux, legislator et fautor peculiaris. Hoc quasi fundamento nitebatur non tantum religio, sed tota civitas Israëlis. In tabernaculo Deus ipse, quasi in palatio habitabat suo. In sanctissimo conclavi Jehova, omni, quae Orientali Monarchae, conveniebat, pompa ac magnificentia, Sacerdotum Levitarumque aulicorum instar turba stipatus, suo quasi throno insidebat, gentisque commodis consulebat. Interpretibus Mose, Aärone et postea sacerdotibus Prophetisque leges ferebat, jus dicebat, et praemia rependendo poenasque irrogando, gentis religioni rebusque necessariis prospiciendo, at-

(1) Vid. Cl. Pareau, *Ant. Hebr. Descr.* p. 89 sq. et loca ibi citata.

(2) Cf. Muntinghe, l. l. p. 15.

atque ipsam rem bellicam procurando, omnia ea peragebat Jehova, quae apud Orientales supremae potestatis civilis propria esse censerentur. Ipsam terram Palaestinensem Israëlitae referebant Jehovae acceptam; qui per regiones et deserta salvos eos sua manu duxerat in regionem promissam. Reges, quos constituebant, Jehovae erant vicarii; ipse vero Jehova supremus omnium Rex (i). Quales igitur quantasque Divini Numinis notiones, in quibuslibet suis carminibus, celebrare poterant vates Hebraei! Omnes enim, quippe sinceri cultores Jehovae, omnia ad eum retulerunt, a quo omnia acceperant ipsi. Inprimis vero iis poëtis, qui rerum naturam carminibus essent celebraturi, optimi hi religionis sensus eximias quasque suppeditabant poëseos dotes. Huic universo Deus provida sua cura aderat perpetuo; et in rebus creatis suam gloriam infinitamque magnificentiam aperte et palam faciebat conspicuam. Hinc igitur vatibus sponte aderant undecunque elatissimae quaeque de Divino Numine notiones, sensus affectusque, in quibus poëseos sacrae non tantum agnoscimus majestatem et sublimitatem, sed vero adora-

(i) Vid. de Theocratia omnino Cl. Pareau, *Ant. Hebr. Descript.* p. 135 sqq.

rarunt divinitatem (1). Scilicet Hebraea poësis, ab omnibus, quibus abundant Graeci, Deorum fabulis aliena, in Jehova celebrando utitur quidem fictionibus; qualis enim poësis fine fingendi libertate? sed parcius, castius, prudentius, fictionibus nimirum elatis, grandibus, magnificis, de rei dignitate nil detrahentibus. Humanas quidem actiones, affectus motusque Jehovae adscribuntur, sed nil sublimius Deoque dignius protulit ulla poësis. Et quod maximum, in sublimitate summa singularem quandam in hisce admiramur simplicitatem rationemque incomptam. Dum in tentoriis habitabant, Deum celebrabant coelos extendentem tentorii instar, cujus cortinae atrae sunt nubes (2). Quem in tabernaculo Regis instar colebant Israëlitae, eum, in coelis omni magnificentia et excelsitate indutum, ministrorum coelestium choro stipatum et Cherubis vectum, sibi fingunt poëtae (3). Et in tempestatibus ipsum Jehovam in nubibus praesentissimum sibi repraesentant, cui fulmina ministrant, suoque jussu emittuntur atque percutiunt,

(1) Cf. Lowth, p. 168.
(2) Cf. *Job* IX. 8. *Ps.* CIV. 2. XVIII. 12, 13. *Jes.* XL. 22. XLIV. 24.
(3) *Ps.* CIV. 18. passim. cf. Cl. Pareau, *Myth. S. C. interpr.* p. 92, 93.

tiunt, quique ventorum alis vehitur per coelos, dum, nubibus undecunque obvolutus, tremebundum suum edit fragorem. Quam sublimi autem et elato modo stupendam illam Jehovae magnitudinem ac majestatem Hebraeorum laudant poëtae! Mox enim, ut oculos sursum tollamus, nos adspicere jubent, quis illa creaverit, qui eorum exercitum numero educat, suo quodque nomine vocans, tanta virtute, tamque firmis viribus, ut nullum desit. (1) Mox autem Jehovae dicunt esse tellurem, et quidquid ea continet; orbem terrarum, et qui habitant in eo:

Ille enim est, qui eam fundavit, ut supra maria emineret,
Qui eam stabilivit, ut se efferret super flumina. (2)

Et aliquando cum summa fingendi audacia stupendam Dei potentiam ita celebrat Jobeidis auctor, ut facile neminem ipsi parem dixeris sublimitate. Quam magnifice, ut hoc unum memorem exemplum, infinitam Dei potestatem ac gloriam laudat in eo sermone, quo Bildadi temeritatem tam fortiter deprimere studet, ut in subli-

(1) *Jes.* XL. 26. vers. *Castellionis.*
(2) *Ps.* XXIV. 1, 2.

ſublimi hac deſcriptione fere nesciam, utrum magis nos moveat percellatque; admirabilis ſermonis granditas et elatio, an vero eximii venerationis erga Deum potentisſimum ſenſus, quos effundit poëta:

Ille est, cui nudi patent Inferi,
Neque habet Orcus tegumentum!
Polum ſtelliferum ille ſuper inani tenet extenſum;
Terramque ſuspenſam ſuper nihilo!
Denſis ſuis nubilis illigatas vehit aquas,
Neque harum mole disrumpitur nubes!
Idem ſolii ſui conſpectum intercludit,
Dum ſuae nubis ei oppandit aulaeum:
Ac terminum circinavit in ſuperficie aquarum,
Ad lucis usque tenebrarumque confinia! —
Coelorum palpitant columnae,
Obſtupescunt ad ejus increpationem!
Sua vi huc illuc commovet mare!
Idem uno flatu coelos ſerenat!
En! Hae ſunt extremae ejus operum lineae!
Et quam levis est ſuſurrus, quem procul audimus?
At ipſum divinae majestatis tonitru, quis coram ſustineat? (1)

Sed cur pluribus illustrarem exemplis illud, quod, in

(1) *Job.* XXVI. 6 ſqq.

in libris poëticis ſacris legendis, unaquaque fere pagina lectori attento obvium fit? Neque etiam istud mihi propoſueram hac disquiſitione. In animo tantum erat aliquatenus ostendere, Hebraeos et ad naturae ſpectacula carmine celebranda fuisſe aptisſimos, et eo dignius ſublimiusque hanc poëſeos partem tractavisſe, quo magis a rerum creatarum pulchritudine et magnificentia ad ipſius Creatoris adſcenderent majestatem, in ejus operibus conſpicuam. „Et ſane, quisquis unquam inciderit in praestantisſima Hebraeorum carmina, non potuit non ſuspicere altos ſenſus animi, quaſi in coelum rapti, et ad cauſam terrenis majorem ſeſe erigentis; non potuit non admirabundus adſpicere ignem illum coelestem, quo ardet poëtarum pectus, in Deo cogitando, deſiderando, ſentiendo, cui vero celebrando impar ipſis videatur totius naturae concentus." (1)

(1) Sunt verba Dibbitsii, l. l. p. 107.

CA-

CAPUT II.

INDOLES POËSEOS DAVIDICAE, INPRIMIS EJUS, QUAE IN RERUM NATURA VERSATUR.

§. 1.

De Davide ejusque indole.

Quae hactenus de universa Hebraicae poëseos ratione consideravimus, ad nostrum exponendum carmen Davidicum eximie valent. Antequam vero hujus pertractationem aggredi nobis liceat, aliud quid restat, idque non minimum sane. Scilicet, quod sponte cuique patet, temporum diversorum ratio, singulorum poëtarum conditio, ipsumque ingenium poëticum, pro infinita humanae indolis diversitate longe diversum, miram in Hebraeorum carminibus constituerunt sensuum, conceptuum, affectuumque varietatem (1). Singula igitur carmina ad singulorum vatum indolem et conditionem videntur dijudicanda. Et Davides quidem, dotibus quibusdam sibi unice propriis cum gauderet, ideo, priusquam proce-

(1) Cf. Cl. Pareau, *Inst. Intp. V. T.* p. 428.

cedamus, pro viribus juvat singularem poëseos, qua excelluit, adumbrare indolem. Me autem hac disquisitione id unice spectare, quod proxime ad nostrum carmen pertinet, monere vix opus est. Caetera, quae universam poësin Davidicam spectant, quaeque eo proposito adduximus, ut illa illustrarentur meliusque intelligerentur, breviter tantum perstringemus; et quae de universis Hebraeis supra attulimus, in Davide considerando plane omittemus, vel, si opus est, verbo indicabimus.

Davidi igitur eximiae illae ad poësin tractandam, inprimis quae in rerum natura versatur, opportunitates minime defuerunt. Namque et simplici vitae ratione, et indole sua, et sincera, quam colebat, religione, ad hujus universi majestatem percipiendam, intimo animo sentiendam, versibusque protinus effundendam, fuit aptissimus. Davides enim non tantum, vitae ruralis suavitatem quotidie percipiebat, gratoque fruebatur naturae adspectu, vel in ipsa natura, vel ex aedium tectis; sed vero etiam in juventute ipse fuerat ovium pastor, et interdiu noctuque in Bethlehemiticis campis duxerat greges paternos. Et sane, si verum est, per totam uniuscujusque hominis vitam, ea maxime dominari studia, quae puer jam concepit, quaeque juvenis aluit promovitque, hujus rei in Davide mani-

ni-

nifestum reperimus exemplum. Nimirum dici vix potest, quantam habuerit vim pastoritia, quam egerat in juventute, vitae ratio in universam ipsius poësin: usque adeo, ut in carminibus ejus legendis, sive quae in juventute, sive quae jam senex composuit, non possimus non continuo pastorem cogitare, cui frui licuerit tali assiduo naturae adspectu (1). Imagines et comparationes, quas adhibuit Davides, paene omnes a pastoritia illa vita sunt petitae. Quid frequentius in ejus carminibus, quam populi Israëlitici cum ovium grege comparatio, cujus ipse Jehova fidelis sit pastor (2)? Huic autem gregi saepius opponit populos hostiles, sub imagine infestae leonum taurorumve turbae, pecudi insidias tendentis (3). Et sicuti in juventute, dum in campis versabatur Bethlehemiticis, semetipsum comparabat cum ove, quam Jehova curat fovetque (4), ita senex malignum hostem, Deique contemtorem, carpebat, imagine desumta a leone, e lustro insidias struente, et praedae suae voraciter inhiante (5). Sed quid

(1) Cf. Cl. J. H. v. d. Palm, *Redev. en Verh.* I. p. 16 sqq.

(2) *Ps.* XXVIII. 8, 9. et alibi.

(3) *Ps.* XXII. 22. et alibi.

(4) *Ps.* XXIII.

(5) *Ps.* X. 9.

quid memorem innumeram istam imaginum, ab herbis, plantis, arboribus animalibusve desumtarum, copiam in Davidicis carminibus obviam, cum per totam ejus sint diffusae poësin. Neque tantum imagines suas a re pecuaria, vitaque rurali saepissime desumsit Davides; verum et in ipsis naturae spectaculis carmine celebrandis maximam habebat delectationem. Prima poëseos specimina sub dio composuit, suavique cantu ad citharam comparato, nocte serena, divinam benignitatem in ejus operibus conspicuam eximie celebravit (1). Et eadem ad res creatas suis versibus praedicandas propensio per totam vitam ei comes mansit, ut ne senex quidem eam amiserit. (2)

Indolem autem Davidis si attenderimus, quisque videbit, ipsum et poësi tractandae fuisse aptissimum, simulque ejus poëseos rationem, indoli congruam, a caeteris poëtis longe fuisse diversam. — Ingenium habebat fervidum, mentemque solertem; ad magna quaeque peragenda idoneam. Hisce jungebat phantasiam vividam, eamque illustrem, et affectuum valebat indomita vi. Affectibus hisce ductus Davides optima quaeque suscepit, animoque perfecit ardenti; hisce ve-

(1) *Ps.* VIII. cui ordine succedit *Ps.* CIV.
(2) *Ps.* LXV.

vero abreptus, gravibus nonnunquam vitiis erat obnoxius, ut aliquando primo impulsui cedens, suique non compos, ea perpetraret, quae culpanda essent magnopere. Eadem animi vis efficiebat, ut Davides, quamvis non ad extrema omnia rueret, e gaudio plerumque summam conceperit laetitiam; e tristitia summum dolorem. Quem diligebat, hunc tanquam suum animum adamabat; contra vero impios suos adversarios exsecrationibus petebat dirisque (1). At vero idem, et a natura, et a patriarcharum simillima vitae ratione, magnam sibi contraxerat animi lenitatem et suavitatem. Ab omni duritie et asperitate longe abhorrens, sensibus quibuscunque nobilioribus concipiendis fovendisque maxime erat idoneus. Jungas autem huic lenitati pectus apertum candidumque, cujus speculum non fallax ipsius vultus referebat (2), quodque per totam vitam ostendebat, ut adeo, nisi summis, in quibus versabatur, angustiis miseriisque

(1) Hic est θυμὸς ille Platonis, quem in homine animadvertimus, impetus ille, quo vel rationi vel etiam cupiditatibus paret; animi illa vis, quam Hemsterhusius dixit *velléïté*, *la faculté de pouvoir vouloir et agir.* Vid. Plato, *de Rep.* IV. p. 440. et Hemsterhuis, in dialogo *Aristée*, *ou de la divinité*, ed. Lovan. I. p. 256. nota.

(2) 1 *Sam.* XVI. 12, 18, 21.

que oppressus, ad dissimulationem fuerit proclivis. (1)

Quandoquidem autem Davides hanc suam indolem ad vivum expressit in suis carminibus, non potuit non ejus poësis peculiarem quandam induere rationem, Davidi unice propriam. Scilicet poëta noster quamvis nonnunquam sit *sublimis*, quod, in nostro Psalmo, quis neget? imo vero, quamvis interdum ipsum Mosem sublimitate adaequet, nisi forte superet, plerumque tamen summa eminet *simplicitate*, *lenitate* et *suavitate*. Idem et in dictione et in sensibus valde est *vividus affectibusque plenus*. Quod autem maximum est, Davides, *religione* sincera penitus imbutus, huic suam poësin subjecit totam, ab eaque omnem vim vigoremque repetiit (2). De singulis hisce breviter videamus.

§. 2.

Sublimitas in poësi Davidica.

Est quaedam sublimitas in universa Hebraeorum

(1) 1 *Sam.* XXI. 13. Cf. de indole Davidis Muntinghe, *Gesch. der Menschh.* VI. p. 14 sqq. Niemeyer, *Karakterk. van den Bijbel*, III. p. 148 sqq.

(2) Cf. omnino Cl. Pareau, *Inst. Intp. V. T.* p. 467. et Muntinghe, *Inleiding* l. l. p. 29 sqq.

rum poëſi. Dictione elata et grandi, audacia imaginum et comparationum, troporum eximio uſu, conceptuum magnitudine et excelſitate, indomito affectuum, vel exprimendorum vel excitandorum, impulſu facile omnes ſuperat Muſas (1). Haec virtus uti omnibus Hebraeis vatibus est propria, ita Davidi eam deëſſe, nemo facile dicat. Cum vero haec poëſeos virtus apud Hebraeos non ſit quaeſita, verborumve granditate affectata, ſponte patet, ſingulos poëtas, pro diverſo ingenio, alterum minori, alterum majori excellere *ſublimitate*. Videamus igitur, quatenus noster poëta ſingulari hac polleat poëtica facultate.

Jobeidis auctor, ſolem orientem intuitus, et ſpectaculi magnificentia in admirationem abreptus, ſublimi ratione auroram ſibi repraeſentat, terrae oras extremas, veluti pannum, prehendentem, ut improbos inde excutiat, eorumque tuguria, ac ſi lutea esſent, comminuat atque confringat (2). Aliter Davides. Hic enim eodem fruitus adſpectu ſolem matutinum fingit, qui laetus velu-

(1) Vid. de ſublimitate in poëſi Hebraeorum Lowth, l. l. prael. XIV-XVI. et prael. XXV-XXVII. Cl. Pareau, *Inſt. Int. V. T.* p. 439. ſqq. et Dibbits, l. l. p. 108 ſqq.

(2) *Job.* XXXVIII. 12. ſqq.

luti sponsus thalamum linquat, strenuique instar herois cursum per coelos instituere gestiat (1). Videt quisque, Jobeidis auctorem esse elatiorem, grandiorem, sublimiorem. Davides ergo cedit Jobo, Mosi, imo Jesaiae, neque semper est sublimis, aut plerumque, uti illi; sed tum demum altius se effert, quando res ipsae, de quibus agit, tam sunt grandes, ut sublimem orationem necessario postulent. Grandius nihil tonitruum tremebundo fragore, fulminumque flagrantium jactu. Quodsi Davides talia naturae spectacula carminibus praedicat, tum profecto omnia sunt sublimia, elata, ad rei indolem plane accommodata. Audias poëtam, quando ipsum Jehovam sibi fingit de coelis in horribili adventantem tempestate, nubibusque tonantibus et fulminantibus cinctum, ut eum, jam cum inferorum colluctantem horroribus, sua manu apprehendat salvumque ex inferis educat. Jehova perceperat e suo palatio miseri vociferantis clamorem Apparet omni, qua par est, majestate, ut amicum periculo eripiat;

Concussa est et intremuit tellus;
Tremuerunt montium fundamenta;

Con-

(1) *Ps.* XIX. 6.

Contremueruntque dum ejus ira exarserat.
Adscendebat fumus e naribus ejus;
Ibat ex ejus faucibus ignis edax;
Procedebant ab eo prunae ardentes.
Coelos inclinabat, ac descendebat;
Dum sub ejus pedibus erat densa caligo.
Vehebatur Cherubis, et volabat,
Et super venti alis ferebatur.
Tenebras ponebat sibi, ut latibulum;
Circum se, ut tentorium sibi,
Caliginem aquae, densa nubium (1).

Et quam elate ipsam describit tempestatem in tractibus saevientem montanis!

A fulgore adventantis nubes diffugiebant;
Grando cadebat, prunaeque ignitae.
Intonabat in coelis Jehova;
Altissimus fragorem suum edebat.
Emittebat sua tela, ac disjiciebat;
Quassabat fulmina, ac propellebat citissime! —
Tum patefacti sunt alvei aquarum,
Retecta sunt orbis fundamenta;
Ab increpatione tua, o Jehova,
Ab halitu spiritus narium tuarum! (2)

To-

(1) *Ps.* XVIII. 8-12.
(2) Vs. 13-17.

Tonitru est fragor ipsius Jehovae! Fulmina, tanquam tela citissime jactata, adhibet, et hisce, veluti armis, adversariorum impetum irritum reddit ipse Jehova! Spiritus narium ejus sunt venti rapidi; ab ejus halitu reteguntur orbis fundamenta, alveique aquarum! Quid magnificentius? Quid majestate plenius? —

Et quando Davides, divino percitus impetu, et quasi furore quodam sacro concitatus, Jehovae celebrat laudes infinitamque potentiam et majestatem, tum praesertim ejus poësis summam acquirit sublimitatem, et elata dictione sensibusque magnificis nos penitus movet atque percellit. Quae vero cum magis ad religionem pertineant, dein uberius lustrabimus, quando in ipsos, quos de Jehova fovebat, sensus sumus inquisituri. Unum istud exemplum satis jam docet, Davidem rebus magnificis grandibusque ita permoveri, ut, quidquid magni excelsique percipiat et sentiat, id vivide sibi repraesentando sublimi sane ratione protinus effundat. Cum vero sublimitas illa Davidis exoriatur e vivida ipsarum rerum, prouti revera sunt, repraesentatione, ita plerumque temperatior est quodammodo et moderatior. Quamvis enim aliquando majorem sublimitatis gradum attigerit, animi lenitas diu in ea subsistere non sinit; ac sensim sensim-

ſimque ad ſedatiores lenioresque recurrit ſenſus et cogitationes (1). Exemplis rem illlustremus. *Pſalmo* XI, in terribili divinarum de improbis poenarum deſcriptione, poëta imaginem petit a vento in Palaestina omnium maxime horrendo, qui, ex Arabiae deſertis delatus, ardore ſuo omnia exurit ſuffocatque confestim. Exclamat igitur:

> Depluet ſuper improbos
> Longa fulmina ignemque ſulphureum;
> *At* ventus pestifer (poculi lethalis inſtar) iis erit hauriendus (2)!

Quid dirius, quid horribilius Jehova immittere posſet? Sed vero ſtatim ſubjicit poëta:

> *Justus* Jehova juste agere amat,
> Integer quisque eo gaudebit praeſente (3).

Similiter Pſalmo LXV. 7, 8. ſublimi ratione Jehovam alloquitur vates:

O

(1) Cf. Muntinghe, l. l. p. 30-32 et Cl. v. d. Palm, l. l. p. 15.
(2) Vs. 6.
(3) Vs. 7.

O tu! qui montes firmas tua virtute,
Qui accinctus es robore!
Qui compescis marium aestum!
Aestum, quo ſe efferunt eorum undae,
Ac populorum tumultum!

Quam magnifice, quam elate! verum quam moderate ſuaviterque ſimul! Idem Jehova, qui fluctus exaeſtuantes mox compescit, quique procellas comprimit, idem populorum turbas et ſeditiones ſua benignitate placat, et ad tranquillitatem reducit (1).

Apparet autem haec ſublimitas apud Davidem in orationis forma, et vel maxime in brevitate dicendi. Conciſa brevitas in ſublimitate maximam habet laudem. Quod pulchrum, jucundum, ſuave est, id lentius cautiusque ad ſuum pervenit finem, neque verborum varietas ſuavitati est noxia; cum per jucundas rerum ambages ducat lectorem, animumque leniter afficiat, moveat, delectet. At vero, quod ſublime, quod elatum est, id continuo nos percellit, ipſamque affectuum quaſi arcem protinus expugnat. Affectio, quam patimur a ſublimitate, est inſtar fulminis, quod ſubito erumpit,

Mag-

(1) Cf. Muntinghe, l. l. p. 46.

Magnamque cadens magnamque revertens
Dat ſtragem late, ſparſosque recolligit ignis(1).

Sic igitur Davides, cum ſumma ſublimitate brevem, reſtrictam, preſſamque conjungit dictionem; ut adeo, quod philoſophus Hemsterhusius dixit de locis, quos admiramur in optimorum poëtarum ſcriptorumque operibus, eos tum esſe ſublimes, cum intra tempus brevisſimum afferunt maximum cogitationum numerum, id de Davidis ſublimitate verisſime dici posſe arbitremur (2). Sic v. c. quando Jehovae fulmina terrarum orbem collustrant,

Terra videt et contremiscit,
Montes, ut cera, liquescunt (3).

vel Jehova

Terra

(1) Cf. Blair, *Lesſen over de Redek.* I. p. 199 ſq. Cl. Pareau, *Inſt. Int. V. T.* p. 442 et Lowth, l. l. p. 10.

(2) Locus Hemsterhuſii, est in ejus *operibus* Vol. II. p. 152 ſqq. (*Lettres ſur la ſculpture*) „ L'ame veut donc naturellement avoir un grand nombre d'idées dans le plus petit espace de temps posſible — tout ce que nous appelons, *ſublime* dans Homère, dans Démosthène, dans Cicéron, dérive de là.

(3) *Pſ.* XCVII. 4.

Terram intuetur, eaque intremit,
Montesque tangit, ac fumant (1).

Quod autem fupra jam diximus de fententiarum, qui dicitur, parallelismo, cui Hebraica poëfis inprimis fuam debeat fublimitatem gravitatemque, idem et in nostrum poëtam eximie quadrat. Quod et in modo allatis exemplis manifesto jam patet et inprimis nobis apparet, dum in mentem revocemus magnificam illam et faepius laudatam fententiam, in qua eo fublimius expresfit noster infinitam Creatoris potestatem, quo paucioribus et fimplicioribus ufus est verbis, aptisfima junctis ftructura:

Ille dixit et factum est!
Ille jusfit et adfuit (2).

Quidquid addideris, mutaveris aut detraxeris, de fublimitate aliquid tollas. Et vel equidem fallor, vel fimillima creationis defcriptio in libro Jobeidis obvia, additis compluribus adjunctis et imaginibus audacisfimis, rem quidem magis illustrat, fed vel fic tamen germana fublimitate huic Davidico loco longe cedit estque inferior (3).

§.

(1) *Pf.* CVI. 32.
(2) *Pf.* XXIII. Cf. Cl. Pareau, *Inft. Int. V. T.* p. 42.
(3) *Job.* XXXVIII. 4-11.

§. 3.

Davides in sua poësi plerumque est simplex, suavis, lenis, simulque valde vividus.

Ex iis, quae de sublimitate in Davidis carminibus conspicua diximus, apparet jam quodammodo ratio poëseos ei propria; sed apparebit haec magis etiam, si ad nativam attenderimus, quae in ea cernitur, *simplicitatem*. Est quidem universa Hebraeorum poësis simplex et incomta, atque in lingua imaginibusque, in sensibus et affectibus infantiam refert humani generis; sed agimus nunc de singulari quadam eaque nativa, ut diximus, simplicitate, quae, *lenitatem* et *suavitatem* arctissime junctam habens, Davidis poësin jucundo quodam vividoque tingit colore. Cedat igitur licet aliis Hebraeorum poëtis granditate Davides; lenitate superat fere omnes. Et simul longissime abhorret ab omni tumore, quo artificiose nonnunquam suas imagines adornare student sacri poëtae serioris aetatis (1).

Cernitur nativa illa Davidis proprietas in quibuslibet poëticis ejus descriptionibus, quae historicas continent relationes. Cernitur eadem in

(1) Cf. Lowth, l. l. p. 243 sqq.

in iis carminibus, quae ſive laetam ac prosperam ſive tristem adverſamque ejus arguunt conditionem. At vero inprimis illa allicimur, movemur et delectamur, quando naturae vel pulchritudinem vel magnificentiam carminibus deſcribit celebratque. Quam ſuaviter, quam venuste poëta carmine, quod compoſuisſe videtur, dum oves paſcebat paternas, Deum laudavit, qui tanto honore hominem beaverit mortalem, ut eum rerum terrestrium conſtituerit dominum, eumque reddiderit paene Angelis parem!

(O Jehova!) quid est mortalis, ut ejus memineris,
Ac natus Adamo, ut ejus habeas rationem!
Ut eum Deo Angelisque paulo reddideris minorem,
Ac gloria et honore coronaveris!
Ut eum praefeceris tuis operibus!
Ut ejus imperio ſubjeceris omnia!
Omnes oves aeque ac boves,
Ipſasque etiam feras agrestes;
Aves aërias, et pisces marinos,
Quidquid tranſit per marium ſemitas!
O Jehova, qui noster es Dominus!
Quam magnificum est tuum nomen per terram univerſam! (1)

In-

(1) *Pſ.* VIII.

Inprimis vero mirabili illa simplicitate et suavitate delectamur legendo Psalmo centesimo quarto; in quo poëta totius naturae, redeunte vere recreatae et renovatae, tabulam exhibet, tam magnificam et ad vivum depictam, ut in montibus et campis Palaestinae plane nobis videamur versari atque obambulare. Fontes et torrentes leniter de montibus promanantes decurrentesque conspicimus. Ferae agrestes undecunque in valle accedunt, ut sitim restinguant; dum in recentibus arborum frondibus nidificant aves suavique cantu aures demulcent. Quaecunque in terra degunt marique, festum veris redeuntis quasi agunt ac palam laetantur; agricola ad suum opus egreditur, quod per noctem interruperat, et laete diligenterque colit agros ad vesperam usque. — Sed ipsum carmen, idque totum, nobis legendum esset: cujus singulae partes animum nostrum allicerent, dum universum miro quodam nos imbueret Davidis amore, qui tam suaviter vivideque naturam depinxerit (1).

Audias denique, quam laete, quam naturae convenienter de reddita regioni per pluvias benignas fertilitate Davides canat *Ps.* LXV. Ibi Deus

(1) Cf. ad hunc Psalmum Herder, l. l. I. p. 104. Cl. Palmius, l. l. p. 18 sq. et Dibbits, l. l. p. 92.

Deus dicitur curasſe regionem, eamque foecundasſe abunde, ſic ut nubes, quibus Jehova veluti curru vehitur, ejus gravitate presſae, pluviam demittant, currusque hujus orbitae ubertatem deſtillent:

> Deſtillant eam in pascha deſerti,
> Conſerunt ſe colles hilariter,
> Prata induta ſunt pecore,
> Vallesque tritico convestitae;
> Laetantur omnia, imo jubilant (1).

In talibus autem exemplis, qualia attuli, expectet forte quis ſimplicitatem apud quoscunque poëtas. Verum Davides hujusmodi argumenta ſibi ſaepe elegit, ac vero etiam idem in ipſis grandibus rebus deſcribendis miram habet ſimplicitatem. Exemplo ſit brevisſima illa, et vero eximia, cataractarum Libani deſcriptio, quam vates ſuo carmini intexuit, quod compoſuisſe videtur, cum filium aufugisſet rebellem, ad montis Libani radices. Adſpicit poëta immenſos torrentes, qui, de rupibus altisſimis ſummo cum impetu decurrentes, in amnes erumpunt, vel ruunt ac delabuntur ad imos gurgites usque. Audit ingentem cataractarum ſtrepitum, quae de-

(1) Vs. 12, 13, 14.

de ſaxis in ſaxa reſonant atque percrepant, et in carmine ſuo, non plurimis adjunctis variisque imaginibus adhibitis, horrida haec deſcribit naturae ſpectacula; ſed vero ſuam ipſe miſeram reputans conditionem, eam cum magnifico illo adſpectu hisce comparat verbis:

> Ut gurges acclamat gurgiti, dum tui ſtrepunt canales,
> Sic omnes tui fluctus undaeque obruunt me. (1)

Depingit poëta tantum ea, quae videt auribusque percipit; quodque animo ſentit, id vivide effundit exprimitque. Quaenam autem tabula, a pictoris manu profecta, melius posſet exprimere arcus magnificos ſpecusque horrendos, quos in montibus altisſimis rupes efformant, quosque Davides dicit *Jehovae canales?* Profecto ne ipſius quidem Volneji itineratoris deſcriptio ad Libani montem pertinens, licet per ſe eximia, tam perſpicue oculis nostris ſubjicit immenſas hujus montis cataractas gurgitesque profundos (2).

Quo melius autem quisque videat, quantum interſit Jobeidis auctorem inter et nostrum poëtam,

(1) *Pſ.* XLII. 8.
(2) Vid. Volney, *Voyage en Syrie et en Egypte*, p. 297 ſqq. Cf. Muntinghe, *ad Pſ.* XLII. 8.

tam, quod ad sensuum lenitatem dictionisque simplicitatem, juvat, levi intuitu comparare ex utroque petitam descriptionem horrendae tempestatis; in qua Jehovam, ut terribilem hominum judicem, subito adventaturum, fingunt. Ita Jobus, cap. IX. 5. sqq. Dum advenit Jehova,

En, montes evellit nec opinantes,
Eos suo halitu subvertens,
En, terram tremefactam quatit ex suo loco,
Ejusque columnae pavide obstupescunt!
En, soli praecipit, et non exoritur;
Obstruit stellis surrecturis!
Coelis inclinatis se tegit ut veste;
Dum super alta maris terga obambulat.
Ecce, irruet in me, non percipiam,
Invadet, neque ipsum animadvertam,
Ecce, rapidissime fertur: quis eum repellat?
Quis ei dicat, quid facis?
Deus est, *caet.*

Hic horribilia quaevis digito quasi monstrat poëta et indicat. Davides vero, in illo carmine, quod antea jam laudavimus tanquam sublimitatis exemplar *Ps.* XVIII (1), ea tantum, quae expertus est, refert et describit poëtice:

Con-

(1) Vid. supra p. 32 sq.

Concusſa est et intremuit tellus,
Tremuerunt montium fundamenta,
Contremueruntque, *caet.*

Caeterum, quam breviter et abrupte Jobus; contra, productius leniusque Davides! Ne loquar de ſenſibus, quos uterque de Jehova animo fovet. Davides benignisſimum eum appellat auxiliatorem, a quo ex inferis ſalvus educatur. Jobus vero Deum inducit „ inſontem qui petit aeque ac ſontem, quique ridet ad mala innocentium immerita" (1). Davidis deſcriptio nobis ostendit virum ad ſummas adactum angustias, et fere miſeriis oppresſum; necdum tamen deſperantem, ſed Jehovae fiducia plenum. Jobi vero deſcriptio talis est, qualis cum indignatione loquentis *nihilque* ſperantis convenit. Verbo: *Davides nobis* terrorem, horrorem injicit Jobus. *Ille* nos ad miſericordiam ducit et commovet; *hic animum* nostrum penitus deprimit, ferit atque percellit.

Eandem diverſitatem animadvertimus *Job.* XXXVII 1. ſqq. Hoc loco Jobi amicus, horrendae tempestatis obortu, interrumpitur in ſermone. Deum in coelis adventantem percipit. Audit crepitan-

(1) Vs. 21, 22.

tantem tonitru ictum, et ſtatim, metu perculſus atque exanimatus fere pavore, exclamat:

Expavescit cor meum,
Trepideque ſubſilit ex ſuo loco.
Attente auscultate vocis divinae fragorem,
Sonumque vehementem, qui ex Dei ore erumpit! *caet.*

Mox autem Deus fulminibus tanquam miniſtris praecipit, ut irruant. Et fulminum divinae voci obtemperantium reſponſum audimus: „En ſumus praeſto!" (1)

Non ita Davides! Hic Jehovam in tempeſtate magnifice adventantem cum videt, ſtatim incipit a celebranda majeſtate divina:

Celebra mea anima Jehovam!
O Jehova! qui Deus magnus es valde!
Indutus es gloria ac majeſtate! *caet.* (2).

Et ipſos cum deſcribit tonitruum fulminumque effectus, tales eos depingit, quales revera acciderint in rerum natura. Eadem ſunt montium juga, eaedemque ſylvae, de quibus canit, ſed pra-

(1) *Job.* XXXVIII. 35. cf. *Job.* XXXVI. 32.
(2) *Pſ.* CIV. 1 ſqq.

prata non gaudent gregibus, bestiisque sunt destituta. Easdem celebrat cedros, nec vero nidulantibus suaviterque canentibus avibus plenas; sed fulminum jactu eradicatas atque dejectas. Cervae, olim amantium deliciae, non amplius laete pascunt, in pratis non subsiliunt, nec anhelant ad torrentes; verum terrore Altitonantis percussae illae faciunt abortum, foetumque anxie abjiciunt (1). Quid simplicius, quid suavius simul! Scilicet et hoc de universa Davidica poësi, quae in rebus creatis celebrandis versatur, verissime dici posse arbitramur. Davides, non uti Jobeidis auctor, indomita sua phantasia sibi efformat perfectum quoddam rerum exemplum, in ipsa natura non praesens, eique vero congruum atque simile, quod intuitus attenteque contemplatus, elatissima dictione, fervidis imaginibus, sensuumque incredibili majestate carminibus suis expressit; sed vero ille naturam integram, qualem adspicimus, vivido penicillo depingit. Ipsam, quam oculis intuetur, auribus haurit, animo sentit, cogitatione assequitur, rerum pulchritudinem, varietatem et magnificentiam, eximii pictoris instar, adumbrat et imitatur (2). Hujus autem est, naturam

(1) Cf. *Ps.* VIII et XXIX.
(2) Vid. Cl. v. d. Palm, l. l. p. 9, 10. sq.

ram sic imitari, ut, quidquid pulchrum exquisitumque sit, ad suum convertat propositum, eaque singula, non frigide et ingeniose, sed fervida árdentique manu depingat; ut adeo universa pictura vitam acquirat animamque. Similiter Davides, naturam carmine depingens, summum candorem in imitando, inque exprimendo summam ostendit veritatem. Idem cum dictionis simplicitate ac suavitate jucundam quandam, eamque nullo artis praecepto addiscendam, in pingendo jungit facilitatem ac gratiam. — Ne tamen quis hinc efficiat, me, dum Davidi has virtutes attribuo, eum comparatum velle cum Graecorum quodam poëta, sive sit Anacreon, sive Moschus, sive Bion. Profecto in cujuslibet Hebraeorum poëtae indole adumbranda, eum fuisse Orientalem, omnino est animadvertendum. Cultus iste Graecorum, eximia illa venustas et dulcedo cum hilaritate et delectationis studio juncta, in Davide, quippe poëta Orientali, frustra quaeruntur. Hic phantasiae suae indulgens, Orientali ratione, totam hanc naturam vivide sibi repraesentat, tanquam personam vita animaque praeditam, et singulas ejus partes sensibus affectibusque gaudentes (1). „Coeli enarrant Numinis Divini gloriam, seque ab eo for-

(1) *Vid. supra*, p. 11 sq.,

formatum praedicat aether." (1) „Laetantur coeli, terraque ducit choreas. Agri exſultant et quidquid continent, ipſaeque ſylvarum arbores, hominum inſtar, ſuum gaudium palam oſtendunt" (2). Quid? quod, in vehementisſima tempestate, Jehovae adventantis adſpectu terra prae horrore intremit (3), et prae ira Altitonantis fundamenta montium contremiſcunt atque horreſcunt. (4).

§. 4.

Affectus in carminibus Davidicis.

Adest in Davide, ut vidimus, ſublimitas, ſimplicitas et lenitas; tertius est character *affectuum vis atque impetus*.

Quantopere Davides in carminibus ea expresſerit, quae ad intimos pertinebant animi ſenſus, videas jam ex eo, quod, in aulam arcesſitus, Sauli furorem muſica poëſique ſua lenivit. Quod ſane nemo unquam potuisſet efficere, niſi in intimos animi recesſus penetrasſet planeque ſe in-

(1) *Pſ.* XIX. 2. Cf. LXIX. 35.
(2) *Pſ.* XCVI. 11, 12. Cf. XCVII. 1.
(3) *Pſ.* XCVII. 4.
(4) *Pſ.* XVIII. 8.

insinuasset (1). Praeterea vero Davides per totam vitae aetatem saepissime carmina fudit, nec tamen argumenta e longinquo petivit; imo iis ipsis rebus, quae ei acciderant, ad canendum fuit impulsus. Quidquid animo percipiebat, quidquid patiebatur, sive laetum esset sive triste, id tantopere animum ejus afficiebat, ut non posset non continuo intimas has animi affectiones versibus effundere. Itaque saepissime primo jam mane e somno suscitabatur, Musa adhortante, ut „ labiis suis Deo laete jubila caneret." (2) Hinc interdiu ab hostibus, qui ipsum exsulem persequebantur, impeditus, quominus ad citharam suum celebraret Deum, noctu tamen quod caneret, quodque laudaret vitae conservatorem, enixis precibus petebat (3). Quid? quod in morbum gravissimum cum incidisset, ne tunc quidem prohibebatur, quominus intimos suos animi sensus carmine patefaceret (4). — In animi sui affectibus exprimendis unus omnium fuit felicissimus Davides; usque adeo, ut in quibuscumque ejus carminibus ipsum Davidem coram intueri, nostris auribus audire, imo ab-di-

(1) 1 *Sam.* XVI. 16-23.
(2) *Ps.* LXIII. 7.
(3) *Ps.* XLII. 9.
(4) *Ps.* XLI.

ditisſimos ejus in candido pectore recesſus nobis apertos videre videamur (1). Talem in carminibus ſe patefecit Davides, qualem nemo eum historicus deſcripſit, aut vero etiam deſcribere potuit; ejusque carmina merito ipſius animi effigies nuncupantur optima et verisſima. (2)

Candor iste in exprimendis affectibus elucet, cum in hilaribus Davidis carminibus, tum vero maxime in iis, quibus afflictisſima ſua fata deſcripſit. Haec enim tam vivide et ad naturam intimos animi ſenſus produnt et exprimunt, ut in legendo non externae vatis fortunae, ſed ipſius Davidis intueamur imaginem.

Sic, ut uno alterove exemplo, ea, quae diximus, illustremus, in carmine, quo, ipſa ſua deſperata conditione inductus, dirisſimas Mesſiae perpesſiones deſcripſit poëta, hominem, miſeriis ſuis depresſum ac penitus fere perfractum, ita ad vivum cernimus delineatum, ut non posſimus non intimo ejus duci amore et commiſerarione.

Effundor aquarum inſtar,
Soluta ſunt mea osſa omnia;

Cor

(1) Vid. cl. Pareau, *in oratione de ingenuo Hebr. poëſeos ſtudio*, p. 33.
(2) Cf. Muntinghe, *Inleid. l. l. p.* 36. cl. v. d. Palm, *l. l. p.* 11. et Herder. *l. l.* IV. *p.* 165.

Cor mihi est simile cerae,
Liquescit in mediis meis visceribus:
Arescit quasi testa meum robur,
Meaque lingua palato adhaeret;
Ac me in pulverem lethalem jam deprimere vi-
Profecto canes me circumdant, (deris.
Circumstat me coetus maleficorum,
Manus mihi pedesque violenter adstringunt:
Numerare possem omnia mea ossa.
Isti contemplantur meque laeti adspiciunt:
Jam inter se dividunt meas vestes,
Ac de mea tunica sortiuntur. (1)

Quam candide, quam aperte Davides, delictorum suorum conscius, quae antea prae falso pudore conticuerat, mox Deo, ad ignoscendum parato, palam confitetur!

Meum scelus tibi declaravi,
Meamque non celavi iniquitatem;
Statui meum delictum confiteri Jehovae,
Ac tu meum scelus condonasti. (2)

Et denique, quid melius, quid apertius nobis cognoscendum praebet intimum Davidis animum, de-

(1) *Psalm.* XXII. 15-19.
(2) *Ps.* XXXII. 5. cf. *Ps.* XXXI.

delictorum poenis penitus oppresſum, quam candida illa confesſio, et ad divinam justitiam provocatio, quae exſtat *Pſ.* XXXVIII. 4 ſqq.

(O Jehova!) nihil est integri in corpore mihi,
Tanta est tua vindicta!
Nihil ſani est in membris,
Tanta est mei peccati poena! *caet.*

Inprimis vero intimos animi ſui motus prodit poëta in iis carminibus, quibus perverſos ſui aevi vexat mores et conſuetudines. Ab omni iniquitate ac malitia vehementer abhorrens, et ipſe candisſimae ac lenisſimae indolis homo, fere ſemper ab impiis ſuis hostibus exagitatus, non poterat non Davides improbos istos odio perſequi ſummo. Et pleno pectore effundens ea, quae vehementisſimo affectuum impulſu animo conceperat, aliquando horrendas quasque diras adverſus hos adverſarios carminibus pronuntiavit. Quodſi in alio quoquam, in hisce carminibus unice fere affectus loquuntur; et variae animi commotiones ſic ſibi invicem ſuccedunt, ut aliquando initium carminis ſummum ostendat auctoris angorem et metum, dum laete Jehovam celebrando finem ſuo cantui imponit. (1)

Hi

(1) Vid. inprimis *Pſ.* VII. XIII. XLII et XLIII, X. XI.

Hi autem animi sensus cum in universa ejus poësi dominentur, ita eosdem in carminibus, quae rerum creatarum celebrant majestatem, explicandis nisi attenderit interpres, horum pleraque suum pretium prorsus amittent. Etenim Davides, in rerum natura carmine exprimenda atque imitanda, non id egit, ut hac imitatione naturam assequutus videretur; sed vero ipsa natura, ejusque pulchritudine, varietate, et magnificentia commotus atque excitatus, ex intimo pectore eam cantando celebravit. Ipsos suos animi sensus ad vivum expressit, sive fuerint lugubres seu hilares, sive exsultantes laetitia seu admiratione graviores et sedatiores (1). Nocte serena coelum stelliferum contemplatus, animus ejus vehementer afficitur, neque in lunae stellarumque descriptione diu versatur; sed quam animo sentit divinae majestatis admirationem, humanaeque tenuitatis conscientiam carmine aperit. Sic enim de pleno pectore verba fundit:

(O Jehova!) Quid est mortalis, ut ejus memineris,
Ac natus Adamo, ut ejus habeas rationem? (2)

Quan-

XI. V. LVI. CXXXIX. caet. cf. Muntinghe, *l. l.* p. 50 sqq.

(1) Cf. Starkius, *Syllog. Comment. et Obs. Phil. et Crit.* I. p. 14.

(2) *Ps.* VIII.

Quando laetam celebrat regionis conditionem, pluviis rigatam, in ipsa poësi unoquoque vocabulo fere suum exprimit gaudium (1); et quando omnia in rerum natura jubilant cum ipso et creatoris efferunt laudes, tum ipsa poësis, ut cum summo Lowtho loquar, „ triumphare gaudio, laetitia insolescere et prope bacchari videtur."

Dicite, regnat Deus omnipotens;
Dicite populis, ipse Jehova
Posuit stabilis moenia mundi,
Rerum validas torquet habenas.
Coeli exsultent; concinat aether;
Resonet cantu conscia tellus;
Resonent sylvae; resonent montes;
Geminent palmis flumina plausum;
Fremitu laeto reboet pontus:
Psallite, clangite, quaeque patentes
Colitis terras, quaeque profundum.
Advenit, advenit ipse Jehova,
Regat ut populos legibus aequis;
Totum numine temperet orbem. (2)

Nec

(1) *Ps.* LXV.
(2) *Ps.* XCVI. 10-13. et XCVIII. 7-9. apud Lowth. l. l. *Praelect.* XVII. p. 184.

Nec minus hi affectus in iis dominantur carminibus, quae terribiliores continent rerum naturae descriptiones. Sic v. c. in Psalmo decimo octavo, in quo horrendae tempestatis describuntur effectus, quemque supra, tanquam sublimitatis attulimus exemplar, mirum est, quantum sibi succedant variae animi affectiones. Initium ducit poëta a gratissima Jehovae celebratione; et in frequenti eorundem fere verborum repetitione summam cernimus animi laetitiam, qua totus est diffusus Davides.

Valde te amo, o Jehova, meum robur!
Jehova mea est petra, mea arx, meus liberator;
Meus Deus, mea rupes ad quam tutus refugio:
Meus clypeus, meum cornu salutare, meus locus excelsus! (1)

Tum vero summas, quas passus fuerat, angustias recordatur; et identidem vehementissima anxietas ipsius animum occupat. Trepide ad Deum clamat, ipsiusque vox ad hujus aures pervenit. Deus ipse, ut amico ferat auxilium, in coelis apparet. Penitus jam sentit poëta divinae apparitionis magnificentiam et majestatem. Animo percipit horribiles ac pertimescendos tonitruum cre-

(1) *Ps.* XVIII. 2, 3.

crepitantium fulminumque flagrantium effectus, qui adventantem comitantur Jehovam. Et in describenda tempestate summum hunc animi angorem metumque, et venerabundam admirationem tam mirifice carmine depingit, ut in ipsis verbis animi sensus audire tibi videaris (1). Mox denique ab inferorum horroribus se liberatum cum sentit poëta, ipsa poësis e vinculis, quibus quasi constricta erat, relaxata videtur, et in universa, quae sequitur, carminis parte, qua gratissimi continetur animi testificatio, virum deprehendimus et coram quasi adspicimus, qui, intimo pectore sentiens, quid suo Deo debeat, hosce sensus non potest non protinus effundere. (2)

Plerumque vero Davides in naturae majestate carminibus celebranda illo vehementiori affectuum impetu caret. Quando ipse placida gaudebat fortuna animique conditione, sedatiores animi sensus in ejus poësi animadvertas. Et sublimiori carmine cum magnificentissima quaeque naturae spectacula depingit, non horror obstupefactus, sed venerabunda quaedam admiratio ejus animum occupat: quam admirationem in dictione elata, in brevissimis sententiis, et in conceptuum sublimitate eximie videmus expressam.

(1) Vs. 8-16.
(2) Vs. 16 sqq.

ſam (1). Optimi inſtar est hac in re exempli, noſtrum, quod tractandum ſumſimus, carmen: nec minus etiam Pſalmus nonageſimus tertius; quem huic de affectibus in poëſi Davidica disputationi apponere liceat, quippe qui et argumento, et ſenſibus, et ſtructura Pſalmo vigeſimo nono fere est congruus atque ſimilis.

Poëta graviſſimam deſcribit procellam. Hujus ſpectaculi magnitudine plenus, admirabundus exclamat:

Jehova regnat,
Magnificentiam induit;
Induit gloriam Jehova,
Majestate ſe accingit!
Firma ſtat terra,
Manet immobilis;
Stabilis est tuus thronus ab aevo:
Ab aeterno tu es!
Efferunt flumina, o Jehova,
Efferunt flumina ſuum fragorem!
Efferant flumina ſuum ſtrepitum:
Prae fragore aquarum,
Multarum, verendarum,
Prae agitatis fluctibus maris,

Ve-

(1) Cf. Lowth, p. 183. Herder, IV. p. 166 ſqq. Muntinghe, l. l. p. 37 ſqq. et Cl. van der Palm, l. l.

Verendus est Rex summus, Jehova!
Tua statuta certa sunt valde;
Tuam aedem decorat praesentia tua,
O Jehova, in tempus longissimum!

§. 5.

Religionis vis in poësi Davidica.

Merito, uti jam observavimus supra, in eo agnoscimus Hebraicae poëseos praestantiam, ac nullis quarumvis gentium Musis aequiparandam sublimitatem et majestatem, ut, licet caeteroquin eximiis dotibus non destituta, arctissimo vinculo cum verissima religione sit conjuncta. Quodsi haec ejus praecipua virtus jure omnibus Hebraeorum tribuitur poëtis; vel sic tamen nullus eorum hac laude superavit, ac ne aequiparavit quidem, Davidem.

Religionis sincerae optimis quibuscunque sensibus imbutus Davides, jam juvenis, omnia suae poëseos specimina eo composuit consilio, ut Jehovae, Dei optimi, gloriam manifestam redderet, ac benignitatem in rerum natura conspicuam. Quaecunque in hoc universo animadvertit, Jehovae sunt opera, et ab illo decus ac dignitatem petunt et accipiunt. Jehova, qui ter-

terram in sua basi fundaverat, quique mari posuerat terminum, quem non transgrederetur, Jehova huic terrae tribuit quidquid ad ejus fertilitatem et pulchritudinem conduceret. Libani cedri, arbores magnificentissimae, a Jehova sunt plantatae, qui e propriis suis fontibus eas irrigat saturatque. Animalia, sive terrestria sive marina, Jehovam exspectant, qui suo tempore singulis porrigat cibum (1). Et, quod majus est, homo mortalis, rerum terrestrium imperium tenens, summum hunc, quem non est meritus, honoris gradum a benignissimo Deo obtinuit, eique acceptum debet referre (2). Quocirca Davides, animo erga Deum gratissimus, hoc nuncupat votum:

Canam ego Jehovae, dum vivam;
Psallam meo Deo, quamdiu ero superstes. (3)

Et huic quidem promisso, dein saepius repetito (4), ita satisfecit poëta, ut in octoginta et sex ejus carminibus, quae nobis servavit antiquitas, vix unum invenias, in quo non Jehovae Dei sui laudet majestatem, ejusve praedicet benig-

(1) *Ps.* VIII et CIV.
(2) *Ps.* VIII. 7.
(3) *Ps.* CIV. 33.
(4) *Ps.* XXX. 13. LIX. 10.

nignitatem atque justitiam. Sive adhuc degeret in *Bethlehemiticis* campis, ubi Jehova eum curabat pastoris instar fidelis, eumque in pratis herbosis juxta dulces deducebat fontes aquarum (1), sive in aula versaretur Sauli, impiis quibuscunque hostibus cinctus, Jehovam Deum suum carminibus celebrare non desinebat (2). Imo vero, licet praesentissimum ipsi immineat periculum, licet profugus ac miser per terram Judaicam et regiones affines exsulet, nihilominus laeta sua sacrificia offert Jehovae, in ejusque honorem canit psallitque (3). Quid? quod primo jam mane canit, et quasi auroram suo expergefacit cantu (4), suaque carmina ut Jehovae sint accepta, suffitus ac ferti ad instar, enixe optat atque precatur. (5)

Quid mirum igitur, si Davides, ab ipso Jehohova Israëliticae gentis rex unctus et constitutus, uti totam suam vitam, sic et omnia carmina illi Regi supremo, cujus esset vicarius, dicaverit? Ad celsissimam dignitatis atque honoris conditionem evectus, non poterat non continue, ad mortem usque, Jehovae gratissimum suum ani-

(1) *Ps.* XXIII. 2.
(2) *Ps.* XXVI. 7.
(3) *Ps.* XXVII. 6.
(4) *Ps.* LVII. 9.
(5) *Ps.* CXLI. 2.

animum carminibus offerre, ejusque immerita agnoscere beneficia (1). — Sed vero majora peregit Davides. Simulatque omnium tribuum rex creatus esset, in eo suam operam collocavit, ut, quod instituerant Samuel Prophetarumque scholae, publicum religionis cultum, misere depravatum atque neglectum, emendaret et ad pristinam reduceret magnificentiam (2). Arca foederis post varias vicissitudines in urbe Kirjath-Jearim fuerat deposita, ibique omni, quo antea colebatur, honore, videbatur privata (3). Davides igitur, quominus in tabernaculum eam reduceret impeditus, magnificam splendidamque ei aedem exstruere cupiit in monte Sionis (4). Eo mox omni cum pompa ac magnificentia foederis arcam deduxit, eamque in peculiari collocavit tentorio; in quo ab hoc inde tempore solenniter et publice Jehovam colendum esse constituit (5). In hac stabilita cultus divini sede magno cum apparatu sacra instruxit; quorum curam ingenti Sacerdotum Levitarumque numero imposuit. Prouti Moses efficacissimam in suos populares musices vim non ignoraverat, eam-

que

(1) *Ps.* XL. Cf. *Ps.* LXXII, Asapho auctore.
(2) Vid. Niemeyer, l. l. V. p. 252.
(3) 1 *Sam.* VI. 21. VII. 1, 2.
(4) Cf. cl. Pareau, *Ant. Hebr. Descript.* p. 159.
(5) 2 *Sam.* VI. 1 *Chron.* XV. XVI. XXI. 29.

que in publica induxerat ſacra; ita Davides, ipſe mirabili muſices ſtudio flagrans, religionis cultum ad tantam magnificentiam et pompam adduxit, quanta nec olim fuerat, nec postea exſtitit unquam. Quatuor mille Levitae, in viginti quatuor diverſas claſſes distributi, vicibus ſuis in Sionis tentorio mane ac vesperi, et praeſertim festis temporibus, mirifico concentu ac modulatione, Jehovae praedicabant laudes (1). Hymnos cantabant et muſicis cujuscunque generis inſtrumentis accinebant, Israëlitarumque animos ab hisce terrenis domiciliis ad aedes eveheb ant ſuperiores. Neque mirandum adeo, varios eosque illustrisſimos exſtitisſe viros, qui, haud vulgari poëſeos facultate praediti, ſua carmina huic ſplendido conſecraverint cultui, populariumque animum ad optimos quosque excitaverint religionis ſenſus (2). Ast Davides inprimis; nam de hoc unice nobis est ſermo; Davides horum princeps, isti magnificae ſacrorum inſtitutioni paene totam ſuam dedicavit poëſin. — Jehova ſuo amico, quod animo optaverat, conceſſerat largiter; quodque labiis cupierat, ipſi haud de-

(1) Vid. Cl. Pareau, *Ant. Hebr. Deſcr.* p. 167 ſq. Muntinghe, *Geſchied. der Menschh.* II. p. 113 ſqq. et Dibbits, l. l. p. 36.

(2) *Aſaf*, *Heman*, *Ethan*; alii.

denegaverat (1). Nunc nova ei aderat cantandi materia, eaque hilaris ac laeta (2). Nunc igitur non amplius solivagus, in desertis oberrans, vel misere ab impiis regis aulicis vexatus, sed, id quod fuerat precatus, ad ipsius Jehovae altare, in Sionis monte, coram numeroso frequentique Dei cultorum coetu, et nabliis, tubis, tympanis, tibiis, citharisque laete accinentibus, Jehovam, „ qui vehitur per coelos, coelos antiquos," laudare poterat ac venerari. Complura igitur cantoribus sacris tradidit carmina, publico huic cultui unice destinata; quae, cum varii argumenti et ad peculiares opportunitates composita essent, omnia eo inservirent, ut Jehovae benignitatem, magnificentiam, ac potentiam infinitam agnoscerent, colerent, et celebrarent Israëlitae (3). In hisce carminibus noster, quem mox tractabimus, Psalmus, non minimum obtinet locum. Depingitur enim hic non tantum gravissima tempestas, sed omnium maxime celebratur immensa majestas divina, in horrendis tonitruum fulminumque effectibus eximie declarata. Quantum vero haec carmina no-

(1) *Ps.* XXI. 4.
(2) *Ps.* XLI. 4. cf. *Ps.* LXVIII.
(3) Huc pertinere videntur *Psalmi* I. XV. XX. XXIII. XXIV. XXIX. XCII. XCIII. XCV. XCVI. XCVII. CV. CXXX. CXLV.

nobis amiserint splendoris, in summa magnifici istius musici apparatus ignoratione versantibus, nec nisi *ejus* reliquias, omnibus suis ornamentis destitutas quaeque in dictione sensibusque eluceant, admirantibus, vix opus est ut dicam (1). Sed, quamvis hanc jacturam merito doleamus, reliquiae istae nobis sufficiunt ad admirandam singularem poëseos Davidicae praestantiam, quae supremum hujus universi moderatorem modo admodum sublimi celebret; quaeque ad eosdem, quibus ipse afficiebatur poëta, sensus fovendos excitaverit *alios*, et etiamnunc impellat. (2)

Scilicet in eo non tantum nos movet et in admirationem rapit Davidica poësis, quod arctissime est juncta cum religione, et Jehovae laudibus fere tota continetur; verum inprimis diligimus et adamamus poëtam, qui tam magnificos et *simul tam nobiles* in carminibus expresserit de *Numine* Divino sensus atque notiones. Age de hisce breviter etiam videamus.

Uti cerva anhelat ad torrentes aquarum,
Ita mea mens anhelat, o Deus, ad te!

Si-

(1) Cf. Lowth, l. l. p. 288.
(2) Cf. cl. Pareau, l. l. p. 152.

Sitit mea mens Deum; Numen quod vivit,
Quando redibo, ut sistar praesens coram Deo? (1)

Hac flagrantissimi doloris exclamatione Davides incipit carmen, dum, procul a publico Dei cultu remotus, vagabatur ad Libani radices. Hoc enim maximum sibi ducebat oblectamentum, ut, quamdiu viveret, in aede versaretur Jehovae, ejusque frequentaret palatium (2). At vero externum Jehovae cultum nil valere statuebat Davides, nisi et animus ad hanc religionem esset compositus et conformatus. Imo nullus unquam fuerat vates, qui tam manifesto docuerat, victimas non esse Jehovae acceptas, neque eum sacrificiis oblectari, nisi simul mens animusque offerentis ad sinceram virtutem pietatemque colendam esset paratus (3). Hinc est, quod maximopere adamabat et laudabat pios Jehovae cultores, eosque frequenter excitabat ad Jehovam sincero animo colendum ac venerandum (4); impios quosque summo persequebatur

(1) *Ps.* XLII. 1 sq.
(2) *Ps.* XXVII. 4.
(3) *Ps.* XL. 7, 8, 9. *Ps.* LI. 18, 19. Cf. de toto hoc argumento Muntinghe, *Gesch. der Menschh.* VI. p. 56 sqq.
(4) *Ps.* XXII. 24. XXX. 5. XXXII. 11. LXVIII. 33 sqq. XCVII. 1. CXL. 14.

tur odio, et e civitate Jehovae ejiciendos esse dicebat, quotquot patrarent iniqua (1). Jehova enim, uti sibi persuadebat Davides, Jehova, quem adorabant Israëlitae, omnes mortales adspicit de coelo, eorumque facta et cogitata penitus perspicit (2). ¡Quid? quod Jehova mortali adest, sive sedenti sive surgenti; noscit ejus cogitationes, ne ipsi quidem praesentes. Sive incedat sive requiescat, Deus adest, estque in promptu. Verba, nondum palam declarata, Deus omnia noscit. Obsidet hominem Deus, aeque retro *atque* ante, manuque eum tenet. „ Haec *scientia*," ita pergit poëta, Dei immensam magnitudinem mente non percipiens, sed penitus animo sentiens, eoque sensu plenus;

Haec scientia meum superat captum,
Sublimior est, quam ut ad eam pertingam!
Quorsum abeam a tuo numine,
Quorsum a tua praesentia aufugiam?
Si ad coelum adscendam, ibi es!
Si imos inferos petam, ecce, tu ades!
Si vehar alis aurorae,
Si ad mare extremum decumbam;
Ibi etiam tua manus me comitetur,
Tuaque dextra me prehendat!

Si

(1) *Ps.* CI. 8.
(2) *Ps.* XXXIII. 15.

Si dicam: mihi saltem superveniant tenebrae,
Et lux circum me in noctem mutetur;
At ipsae hae tenebrae tibi nihil obtenebrent;
Et nox lucebit ut dies:
Tibi lucis instar est caligo. (1)

Eundem Deum Davides induxit tanquam sanctissimum hominum judicem, cujus thronum justitia fulciunt et aequitas (2), quique mendaces et impios quosque odit (3), suisque mortiferis telis quotidie minatur et petit (4). Sed animus Davidis facilis et lenis terribilioribus hisce Jehovae notionibus raro et parce utitur, et tum demum in hisce adhibendis excurrit, quando ipse, Jehovae cultor sincerus, a scelestissimis suis adversariis injuste petitur et vexatur continue. — Jucunda illa animi lenitas, quam supra in tota ejus poësi laudavimus, non poterat non maximam habere vim in eas notiones, quas de Jehova concipiebat Davides. Neque terrorem et horrorem incutiunt hae; sed valent inprimis ad amorem excitandum, et gratam erga Deum animi reverentiam; tum vero ad firmam in Jehova fiduciam alendam, animique tranquillitatem procu-

(1) *Ps.* CXXXIX. 1-12.
(2) *Ps.* XCVII. 6.
(3) *Ps.* V. 6.
(4) *Ps.* VII. 11, 12.

cantandam (1). Plurimum igitur Davides carminibus suis praedicat Dei justitiam et aequitatem; quas tamen virtutes cum summa benignitate, clementia, et ad auxilium ipsius cultoribus ferendum proclivitate, arctissime junxit. Jehova ne in vehementissimis quidem calamitatibus eum deseruerat; ejus lux erat atque salus, refugium ejus et rupes, munimentum atque tutela (2). Imo, licet per vallium tenebras ipsi esset eundum, malum non timebat (3), sub umbra alarum Jehovae tutus erat atque salvus (4). Similiter igitur, ad regiam dignitatem evectus, Jehovam hujus universi dicit creatorem ac gubernatorem, cui par est vel similis nemo (5), Israëlitarum vero ducem atque sospitatorem (6), populo suo robur regique salutiferum refugium; quos tanquam suum peculium fortunat et pascit, sinuque gestat in perpetuum (7). Et quam nobiles, quam placidae sunt descriptiones benignitatis divinae, quas nobis tradit Davides! Jehova omnibus est be-

(1) Cf. Muntinghe, l. l. *Inleid.* p. 47.
(2) *Ps.* XVI. 2. XVIII. 3. XXVI. 6. XXVII. 1. XXXI. 5.
(3) *Ps.* XXIII. 4.
(4) *Ps.* LVII. 2.
(5) *Ps.* XXII. 23. XXXV. 10.
(6) *Ps.* XCV. 1-7.
(7) *Ps.* XXVIII. 8, 9. cf. III. 9.

benignus, et in omnibus ſuis operibus lenitate praeditus (1). Ejus benignitas ad coelos tendit, ejusque fides ad nubes (2).

> Brevi tempore durat ejus ira,
> Per totam vitam ejus benignitas. (3)

Sed quid plura afferam exempla, cum tota ejus poëſis hisce nobilioribus placidioribusque de Deo ſenſibus plena ſit? Imo vero hosce exhibuit Davides in iis etiam carminibus, quibus Jehovam ſibi finxit, magnificentisſima ratione hominibus ſe manifestum reddentem. Idem Deus, qui nubibus tonantibus et fulminantibus cinctus in coelo apparet; plantis, arboribus, animalibus, hominibusque benigne ſua cuique tribuit et porrigit (4). Et quem cingunt nubes et caligo, quem ignis praecedit adventantem ipſius hostes undique conſumturus, dum fulmina orbem collustrant (5); Jehova ſuos cultores, ſuum populum metu et horrore non afficit neque percellit, ſed „ Audit Sion venerabundum Jehovae adventum;"

> Audit Sion et laetatur,

Exſul-

(1) *Pſ.* CXLV. 9.
(2) *Pſ.* XXXVI. 6.
(3) *Pſ.* XXX. 6.
(4) *Pſ.* CIV.
(5) *Pſ.* XCVII. 1-4.

Exsultantque puellae Judaïcae,
Propter tua judicia, o Jehova! (1)

Talem igitur Deum praedicat Davides nostro in carmine, et ad talem imo pectore venerandum suos excitat populares. Jehova, quamvis et tremebunda tonitruum voce et fulminum vehementissimo jactu maxime terribilis, suis in Sione cultoribus, laete festum agentibus, tutela est atque fiducia: quos igitur ut suo amore et benignitate in perpetuum prosequatur, flagitat Davides (2). Neque profecto caussam tuemur eorum interpretum, qui Davidem nostro in carmine descripsisse opinantur Jehovam iratum, ad mortales perdendos in coelis adventantem. Hi sane, nisi grammaticam interpretationem, indolem certe poëseos Davidicae prorsus neglexisse nobis videntur. Utinam omnes de tonitrubus fulminibusque tales foveant cogitationes, quales in nostro carmine ostendit Davides! (3)

Et sic quidem ad finem perduximus ea, quae, ad nostri carminis dotes poëticas melius percipiendas, praemittenda esse putavimus. Vidimus

(1) *Ps.* XCVII. 8.

(2) Cf. omnino **Muntinghe**, ad *Ps.* XXIX. et **Mobius**, in praef ad *Ps.* XXIX.

(3) Cf. **Polus**, (*Engelsche Godgel.*) aliique, et vid. infra ad vs. 1.

mus igitur, Davidem, quamvis aliquando sublimi ratione ad coelorum altissimas sedes evehatur, in hac tamen sublimitate summam ostendere animi lenitatem et suavitatem, eumque ex intimo pectore effundere, quae animo sentiat. Et profecto reputanti eximias, quas recensui, ejus de Numine Divino notiones, verissima mihi apparet Cl. Paravii sententia: „ tales, tam veros tamque sublimes sensus, quales in tota antiquitate vix quaesiero; talia, inquam, cum video et perspicue proposita, et splendidissimo ornatu vestita, tum equidem arcanam aliquam vim percipio, humana longe majorem, quae me movet, agitat, effert Deique reddit plenissimum." (1)

SECTIO II.

DE IIS, QUAE PECULIARITER AD NOSTRUM CARMEN PERTINENT.

§. 1.

Carminis Argumentum.

Davides carmine hocce praedicat majestatem, potentiam et benignitatem Jehovae, in vehementis-

(1) *In oratione de ingenuo Hebr. Poës. studio*, pag. 40.

tissima tempestate conspicuam. In ipso Sionis tentorio dum populus Israëlis festum agit, interest cultui vates (1). Oboritur tempestas. Densissimae nubes, eminus Mari Mediterraneo incumbentes, ac tempestatis irruentis nunciae, summos in ejus pectore admirationis et venerationis excitant sensus. Hisce penitus imbutus non potest non Davides, carmine fundendo, intimis istis sensibus obsequi, totamque tempestatem sublimiori describere cantu, ut audiant Israëlitae, quid sentiat ipse.

Praeclaro et sublimi exordio populum, peculiari gaudentem favore divino, iterum iterumque invitat et exhortatur, ut Jehovae Dei sui, in coelis adventantis, majestatem potentiamque agnoscant et celebrent. Absit iis a celebratione non tantum quivis horror abjectaque formido, sed vero laudibus ac precibus revereantur Jehovam altitonantem, in ipsoque adeo ornatiore vestitu appareat, quodnam Numen adorent Israëlitae. Vs. 1 et 2.

Mox autem e longinquo nubium moles volvitur supra Mediterraneum Mare, tonitruum ictus audiuntur, intonat Deus; tonitruum strepitus iterantur, vehementiores fiunt, et vastissimo repercutiuntur Mari. Vs. 3.

In-

(1) Cf. *infra*, §. 3. fine.

Interea magis magisque procella per Oceanum agitatur, atque continentem versus depellitur; et quo vehementius ingruunt tonitrua fulminumque jactus, eo magnificentiores excitantur animi sensus. Vs. 4.

Mox autem maximo cum impetu in Libanum irruunt nimbi. Ejus altissimum petunt cacumen. Quaquaversus ventorum via, fulminum impetus, tonitruumque vehementissimi strepitus Libani jugis dirissimas clades minantur. Quid? quod cedrorum nemora, ipsae Libani cedri, arbores procerissimae nutu divino commoventur subito, eradicantur, horribili dejiciuntur lapsu jacentque prostratae! Vs. 5.

Nec tantum cedri earumque sylvae diruuntur immensae; verum et ipse Libani mons, totusque montanus Palaestinae tractus Septemtrionalis, tempestatis effectibus, cum motu terrae conjunctis, vehementer concutitur. Vs. 6.

Sensim vero maxima vi sua cum in hisce tractibus saeviisset tempestas, Vs. 7, Orientem versus per immensa deserta depelluntur nubes, per vastissimos campos resonant ictus, ipsum concutitur solum, anxietate correptae ferae diffugiunt lustra quaerentes, et ipsae sylvae suis denudantur foliis arboribusque; ut adeo terribilius quicquam possit excogitari nihil. — Ast in Sione, ubi Dei, tempestatum summi auctoris, magni-

nificentia celebratur in tentorio facro; quilibet effert laudes Jehovae. Vs. 9.

Benignisfimae enim pluviae terram irrigant Palaeftinenfem, quas fua benevolentia immifit Jehova, Israëlitarum Rex atque fautor. Vs. 10.

Definit igitur Davides iisdem, a quibus initium duxerat, fenfibus imbutus, et venerabunde precatus, ut quoque in posterum fuae profpiciat genti, eamque fuis beneficiis profequi pergat Jehova! Vs. 11.

Hocce profecto fi conftituimus fublimis hujus carminis argumentum, habet quo nos teneat, alliciat, in admirationem rapiat. Dolendum vero, antiquiores nonnullos, quibus tamen ignoscendum, et recentiorem quendam, quod fane mirandum, myftica quaevis ex nostro Pfalmo elicuisfe (1). Neque vero eos, qui prophetiam esfe fta-

(1) In libro anonymo *Pfeaumes nouvellement traduits fur l'Hebreu avec des explications et des notes critiques*, 3. Tom. III. Parif. 1809. Nonnulli autem, fenfum Mysticum asfectantes, ponunt, *virtutem* Evangelii in nostro carmine laudari. *Vox Dei* his est *Praeconium verbi divini* per Apostolos; *multae aquae* (vs. 3) funt *variae gentes*; *fractae Libani cedri* imaginem praebent *hominum deprimendorum* vel *fe demittentium* (vs. 5); *diluvium* (vs. 10) est imago *baptismi*: et quaecunque plura fomniant isti. Cf. Michaëlis, *Hagiogr.* et ab Hemesfen, *in disf.* p. 4 fq.

statuunt, sive de Ezechia (1), seu de Sanheribo, imo de Messia atque ultimo die, refutationibus meis prosequi velim (2). Gaudeamus potius, meliora nostris doceri temporibus, et, quem memoravi, interpretem recentioris aevi, Psalmum huncce *de donis Spiritus Sancti eorumque effectibus* intelligentem, Franco-Gallis ne genti suae nos invideamus Batavi!

§. 2.

Locorum, quae in carmine memorantur, situs.

Tempestas, quae in hoc Psalmo describitur, a Mari Mediterraneo exorta, in Libano et Sirione saevit vehementer; hinc versus Arabiae deserta ruit, subsistitque in deserto Cadeschi. — Haec loca, quae fere totius Palaestinae fuere termini, breviter videntur lustranda, quo melius de ipso carmine judicemus.

Ipse mons Sionis, quem cultui destinaverat

(1) Ita Theodoretus, *Opp.* I. p. 505.

(2) Ita Michaëlis in *Hagiographis*. Caeterum varias Patrum sententias recenset Auctor libri, cui titulus: *Psalmi Vulgatae editionis cum notis* etc. *Paris.* 1729. 4°. Auctoris nomen latet sub literis *U. E. S. F. P. D. F. B. P. L.*

rat Davides, in tribu Judaica, media in urbe Hierosolymitana erat situs; et quaquaversus latissimum praebebat adspectum (1). Ab Occidente tractum cernimus Mediterranei Maris, cujus fluctibus perpetuo alluuntur montosa litora Palaestinae. Magno hoc Mari tota Occidentalis regionis Israëliticae pars determinatur; ac coelo sereno, auris zephyrisve lenius adspirantibus, vasta quaedam planities laetissimum amplissimumque praebet prospectum; quando, nullis obstaculis impediti, qua patet oculis aequor, vagamur per liquidas undas, solis radiis lucide refulgentes. At vero in vehementissima procella, qua densissimis nubibus obvolvitur aër, qua fluctus rapidis ventis agitantur, qua tonitruum fulminumque vi totum concutitur Mare, venerabundus quidam horror animum spectatoris occupat et percellit (2).

Septemtrionem versus cum in longe dissitum Palaestinae continentem oculos flectimus, eminus apparent altissima montium juga, qui Septemtrionalem Palaestinae partem a Syria disjungunt,

(1) Vid. de hoc monte Hamelsveld, *Aardrijksk. v. d. Bijbel*, II. p. 24—30.

(2) Talem procellam, cui ipse interfuit, eximie descripsit Chateaubriand, *Voyage de Paris à Jerusalem*, III. p. 109 sqq.

guint, et continua serie versus Orientem cum se extendant, Arabiae tangunt deserta. Longissimus hic montium tractus nonnunquam in S. C. generali nomine dicitur *Libanus* (1). Cum vero proprie constet e duobus diversis tractibus montanis, valle intermedia distinctis, vulgo tantum Occidentalis pars eo nomine significatur, cum huic opposita pars Orientalis *Antilibani* nomine insigniatur (2). Posterior hicce tractus antiquitus etiam dicebatur ab Hebraeis חרמון *Hermon*. Ab Emoraeis vero citra habitantibus שניר *Senir*; et a vicinis Sidoniis ultra habitantibus שריון *Sirion*. Quo ultimo nomine in nostro etiam carmine occurrit (3). Utrique autem hi montium tractus a litore, quod Mari Mediterraneo proxime adest, initium ducunt; Libanus in Syria, intra Tyrum et Tripolin, Antilibanus magis Austrum versus, prope Sidonem; ut adeo versus Orientem et Septemtrionem per Syriam montes hi sint dispersi (4). In horum montium descriptio-

(1) *Deut.* I. 7. III. 25. XI. 24.
(2) Cf. Hamelsveld, l. l. I. p. 156, 298.
(3) Cf. *Deut.* III. 9. IV. 48. Cf. de *Antilibano*, Hamelsveld, l. l. 301 sqq. Bachiene, *Heilige Geographie*, I. p. 169 et Relandi, *Palaest. illustr.* I. p. 323 sq.
(4) Vid. de la Roque, *Voyage de Syrie et du mont Liban.* I. p. 27. et Hamelsveld, l. l. p. 290.

tione discrepant maxime itinerantorum relationes. Nec mirum. Nonnulli enim, qui in illis sunt peregrinati, non nisi partem quandam, inprimis Occidentalem, inviserunt, cum aliquando Antilibanum se peragrasse putarent; et vicissim alii de Libano nobis narrant, quae in Antilibanum potius quadrare videntur (1). Rite has relationes dijudicare, nostri non est; neque, ad carmen nostrum melius intelligendum, quicquam valere potest. Ea quae sequuntur sufficiant, ut aliquatenus universam horum montium habeamus notitiam.

Altitudine sua Libanus et Antilibanus, nisi ipsas Alpes, omnes certe Asiae montes longe multumque superant (2). Ab insula Cypro profectus nauta quadragesimo milliario (3) Libani cacumen nubila secans peregrinatoribus mox digito monstrat; et in ipso cacumine consistenti una conspiciuntur Hierosolyma et Antiochia (4). Hanc autem altitudinem comprobant et nives, qui,

(1) Cf. Hamelsveld, l. l. 291 sqq.

(2) Vid. de la Roque, l. l. I. p. 76.

(3) Sine dubio intelliguntur milliaria Romana, quorum quatuor efficiunt milliare Germanicum, vid. ab Hemessen, l. l. p. 31.

(4) Vid. Hamelsveld, l. l. p. 293. Volney, *Voyage en Syrie et en Egypte*, p. 289, et de la Roque, l. l.

quibus Libani et Antilibani juga perpetuo teguntur (1). Libanus Occidentalis cum proprie constet tribus montibus, quorum bini a latere medium, quippe altissimum, fundamentorum instar sustentare videantur, singulari hac structura miram locorum praebet varietatem. Hic gurgites conspiciuntur profundi praecipitesque, et lubrici saltus; illic vero faciles amoenique declives densissimis succedunt sylvis et fertilissimis campis (2). Nives leniter solutae, aestatis tempore, magnas formant cataractas, quae, per fontes rivulosque delapsae, vel uno amni influunt in Mare, vel fluviis huc illuc defluentibus originem dant (3). Imo et aliquando in his montibus inveniuntur amoenissima prata, vallesque salubres, dignae quae Salomonem suis in villis exciperent (4). Jungas huic amoenitati immensa quercuum abietumque nemora, et sylvas innumeris ahorneis, cypressis, pinis juniperisque refertas, quae sunt tuta feris habitacula, lustraque bestiis secura; et rite intelligemus

(1) Vid. Tacitus, *Hist.* V. 6. Cf. Simonis, *Onomasticon V. T.* p. 339 sqq. Hamelsveld, l. l. p. 288 et Pococke, *Reis door het Oosten*, I. p. 171.

(2) Vid. Hamelsveld, l. l. p. 289.

(3) Cf. Oedmannus, *Obs. Miscell.* p. 137.

(4) 1 *Reg.* IX. 19.

mus Jesaiam, summa admiratione exclamantem: Nec Libanus ad rogum, nec ejus animalia ad victimas sufficiunt! (1)

At vero inprimis adaugetur Libani montis magnificentia densissimis cedrorum sylvis, quae tempore Davidis longe lateque ad extrema montium juga extendebantur. De hisce vero immensis altissimarum arborum nemoribus quominus rite judicemus, vetat temporis injuria, qua paucae tantum arbores hodieque supersunt; quae vero, etiamnunc superstites, antiquae Libani gloriae umbram aliquatenus referre possunt. In extremo fere montis Libanitici vertice collocatas hasce nobis describunt itineratores, tanquam altitudine et crassitudine omnibus arboribus, quoad investigavit hominum explorandi studium, palmam praeripientes. Arviosius, peregrinator Franco-Gallus, refert, vix sex hominum numerum sufficere ad truncum cedri circumplectendum. Maundrellius autem trunci circuitum statuit triginta et sex pedes superantem. Cedrorum ligni tantam esse duritiem et soliditatem referunt, ut nonnulli, interitum his arboribus abnegantes, ipsam adeo aeternitatem iis adscripserint. Quidquid est, constat ex variis observationibus, cedros per bis mille, et quod excur-

(1) *Jes.* XL. 16. Cf. Hamelsveld, l. l.

currit, annos, integras posse consistere. Neque mirandum igitur, has arbores ab omni inde tempore mortalium admirationem movisse; usque adeo, ut hodieque ab accolis, non tantum suspiciantur, sed vero colantur superstitiose. — Caeterum quam magnae quamque late extensae fuerint tempore Davidis, harum celsissimarum arborum sylvae, aliquatenus conjicias ex immenso, quem ad Libanum emisit Salomo, lignatorum numero; qui tantam ab his montibus deferrent ligni copiam, quanta sufficeret ad Templi Hierosolymitani constructionem. (1)

Uti vero omnes montes altitudine praecellentes horribilia quaevis praebent spectanda; sic Libano et Sirioni non desunt loca, ubi, naturae granditate obstupefactus, peregrinatoris animus admirabunde horrescit. Quaquaversus in his montibus asperrimae rupes profundissimis impendent voraginibus; quae rupes periculosissimum reddunt adscensum, et continue terribilem minantur lapsum. Nives, aliquando nimia copia solutae, immensos formant aquarum torrentes. Hi

(1) 1 *Regum* V. de cedris vid. de la Roque, l. l. I. p. 70 sqq. Oedmannus, (*Vermischte Sammlungen aus der Naturkunde*) II. p. 203 sqq. Hamelsveld, l. l. I. p. 297. et cl. van Voorst, *Uitlegk. Verhandel.* p. 16, 190. alii.

Hi ſtatim lapſu graviori ruunt, vel per longos deflexus, ut gurges gurgiti acclamet, dum ſtrepunt canales (1), de ſaxis in ſaxa delabuntur. Tempestates igitur, in hunc asperrimum montem erumpentes, posſunt aliquando ingentes ruinas afferre. Saxa praerupta, torrentium impetu, fulminum ictu, terraeque motibus dejecta, omnibus, quae lapſui praecipiti obſtant, certum minantur interitum; imo vero recentiore aetate per ſimilem rupis depulſionem totum vicum fuisſe devastatum, ut ne una quidem domus manſerit *ſuperſtes*, nobis referunt itineratores (2). *Et ſane*, in nostro etiam carmine manifestum est documentum, quanta vi ſaeviant in Libani Sirionisque jugis tempestates horrendae.

Ab hisce montibus procedentes Orientem verſus, ubivis animadvertimus vastisſimas Arabiae plagas, *quibus* ad Orientem terra Israëlitica ſponte determinabatur. Immenſa illa deſerta horride patebant a montibus Antilibaniticis inde ad ultimas regiones Australes, et a Mari Mortuo ad Euphratem usque. In latisſimis hisce et ſimul ariditate ſua incultisſimis campis hic illic tamen exſtant loca quaedam fertilia, et pratis gauden-tia

(1) *Pſ.* XLII. 8. cf. ſupra pag. 42 ſq.

(2) Vid. inprimis Volney, l. l. p. 298 ſq. Cf. Muntinghe, *ad Pſalmum* XLII. 8.

da sylvisque. Loca haecce vulgo dicuntur *Oases*; sunt autem commoda hominibus receptacula et feris bestiisque lustra praebent aptissima (1). Fontibus rivulisque adjacentes hae quasi insulae, alliciebant nomadicas gentes nonnullas; quae, libere in desertis oberrantes, illuc congregabant pecora et armenta. Ipsi etiam Israëlitae saepius suas pecudes in mediis harum gentium tribubus ducebant, et in *Oasibus* istis per tempus aliquod morabantur (2). Quocirca frequenter in C. S. horum desertorum fit mentio, quae ab Israëlitis saepius generali *deserti* nomine dicebantur. (3)

Magna hujus deserti pars vocabatur *Cadesch*; quod idem esse videtur ac *Cadesch-Barnea*; et aliquando in S. C. dicitur *Pharan*, vel *Tsin*. Erat autem ad fines terrae Canaäniticae Australes situm, proximeque adjacens immensis illis Arabiae plagis. Israëlitis vero desertum Cadeschi inprimis erat memorabile, quoniam eorum majores per 40 annos, duce Mose, in illo oberraverant; quam ob rem in nostro Psal-

(1) Cf. Hamelsveld, l. l. p. 164 sq.
(2) Cf. Hamelsveld, l. l. p. 226.
(3) *Exod.* XXIII. 31. *Deut.* XXXII. 10. *Ps.* LXXV. 7. Cf. Hamelsveld, l. l. p. 28.

Psalmo peculiariter a Davide nominatum fuisse videtur. (1)

Per omnes igitur has plagas vehementissima saeviit tempestas, quam descripsit Davides. Sunt autem nonnulli, qui hoc poëtae fuisse consilium negant; neutiquam esse probabile existimantes, tonitrua et fulmina per omnia loca vicina circuitu quodam saeviisse, sola Cananaea excepta. (2) Verum cum hac sententia pugnant itineratorum relationes; e quibus apparet, confessam hanc esse viam, qua tendunt tempestates in Oriente. Ingruunt enim plerumque a Mari Mediterraneo, montes altissimos petunt, et fessi per immensa deserta ruunt ac dissipantur. (3) Et praeterea in nostro carmine rite tenendum est, poëtam maxime memorasse ea loca, in quibus terribiles habuerit effectus tempestas. Per ipsam quidem Palaestinam densae depellebantur nubes, sed non horridas secum ferebant tonitruum fulminumque vastationes, verum pluviis benignis irrigabatur solum; uti etiam versu undecimo diserte indicat Davides. (4)

§. 9.

(1) Cf. Hamelsveld, IV. p. 360, 378. Relandi, *Palaest. illustr.*, I. 117 sq. et Bachiene, I. T. III. p. 327 sqq.

(2) Vid. J. H. Michaëlis, in *Hagiographis* ad h. l.

(3) Vid. Volney, l. l. p. 337-345.

(4) Cf. infra ad vs. 11.

§. 3.

Carminis componendi opportunitas.

Dubitatione vix ulla caret, a Davide hunc Psalmum compositum esse paulo post vehementissimam quandam tempestatem. At vero difficillima res est dijudicatu, quo tandem tempore illa saevierit tempestas. Neque ex inscriptionibus, neque ex ipso carmine hac de re certi quid elici potest. Inscriptio Hebraica מִזְמוֹר לְדָוִד, *canticum Davidis*, nil docet, nisi quod hic Psalmus Davidem habeat auctorem, et maxime usui sacro fuerit destinatus. Tali enim sensu plerumque substantivum מִזְמוֹר apud Hebraeos usurpatur. (1)

Mul-

(1) Est autem a radice זמר coll. Arab. زمر et زبر *amputavit; incidit, modulatus est.* Cf. Schultens, in *Orig. Hebr.* p. 466. et ad *Prov.* p. 51. Scheidius, *Lex.* in voce. De voce מזמור plura disputat Lowth, l. l. p. 36. not. et pag. 40. Cf. Muntinghe, l. l. p. 74. et Herder, III. p. 38. Quidquid est, certi quid de his vocabulis ad musicam pertinentibus dici nequit. — Caeterum de praefixo ל ante דוד, genitivum auctoris notante, vel etiam elliptica ratione explicando, conferri possunt Noldius, *Concord. Particul.* p. 410, 900. Venema, ad *Ps.* III. et Gesenius, *Lehrgebäude der hebr. Sprache*, p. 673.

Multi autem fuerunt, qui e titulo quodam Graeco aliquid efficere se posse existimarent. In versione nimirum Alexandrina haec legitur inscriptio ψαλμὸς ἐξοδίου σκηνῆς, *Psalmus egressionis tabernaculi.* — Horum verborum variae exstant interpretationes, quarum plurimae aliae aliis obscuritate non cedunt. Optimam dedit Rosenmullerus, in *Praef. ad scholia in hunc Psalmum;* qui animadvertit, titulum hunc non significare *canticum egressionis e templo*, uti multi existimant (1), sed ἐξόδιον σκηνῆς fuisse vocabulum solenne, quo designabatur apud Graecos Alexandrinos *octavus dies Festi Tabernaculorum.* Cf. *Levit.* XXIII. 36. „ quare," inquit, „ hoc sibi vult Graeca inscriptio, consummato Festo Tabernaculorum decantari hoc carmen solitum fuisse." (2) Cum autem in *He-*

(1) Venema, v. c. autumat, hunc *Ps.* esse compositum occasione *deductae arcae a Sione in templum*, itaque post mortem Davidis, quod inde confirmari posse arbitratur, vocem היכל (vs. 9.) *templum*, non *tabernaculum* significare. Vid. Venema, in *Comment. a. h. l.* Cf. ab Hemessen, l. l. p. 2 sq. et infra ad vs. 9.

(2) Variae de hoc titulo sententiae exstant apud Auctorem anonymum laud. in *annot.* ad hunc Ps. et in *expositione Patrum Graecorum* a Corderio confecta, qui duodecim diversas hujus inscriptionis memorat interpretationes.

Hexaplis Origenis non inveniatur hic titulus, plurimi eum spurium habent, et a Judaeis Alexandrinis texui Graeco additum (1). Et quamvis etiam ponamus, antea jam in codicibus nonnullis Hebraeis adfuisse, nil docebit haec inscriptio, nisi opportunitatem, qua deinceps carmen nostrum fuerit cantatum.

Ex ipso autem carmine varii varias fecerunt conjecturas, quibus carminis componendi opportunitatem aliquatenus constituerent. Sunt qui existiment, Davidem hanc tempestatis descriptionem dedisse paulo post victoriam quandam, de gentibus vicinis reportatam, quod ex versu undecimo efficere conantur (2). Alii vero paulo post pluviam, quae, rege Davide, triennalem siccitatem fuit subsecuta, coll. 2 *Sam.* XVII. 1, 10. ejusdemque temporis esse dicunt nostrum carmen ac Psalmum LXV (3). Quibus opinionibus nos.

(1) Cf. Rosenmüllerus, l. l.

(2) Vid. G. C. Knapp, *die Psalmen uebersetzt und mit Anmerkungen*, ed. 2. 1782, in *praefatione ad nostrum Psalmum.*

(3) Vid. Auctor anonymus, laud. in *praefatione ad nostrum Psalmum.* Caeterum ab Hemessen, l. l. p. 14. Davidem hunc cantum composuisse arbitratur, cum in castris versaretur, sive in loco *Machanaim* dicto, coll. 2 *Sam.* XVII. 24. sive alibi fuerit; quod efficere conatur e vocibus בני אלים vs. 1. de quibus infra videbimus.

nostram de componendi ejus opportunitate conjecturam apponere liceat.

Ex versibus decimo et undecimo, in quibus poëta precatur a Deo gentis Israëliticae salutem, aliquatenus effici posse arbitramur, tempore hujus Psalmi compositi Davidem jam fuisse regem creatum. Pluribus enim hoc tempore compositis carminibus talem de gente universa commemorationem vel intexuit vel subjecit Davides (1). Iidem autem versus, uti et totus Psalmus, qui luculenter sedatiores quosdam sensus spirat, docere videntur, Israëlitas, dum hoc componebat carmen Davides, aliquamdiu pace et felicitate fuisse gavisos; et e versu tertio apparere videtur, tempore festi cujusdam fuisse compositum; forte quidem tempore festi *Paschatis*, quod incipiebat mense, qui cum nostro Aprili convenire existimatur (2). Haec autem sententia egregrie quadraret in versum nonum, in quo fit mentio partus cervarum. Has enim mense Augusto et Septembri concipe-

(1) *Psf.* XX. XXIV. 5, 6. XXXIII. 12. XCV. 7. XCVII. CV. 6 sqq. CXXX. 7, 8. CXLV. 10, 13.

(2) Vid. cl. Pareau, *Antiq. Hebr. descr.* p. 142. Hoc enim tempore in Palaestina frequentissimae erant tempestates, coll. p. 61 sq. et Harmer, l. l. p. 4, 52. et *Ps.* CIV.

pore, ut veris redeuntis tempore pariant, testis est Aristoteles VI. *Hist. Anim.* 29. (1). Itaque nos putamus, uti jam ſupra verbo indicavimus, Davidem hujusmodi festo ipſum interfuisſe, dum ſubito oboriretur tempestas; ut adeo paulo postea compoſuerit carmen, et dein Sacerdotibus Levitisque in uſum publicum tradiderit, quod hac ſimilive opportunitate post ſedatam cantaretur tempestatem.

(1) Cf. Corderius, l. l. ad *Pſ.* XXIX. 9.

PARS

PARS ALTERA.

PSALMUS XXIX, CUM ANNOTATIONE.

Canticum Davidis.

Vs. 1. Tribuite Jehovae, proles Omnipotentis,
Tribuite Jehovae majestatem gloriamque!
2. Tribuite Jehovae majestatem ejus nomini debitam!
Adorate Jehovam in fancto vestitu!
3. Fragor Jehovae fuper undas —
Deus illustris intonat —
Jehova denfas fuper undas.
4. Fragor Jehovae *est* vehemens,
Fragor Jehovae *est* venerabilis.
5. Fragor Jehovae cedros confringit,
Imo penitus perfringit Jehova cedros Libani.
6. Facit ut *montes* fubfiliant illi, uti vitulus;
Libanus et Sirion, uti orygis pullus.
7. Fragor Jehovae ignitas excutit flammas.
8. Fragor Jehovae quatefacit defertum,
Quatefacit Jehova defertum Cadefchi.

Vs. 9.

Vs. 9. Fragor Jehovae abortum injicit cervis,
Decorticatque ſylvas —
Dum in ejus palatio quisque exclamat:
Quanta majestas!
10. Jehova *ſuo throno* conſidet, dum imbres demittit,
Conſidet Jehova Rex in perpetuum.
11. Jehova ſuo populo praebeat tutelam!
Jehova ſuo populo largiatur pacem!

ANNOTATIO.

Ad verſus 1 *et* 2.

Est eximium carminis exordium. Continuo nos inducit quaſi in Sionem, locum illum maxime venerabilem, in quo verſabatur Davides, dum hunc effundebat cantum; ac ſimul manifeste nos docet et perſentiendum praebet, quid animo hic ſenſerit, cum canendi faceret initium. In medio Israëlitarum coetu, qui ad Jehovam festo die concelebrandum undecunque confluxerat, ipſum Davidem videre mihi videor, victimas ſuas grato animo offerentem. Subito hisce peragendis interrumpuntur festum agentes vehementisſimae tempestatis obortu. Venerabunda ad-

admiratio animum occupat vatis, ipse dum Jehova in coelis ea, qua par est, majestate adventat. Intimos hos venerationis sensus ut reticeat Davides, pectus non sinit commotum. Idem cupit ut sentiant Jehovae cultores; eadem, qua ipse erga Jehovam sint veneratione imbuti, quotquot in Sione adsunt praesentes. Itaque ex imo pectore suos excitat populares, ad eosdem, quos animo tenet, sensus fovendos; et eos sublimi solennique ratione ad Jehovam magnifice apparentem celebrandum adhortatur atque impellit.

Vs. 1. הבו ליהוה, *Tribuite Jehovae.* Verbi יהב vel והב coll. אהב propria vis latere videtur in *ardenti studio ad aliquid liberaliter praebendum* sive *praestandum.* Haec ejus prima significatio patet inprimis in imperativo singulari הבה, *Gen.* XI. 3, 4. *agedum;* eademque dominatur vis in omnibus derivatis; coll. enim Arab. وهب proprie notat: *spiravit, anhelavit, propere attulit;* inde *donavit, concessit, largiter et liberaliter exhibuit* (1). Aptissimum igitur nostro loco Davides adhibuit verbum, ad designandum summum animi ardorem, quo *ex pleno pectore* Jehova esset celebrandus. — Caeterum

(1) Cf. Schultens, ad *Haririi consessum* IV. p. 60. et Scheidius, in *Lex.*

rum obſervetur diſcrimen inter verbum יהב et inter ejusdem ſignificationis verbum נתן, quod occurrit nostri carminis vs. 10. Verbum enim נתן fere uſurpatur de *beneficiis, quae quis dignitate ſuperior inferiori cuidam largitur:* Illud vero dicitur de *donis, quae grato animo quis defert ac tribuit alicui, auctoritate vel dignitate longe praecellenti.* (1)

בני אלים. *Proles* ſeu *filii Omnipotentis.* Hae voces ita conjunctae bis tantum in C. S. occurrunt. Non mirandum adeo, varie a variis interpretibus eas fuisſe acceptas; easdemque mihi etiam multum molestiae creasſe, lubens fateor. Age vero, paucis, quoad posſimus, praecipuas recenſeamus ſententias, nostrumque ſubjiciamus judicium; nonnullorum nimirum opiniones nemo facile probaverit. Neque adeo audiendi ſunt Alexandrini, qui vertunt *Filii arietum* (2), nec Rabbini, qui intelligunt *astra*, et *monſtra quae-*

que

(1) Vid. inprimis *Gen.* XLVII. 16. Cf. Burkius, in *Gnomone Pſalmorum*, *ad nostri Pſalm.* vs. 10.

(2) Haec interpretatio Pontificiis anſam dedit, qua bicornem illam Episcoporum mytram ex hoc loco confirmare ſint conati. Namque per *filios* intelligunt Episcopos, per אלים *cornua*. Inde dicunt, Episcopos necesſario debere *cornua gerere.* Vid. Hackspanii *Notae Phil. Theol. in varia difficil. ſcripturae loca.* II. p. 128.

que horrenda, v. c. *Leviathanem Jobi* (1), nec patres quidam Ecclesiastici, qui, prophetico sensu de *Christianis* (2) nostrum versum accipiunt. Tales enim interpretationes ne refutatione quidem dignas esse, quisque videt. Plurimi autem interpretes אלים recte derivant ab אל, contracte pro איל et אֵיִל *robur*, et adjective *robustus*; unde pluralis אלים pro אילים *fortes*, *robusti* (3); quae postrema lectio in nonnullis codicibus Kennicottianis ad nostrum locum invenitur (4). Vertunt igitur בני אלים *filii potentium*, i. e. ex usu Hebraico substantivi בן (5), ipsi *potentes* seu *principes* (6). Poë-

(1) Aben-Ezra, aliique; quos allegat Viccars, in *Decaplis ad Psalmos*, ad h. l.

(2) Theodoretus, aliique multi.

(3) Cf. Scheidius, in voce.

(4) Haec autem lectio non urgenda videtur. Librarios enim sexcenties cum litteris ו et י pro lubitu egisse, ut vel eas commutaverint, vel plane omiserint, testes sunt Eichhorn, *Einleit.* I. p. 321. ed. 4a, et Jahn, *Einleit.* I. p. 467.

(5) Vid. Coccejus, in *Lex.* et Glassius, *Phil. sacra*. I. p. 110. ed. *Dathii*.

(6) Hunc sententiam inter alios amplexi sunt Jo. Bugenh. Pomeranus, in *libri Psalm. interpret.* a. 1524. Clericus, Aretius Felinus, sub cujus nomine latet Martinus Brucerus, *Psalmorum libri V. ad Ebraicam veritatem versi, et familiari explanatione elucida-*

Poëta, secundum hanc sententiam, hortatur, ut prae ceteris *viri gentis Israëliticae principes* Jehovam celebrent. Hi, quippe magna auctoritate pollentes, ne obliviscantur, se hunc accepisse principatum a Jehova, qui, ipsis longe superior, omnes mortales, etiamsi alii prae aliis ad summam dignitatem sint evecti, infinita sua potentia regit atque moderatur. Istiusmodi exhortatione, si unquam, certe Davidis tempore magnatibus Israëliticis opus erat. Qui enim, Saulo regnante, regis ad exemplum Jehovam parum curaverant, et neminem, nisi Saulum, se superiorem agnoverant, hi sub Davide, rege religiosissimo, ab hac impietate et perversitate nondum destiterant. Superbientes hi judices ac magistratus, quandoquidem, teste Asapho (1), „ inique judicabant, improbis gratiose favebant, miseros ac pauperes injuste tractabant, ac mala quaeque perpetrabant, imperii fundamenta penitus

cidati. Munsterus, in *Bibl. criticis.* Amyraldus, *Paraphrasis in Psalmos.* J. H. Michaëlis, in *Hagiographis.* Polus, (*Engelsche Godgeleerden*) 4°. (1744.) Burkius, l. l. Venema, in *Comm. ad Psalm.* qui allegat etiam Gejerum. Zachariae, *freye und erklärende Uebersetzung der Psalmen* 73. Mebius, in libro cui titulus *de Psalmen kortelijk opgehelderd enz.* II. St. I. p. 187. et ab Hemessen, in *Diss. laud.*

(1) *Ps.* LXXXII.

tus labefactare videbantur " (1). Sed vero, num Davides impios hosce principes, a quibus prorsus abhorrebat, quosque animus ejus candidus affectibusque vehementer commotus non poterat non summo persequi odio (2), num Davides tam solenni, placida atque honorifica exhortatione hosce magnates ad ipsorum officia, quae deseruerant, redigere füisset conatus? Non credo equidem. Repugnat haec sententia indoli Davidis, neque convenit cum exsecrationibus, quibus improbos hosce petere solet (3). Neque *etiam haec* interpretatio cum carminis *ultimis versibus* rite in concordiam redigi posse mihi videtur. Descripta enim gravissima tempestate, qua Deus suam prae omnibus praecellentem potentiam reddiderat manifestam, hinc non ansam arripit Vates, ut horum magnatum, quos antea excitasset ad Jehovam colendum, superbiam magis magisque deprimeret; sed continuo supplices subjicit preces, ut *populum* suum Jehova *servet* incolumem, suaque beneficia ei praestare pergat. Profecto, si virorum illorum pravitatem emendare in animo habuisset Davides, multo magis talem perorationem severam fuis-

(1) Cf. de hisce ab Hemessen, l. l. p. 7 sqq.
(2) Vid. supra p. 29 et 53.
(3) *Ps.* X. inprimis, *Ps.* XI. 5 sqq. cf. supra pag. 53 sq.

fuisſemus exſpectaturi, qualem Aſaphus, carmini ſupra laudato ſubjecit, Jehovam ita loquentem inducens:

Equidem vos Deorum inſtar habueram,
Vos ſingulos ut filios Numinis Supremi;
Sed vero, moriendum est vobis, ut caeteris
Et ut pauperi cuique cadendum. (Adamidis;
Surge, o Deus! justa praesta huic regioni,
Tu enim ex aequitate imperas gentibus omnibus! (1)

Ex eadem autem vocum בני אלים interpretatione exſtitit ſententia; quam, inter alios, tuiti ſunt Cl. Palmius (2) et Muntinghius (3), existimantes *filiis potentium* ſeu *nobilium* poëtice innuiſſe Davidem *Sacerdotes* vel *Levitas*, qui quaedam quaſi nobilium claſſis haberi poterant. Placet haec interpretatio et cum carminis indole magis profecto convenire videtur, quam illa ſupra memorata. At vero nullam equidem video rationem, ob quam unice hos Sacerdotes ad

(1) *Pſ.* LXXXII. 6 ſqq.

(2) *Eenige liederen van David en Aſaf.* ad h. l. Hanc autem interpretationem verbo innuiſſe videtur Auctor anonymus laudatus, in *appendice* ad notas, margini ſubjecta, ad h. l.

(3) In *Pſalmorum interpretatione*, Ed. 2. ad h. l.

ad Jehovae celebrationem excitaverit Davides. Unicum autem hujus sententiae argumentum ex vs. 2. petitum, quo הדרת קדש, *sanctus vestitus*, non quadraret nisi in Sacerdotum apparatum, ad hanc sententiam confirmandam minus posse valere, Cl. Palmius deinceps docuit, *in nova Bibliorum versione.* Qua de re infra suo loco agemus.

Quod attinet ad explicationem, quam dederunt J. D. Michaëlis, aliique, qui pluralem אלים vertunt *Dii*, atque a vate significatos perhibent *Deastrorum cultores* (1); hanc sententiam minime praeferam. Repugnare enim videtur versus 2. Scilicet tali sensu הדרת קדש, *sanctus vestitus*, num in libris sacris sit adhibitum de vanorum Deorum asseclis, dubito vehementer. (2)

Denique non assentior Rosenmullero, qui, Chaldaicam versionem secutus, בני אלים vertit: *filii Deorum*, i. e. *Angeli*, ut adeo

Da-

(1) J. D. Michaëlis, in *Epimetro* ad Lowthi *praelectionem* XXVII. Doederlein, in *scholiis*. Knapp, *die Psalmen Uebersetzt* etc. Schulzius, in *scholiis*, IV. p. 126. J. F. Teige, in libro, cui titulus: Henke, *Neues Magazin für Relig. Philosophie* V. p. 69. Starkius, *Davidis aliorumque poëtarum Hebraeorum libri* V. p. 163.

(2) Cf. Cl. Palmius, in libello supra laud. ad h. l.

Davides ante omnia *Coelites* invitasset ad Jehovae laudes celebrandas (1). Iisdem enim me verbis, quibus ipse Michaëlidem redarguere studuit, ipsum redarguere possim, qui idonea argumenta pro sua sententia non protulerit.

Aliam igitur horum verborum interpretationem proferre liceat, quam et simplicissimam et nostro loco aptissimam esse, probare conabor.

Equidem בני אלים verto: *filii* seu *proles Omnipotentis*; et hisce innuisse mihi videtur Davides ipsos Israëlitas, quatenus scilicet propter sincerum Divini Numinis cultum hoc insigni illustrique nomine digni censerentur. Quod enim ad אלים attinet, Hebraei saepissime pluralem numerum usurpant de una re in suo genere magna et excellente. Ita v. c. dicitur אלהים *Numina*, pro *Numine admodum colendo*; קדשים *sancti*, pro *Deo sanctissimo*; אדנים *Domini*, pro *uno magno Domino*, caet. (2) Quid igitur nos impediat, quominus et pluralem אלים accipiamus pro singulari אֵל? Uti autem אֵל contracte pro אֱיל *constrictus*, *compactus*, *fortis*,

(1) In *scholiis*, ad h. l. Eandem autem sententiam memorat Viccars, l. l. Ad talem interpretationem ansam dedisse videtur male intellecta formula יהוה צבאות, cf. ab Hemessen, l. l. p. 12.

(2) Vid. Schroederus, *Grammat.* p. 171. Cf. cl. Bauer, *Myth. S. C. interpr.* p. 111.

tis, *robustus*, ab אֵיל, cogn. אוּל, *crassus*, *robustus fuit*, κατ' ἐξοχὴν usurpatur de *Deo potentia praevalente* (1), ita pluralem אֵלִים recte reddere possumus per *fortissimum*, *robustissimum*, *potentissimum*. Neque vero obstat huic interpretationi vocum בְּנֵי אֵלִים tali sensu rarissimus usus (2). Haec enim dubitatio, cum bis tantum, uti supra diximus, ipsa formula in C. S. inveniatur, contra omnes valet hujus loci interpretationes. Poëtae vero Hebraei haud raro a vulgari sermonis usu recedunt, sibique exquisitiora verba affectant (3). Neque adeo assentior iis, qui pro אֵלִים legere malunt אֱלֹהִים (4). Haec enim conjectura nullis argumentis nititur, nec

(1) De hac vocis derivatione vid. omnino Scheidius, *Schediasm. Philolol.* p. 21-23.

(2) Cf. cl. Pareau, *Inst. Intp. V. T.* p. 33.

(3) Vid. Lowth, l. l. p. 29. et cl. Pareau, l. l. p. 427.

(4) Hanc conjecturam secundum Alexandr. versionem protulerunt Kennicott, *not. critic. in nonnullos Psalmos ed. Brunf.* 1772. p. 143. et Michaëlis, *Orient. und Exeg. Biblioth.* XIX. p. 39. Contra vero Alexandrinos in suis Codd. legisse אֵלִים non אֱלֹהִים erudite ostendit vir anonymus laudatus. Cf. etiam Sabatier, *Bibl. Sacr. Latinae versiones antiquas caet.* Paris. 1751. ad h. l. Starkius, l. l. p. 153. et Corderius, in *annot.* ad h. l.

nec aptiorem suppeditat lectionem. — Salva igitur analogia linguae Hebraicae nostra interpretatio admitti posse videtur. Praeterea quodammodo mea sententia confirmatur ex altero loco, in quo hae voces sibi conjunctae occurrunt. Psalmo nimirum LXXXIX. 7. per בני אלים poëtam, quisquis fuerit, designasse *Angelos*, sive *spiritus* nobis superiores, luculenter apparet, tum ex aliis argumentis, tum imprimis e sententiarum, qui dicitur, parallelismo. Angeli autem, qua ratione dici possint *filii nobilium* vel *filii Deorum*, equidem non assequor; verum recte quidem hoc insigni nomine appellantur *filii Dei*, uti alibi etiam saepius eodem sensu dicuntur בני אלהים (1). Quapropter בני אלהים et בני אלים idem notare mihi videntur; quod et Chaldaeus nostro loco expressit, verba haecce interpretatus כתי מלאביא *coetus Angelorum* (2). Similiter in libris sacris saepius *Numen Supremum*

(1) Vid. *Job.* I. 6. II. 1. XXXVIII. 7. Cf. cl. Pareau, in *comm. Jobaea*, p. 96. et in *disput. de Mythica S. C. interpret.* p. 115 sqq. et J. D. Michaëlis, *Orient. und Exeg. Biblioth.* XIX. p. 139.

(2) Quae autem in Chaldaica versione adduntur, בני אלים forte sunt Hebraica, et deinceps addita. Terminatio enim ים ad pluralem designandum Chaldaica non est.

minum vocatur אל אלהים (1), eodem sensu atque אל אלים (2); et uti *κατ' ἐξοχὴν* *magistratus* dicuntur אלהים, ita eodem sensu Asaphus eos dixit אֵל, quod collectivo sensu est pro אלים. (3)

Haec autem populi, vero Deo consecrati, denominatio, quamvis haud vulgaris, vel sic tamen ab Hebraica cogitandi ratione minime abhorret. Tempore nimirum Noachicum diluvium longe antecedente probi jam Dei cultores coelestia quaeque sectantes, coelestium numero ac societati se adscriptos esse gaudentes et gloriantes, a Deo se denominaverunt, *Dei*que se filios *dixerunt* בני אלהים; quibus vero opponuntur caeteri hac spe destituti, quos humiliori nomine vocabant *filios Adami* בני אדם (4). Deus autem peculari suae providentiae cura cum gen-

(1) *Josua* XXII. 22. *Ps.* L. 1.

(2) *Dan.* XI. 36.

(3) *Ps.* LXXXII. 1. Caeterum בני אלים et בני אלהים non differre, censent etiam Rosenmullerus, ad h. l. Starkius, *Syllog. Comm.* et Auctor anonymus laudatus in *Append. ad notas*, ad h. l.

(4) *Gen.* IV. 26. VI. 2. Vid. omnino Cl. Pareau, *Comm. Job.* p. 96. et de *Myth. S. C. interpret.* p. 116 sq. Ad hanc autem dicendi rationem ipse, ut videtur, Davides se conformavit; dixitque homines improbos בני אדם. Cf. Muntinghe, ad *Ps.* XIV. 2.

gentem complecteretur Israëliticam, hanc ipse appellavit *filium suum primogenitum*, *Exod.* IV. 22. בְּנִי בְכֹרִי יִשְׂרָאֵל. Quare vates Hebraei frequentissime laudant Jehovae de populo suo curam, quam singuli pro suo consilio eximiis et sublimibus adornant comparationibus. Sic v. c. a Mose inducitur Jehova, qui

Tanquam aquila fervet pro suo nido,
Suis pullis molliter incubat,
Suas alas expandit, eos capit,
Eos gestat suis pennis tectos (1).

Similiter Jehova a poëtis interdum *prolem suam*, i. e. gentem Israëliticam *elegisse*, vel tanquam pater *procreasse* et *educasse*, vel tanquam mater *peperisse* et *nutriisse* dicitur. Item Israëlitae vocantur Jehovae *haereditas* et *portio*, quam sibi elegit; imo plus semel dicuntur בָּנִים *filii a Deo formati*, *nutriti* et *educati* (2). Eadem ratione Israëlitae saepe vocantur *Jehovae clientes*, quos singulari sua prosequitur benevolen-

(1) *Deut.* XXXII. 11. Cf. *Jes.* LX. 11 et *Ps.* LXXVIII. 52. et alibi, ubi Jehova fingitur tanquam pastor de grege sua sollicitus, ovesque suas curans atque fovens.

(2) Vid. *Deut.* XXXII. 6, 9, 18. *Ps.* XXVIII. 9. CIII. 13. CV. 6. *Jes.* I. 2. XXX. 12. XLIII. 6. XLVI. 3, 4. XLIX. 15. et alibi.

lentia (1). Istiusmodi igitur solenni nomine etiam nostro loco a Davide appellari Israëlitas, equidem autumo; et aptissime quidem poëta hosce non dicit nostro loco בני אלהים, quod proprie vertendum sit *filios Dei summe verendi* (2), sed בני אלים, *filios Omnipotentis*; quippe qui in tempestate hac gravissima summam et infinitam suam patefecisset potentiam.

Praeterea vero, quod nostram in rem plurimum valere videtur, frequentissime Davides in suis carminibus ad Dei majestatem gloriamque agnoscendam et celebrandam excitat *omnes Jehoviae cultores* vel *totum Israëliticum populum* (3). Sic v. c. *Psalmo* XXII. 24.

Jehovae cultores, hunc laudate!
Vos, tota proles Jacobi, hunc praedicate!
Hunc veneramini, vos tota proles Israëlis! (4)

Et

(1) *Deut.* XXXIII. 8. *Ps.* XXX. 5. XXXI. 24. L. 5. LII. 11. LXXXV. 9. CXLV. 10.

(2) Scheidius in *Lex.* et Schultens ad *Proverbia*, p. 28.

(3) Cf. supra p. 63.

(4) Forsitan autem alius etiam locus ad meam sententiam confirmandam aliquid valere possit. Psalmo nimirum XCVI. 7-9 eadem fere continentur verba, quae in duobus prioribus nostri carminis versibus occurrunt. Uterque autem locus ab eodem poëta cum sit confectus, forte unus ex altero aliquatenus explicari possit. Ibi autem vs. 7. non quidem

 dem

Et inprimis Psalmo trigesimo tertio, in quo idem fere invenitur cogitationum sensuumque nexus, quem in nostro carmine animadvertas. Uti nimirum in illo Psalmo Davides primo pios excitat Israëlitas, ut laete jubilent in Jehovae honorem, dein sublimiora petens Deum depingit tanquam hujus universi creatorem, omniaque suo nutu gubernantem, tandem hinc recurrit ad beatos praedicandos *Jehovae cultores*, qui confidentes nil timeant, ab illo omnia exspectent, ejusque se prolem esse gaudere queant: similiter ergo nostro in carmine, gravissimis tempestatis effectibus descriptis, poëta desinit animum offerendo gratum Jehovae, qui et *festum agentes in Sione*, כלו Vs. 9, et *totum suum populum*, לעמו Vs. 11. incolumes servaverit, sitque servaturus in posterum. Quidni igitur hosce, quos Vs. 9 et 11 memorat Davides, eosdem dicamus, quos in exordio dixit בני אלים *filios Omnipotentis*, *populum Israëliticum?* Mihi saltem nulla interpretatio aptior magisque cum tota carminis ratione et habitu congrua videtur; et quandoquidem neque cum lingua Hebraica neque cum cogitandi ratione Da-

dem memorantur בני אלים, sed משפחות עמים *familiae tribuum*, quibus tamen Vatem designare voluisse ipsos *Israëlitas*, ex Vs. 10. apparere videtur.

Davidis caeterorumque poëtarum Hebraeorum pugnat, hanc equidem adhuc praeferam. Meliora videant doctiores.

עזו כבוד *majestatem gloriamque.* Aptissima verba ad designandam Jehovae magnitudinem in tempestate. Quamvis enim Latine videantur fere synonyma, peculiaris tamen vis in singulis obtinet, quae rite in versione exprimi nequit. Illud a *gravitate ponderis*; hoc a *robore* suam notionem petit. Verbum enim כבד coll. كبد proprie est *gravis fuit pondere*, inde *gravis fuit pretio* et *honore*, i. e. *honoratus fuit.* Hinc substantivum כבוד, uti Graecorum *βάρος* (1), usurpatur de *pondere* seu *onere*, quod mole sua incumbit opprimitque; et metonymica, ut ajunt, ratione de *magnificentia* et *majestate* dicitur (2). Nostro igitur loco notat summam Jehovae *majestatem*, quatenus maxima et sublimia quaeque in se complectitur Numen Supremum. A verbo עזז autem, Arabice عزّ, *intorsit*, *denso nervo fortius adstrinxit*, *fortis fuit* (3), est substantivum עז, quod proprie dicitur de *intorsione* et hinc

(1) Cf. Inprimis 2 *Cor.* IV. 7.

(2) Vid. Schultens, ad *Prov.* p. 129, 342. et in *Clavi Dialect.* p. 330, 339. Cf. Scheidius in *Lex.*

(3) Vid. Schultens, ad *Prov.* p. 78. Scheidius, l. l.

hinc de *robore invicto*; metaphoricè autem designat *honorem*, *decus*, *laudem* (1), *gloriam solidam* et *illibatam potentiam*. Prouti autem Arabicum substantivum عز, sic et Hebraicum עז peculariter usurpatur de *splendore regio*, quoad scilicet rex omnibus gloriosa sua potentia praecellit (2). Hinc vates Hebraei, magnifica quaevis Monarchae Orientalis attributa ad Jehovam transferentes (3), hanc gloriam potentissimam frequentissime Numini Supremo adscribunt (4). Egregie igitur nostro loco hanc vocem adhibuit Davides. Quid enim illustrius praedicat Jehovae venerandam majestatem potentiamque, quam tempestas vehementissimique ejus effectus? Quare etiam alio loco a Davide ipsum tonitru dicitur eodem sensu קול עז, i. e. *vox* tremebunda divinae *gloriae* et *potentiae*, quam e sede sua altis in nubibus edit Jehova (5). Haec autem verba כבוד ועז saepius junguntur ad designan-

(1) *Ps.* VIII. 3.

(2) Cf. *Sylloge dissert.* II. p. 1086. et J. van Voorst, *Dissert. philol. de notabili Correctionum Masorethicarum genere*, p. 124. 2°. 1778.

(3) Cf. supra, p. 19 sq.

(4) *Ps.* LXXVIII. 61. XCIII. 1. XCVI. 6, 7. XCIX. 4. CV. 4. CX. 2. *Hab.* III. 4.

(5) *Ps.* LXVIII. 34.

laudata summam Jehovae magnificentiam ac perfectionem (1), simili sensu quo in N. F. τιμὴ καὶ κράτος, δόξα καὶ κράτος, δόξα καὶ τιμὴ (2): Ipsi etiam Alexandrini vertunt ἐνέγκατε τῷ Κυρίῳ δόξαν καὶ τιμὴν, melius Aquila καὶ κράτος.

Vs. 2. כבוד שמו proprie *majestatem nominis ejus* — Quando Hebraei afferte memoriam alicujus rei vel personae *nomen*, inest huic dicendi formulae vis quaedam peculiaris; quod ipsa jam vocis שם derivatio nobis ostendit. Verbum enim שמה coll. dial. Arab. propriè significat *altus fuit, eminuit*; et speciatim dicitur de *re ita eminente, ut distincte queat notari ac discerni*. Inde substant. שם usurpatur de *omni signo excelso et eminenti; notaque exstante*, hinc denique designat *nomen* (3). Scilicet apud Orientales nomina plerumque exprimebant ipsorum hominum indolem et naturam, vel attributa quaedam, quibus ab aliis dignoscerentur; cujus consuetudinis indicia jam adsunt in primorum parentum historia (4), ac Christi tempore etiam-

(1) 1 *Chron.* XXIX. 11, 12. Ps. XCVI. 7. LXIII. 5. CXLV. 11.

(2) 1 *Tim.* VI. 16. 1 *Petr.* IV. 11. V. 11.

(3) Vid. omnino Schultens, ad *Job.* p. 2. Cf. Schindius, in *Lex.*

(4) *Gen.* III. 20. IV. 1. Cf. Cl. Pareau, in *Dis. put.*

etiamnunc erat in usu (1). Inde ידע שמו *nomen ejus novit*, non uti apud nostrates significat *exiguam alicujus notitiam habere*; *verum ipsum talem cognoscere qualis revera est* (2). Ex eodem autem symbolicorum horum nominum usu antiquitus gentes plurium Deorum cultui addictae horum singulis nomina imponebant, quibus unum ab altero discernerent (3). Ad quam consuetudinem, Israëlitis in Aegypto degentibus, sapientissime se accommodavit ipse verus Deus, sibique proprium assumsit nomen יהוה *ejus, qui est revera, idemque erit semper*. Quo nomine ab omnibus aliarum gentium Diis, qui nihil essent in rerum natura luculenter distingueretur, Israëlitisque se manifestum redderet, in omnibus, quae edixisset, veracissimum et constantissimum (4). Saepissime igitur auctores sacri, inprimis Moses, cui haec proprii nominis divini vis primum explicuerat Jehova, ad hanc peculiarem significationem respexerunt, et aliquando omnem hujus nominis vim

put. de Mythica S.C. interp. p. 90 sq. et in *Antiq. Hebr. descript.* p. 320. sq.

(1) Uti patet inprimis ex nomine *Petri*.

(2) *Exod.* XXXIII. 17.

(3) Cf. *Exod.* III. 13.

(4) *Exod.* III. 14. coll. VI. 2, 3. et Cl. Pareau *Ant. Hebr.* p. 89.

vim ob oculos habentes, Deum describunt tanquam eum, qui refugium omni tempore praestitit piis probisque Dei cultoribus, quippe qui aeternus idemque semper, promissis suis constantissimum, veracissimumque, se praestet. (1) Hinc et frequentius *nomen Jehovae* שם יהוה, et tantummodo השם *nomen*, dicitur in sacris libris, ubi ipsius *Jehovae* mentionem exspectaremus. Quod ubicunque fit, ipsum *Jehovam* indicasse auctor censendus est, quatenus *nomen* illustre *Jehova*, omni sua vi acceptum, ipsum Deum eximie manifestum reddit mortalibus. Sic v. c. *Lev.* XXIV. 11. *Jehovae nomen conviciis petere* significat: eum obtrectare, qui illustre hocce nomen gerit *Jehovae*; et inprimis *Jes.* XXX. 27. „*Ecce Jehovae nomen advenit*" i. e. is, qui nomen istud gerit *Jehovae* (2). Ipse etiam Christus, cum opus sibi a Patre mandatum hac in terra peregisset, in ultimis precibus ita Deum alloquitur: (*πάτερ*) *ἐφανέρωσά σου τὸ ὄνομα τοῖς ἀνθρώποις*, i. e. te manifestum reddidi talem, qualis revera es (3).

Da-

(1) Vid. omnino *Exod.* XV. 3. *Deut.* XXVIII. 58. et *Ps.* XC. 1, ubi bene multorum Codd. Kennicott. auctoritate pro אדני legatur יהוה. Cf. etiam *Ps.* XCI. 2, 14.

(2) Cf. Cl. Palmius, ad h. l.

(3) *Joh.* XVII. 6. cf. *Joh.* XV. 21. *Rom.* II. 24. alibi.

Davides autem singularem hanc Jehovae nominis propriam eximiamque vim, qua prae omnibus Deastris esset colendus, imo pectore percipiebat, idque nonnunquam illustrissima ratione carmine aperit, uti *Ps.* LXII. 17 sq. (1).

Nomen ejus maneat in perpetuum!
Quamdiu sol apparebit, perduret ejus nomen!
Nam propter illud sibi omnes gratulabuntur nationes,
Omnes gentes eum praedicabunt suae felicitatis auctorem.

Ad ejusdemque idcirco nominis celebrationem et veram agnitionem Davides nostro loco suos excitat populares; et ex pleno pectore verba fundens, *Tribuite Jehovae*, inquit, *nominis ejus majestatem*; ex animo agnoscite et celebrate Jehovam tanquam Deum unicum, supremum, potentissimum, promissis constantissimum populoque suo benignissimum; verbo: Veneramini Jehovam tanquam Jehovam! (2).

השתחוו pro וְהִשְׁתַּחֲווּ, coll. Schroedero *Gram-*

(1) Cf. *Ps.* CXIII. 2. CXV. 1.

(2) Cf. Vatablus, in *Bibl. Crit.* Fenton, (*Eng. Godgel.*) J. H. Michaëlis, Rosenmullerus, aliique ad h. l.

Gramm. reg. 57. 4. et 82. II. 2. Est imperat. spec. Hithpahhel, cujus speciei vim exposuit Schroeder *l. l. reg.* 56. XX. a rad. שׁחה quae semel tantum occurrit in C. S. (1). Propria ejus vis latere videtur in *subsidendo*, *profundius vergendo et demergendo* (2). Hinc in Hithp. est: *semet ipsum sidere fecit*, *alterumque honoravit*, *adoravit* (3). Novimus autem, in more esse Orientalibus, ut, si cui summum honorem tribuere velint, se ante illum humi prosternant, facieque terram attingant (4). Inde saepius, uti et nostro loco, verbum hocce usurpatur de sacra Divini Numinis veneratione, qua nonnumquam Israëlitae submisso corporis humum inclinati habitu Jehovam adorabant, eumque tanquam patrem, absoluta in liberos potestate praeditum, agnoscebant ac reverebantur (5). Convenit Graecorum προσκυνεῖν, uti recte vertunt LXX.

מהררת

(1) *Jes.* LI. 23.

(2) Cf. Schultens, ad *Prov.* XI. 18.

(3) Vid. Scheidius, in *Lex.* Cf. Schultens, *Inst. Ling. Hebr.* p. 335.

(4) Cf. Hyde, de *Relig. Persarum*, p. 6. Michaëlis, *Supplem.* ad *Lex.* p. 2307 sq. et Jahn, *Bibl. Archaeolog.* II. p. 318 sq.

(5) *Exod.* XXXIV. 8. *Deut.* XXVI. 10. XXX. 19. *Job.* I. 20. *Ps.* XCV. 6. CXXXVIII. 2. Cf. Cl. Pareau, *Ant.*

בהדרת קדש *in sancto vestitu.* LXX vertunt ἐν αὐλῇ ἁγίᾳ αὐτοῦ. Similiter versiones Syr. Vulg. et Arab. *in atrio sancto.* At vero harum versionum auctores forte verba Hebraica, quae iis praelegerentur, auribus falso exceperunt, vel revera in suis codd. legerunt, parvula literarum mutatione בחדרת קדש, *in atrio sancto;* aut בחצרת seu בחצרות קדשו *in atriis* vel *in atrio ejus sanctitatis*, ut recte conjecisse videtur interpres Anonymus *l. l. in Appendice* ad hunc locum (1). Lectio igitur vulgata, quam fere omnium codicum auctoritas confirmat, retinenda videtur, quippe quae aptissimum praebeat sensum (2). Substantivum nempe

Ant. Hebr. Descript. p. 174. et Rosenmullerus, ad h. l. qui citat Gejerum.

(1) Priorem conjecturam memorant etiam Rosenmullerus, ad h. l. et D. J. B. Köhler, in *Obs. Crit. in Psalmos, Repertorium für Bibl. und morgenl. Litteratur,* V. p. 47. Houbigantius autem, Graecas hasce et Syriacas versiones secutus, per conjecturam legendum censet בחדר הקדש, *in atrio sanctitatis.* Ingeniose quidem, ast minime opus nostro in loco.

(2) In uno tantum cod. K. lectio exstat a vulgata aliena; codex nimirum in Catal. Kenn. 147. hanc habet lectionem קדש חילו מלפניו כל הארץ, de quo Cod. videatur *Diss. generalis* Kennicotti, ed. *Bruns* p. 394. sq.

pe הדרת n. l., in regimine pro הדרה a verbo הדר cogn. אדר coll. Dial. Arab. pp. *tumuit, cum fervore elatus fuit*, dicitur de *splendore* et *ornatu honorifico* (1). Jungitur autem interdum cum substantivo קדש. Hoc autem est *sanctitas*, rad. קדש, Arab. *tersit, abstersit, terendo polivit*, intransf. *sanctus fuit* (2). Quod ita more Hebraeorum adjectivi locum tenet, ut adeo vertatur, *ornatus* sive *vestitus sanctus* (3). Hac autem significatione הדרת קדש dicitur interdum de *apparatu*, qualem, vilioribus et domesticis indumentis depositis, adhibebant sacrorum ministri, 2 *Chron*. XX. 21 (4). Dein vero, uti et nostro loco, usurpatur de quibuscunque *vestibus sanctis*, splendidis, festis, quibus indutus solenni qualibet occasione populus ad sacrum accedebat tentorium (5). Ab anti-

(1) Vid. Schultens, ad *Prov*. XIV. 28. Cf. Scheidius et Simonis, in *Lex*.

(2) Vid. Scheidius, in *Specimine Hermen*. I. ad *Genesin*. p. 25. Cf. in *Lex*. et Schultens ad *Job*. p. 11 et L. Suringar, *Diss. Philol. Exeg. de diversis vocum* קדש *ἅγιος et affinium signif. in S. S.* p. 5.

(3) Cf. Schroeder, *Reg*. 7. 1.

(4) Cf. de hoc sacerdotali vestitu Cl. Pareau, l. l. p. 102 sqq.

(5) 1 *Chron*. XVI. 29. *Ps*. XCVI. 9. CX. 4. Vid. Jahn l. l. II. §. 238. et doct. Bergman, *Comm*. in *Ps*. CX. p.

tiquissimo enim tempore apud Hebraeos in usu fuit, ad solennia sacra accedentes, se purgare seu lustrare antea et vestes mutare, quo puriores ad Jehovam appropinquarent, eumque sibi magis redderent propitium (1). Tali igitur sancto vestitu induti, ut adorarent Jehovam omnipotentem ii, qui festum agerent in Sione, nostro loco optat flagitatque Davides.

Caeterum habet totum hocce nostri carminis exordium, quo nos moveat et venerationis imbuat sensu. Excitantur Israëlitae, ut Jehovam agnoscant ac revereantur in tempestate. Quam magnum, quam sublime hoc ipsum, si per se spectamus! Sed quanto majorem acquirit vim talis exhortatio, si ejus auctorem consideramus Davidem; Davidem, inquam, qui ex imo pectore suum colebat Deum Jehovam, quique nil sibi jucundius habebat, nil gratius, quam Jehovam, quacunque tandem ratione, celebrare ac venerari! Quid mirum igitur, si ad eandem celebrationem ex intimo animo ipse excitet carissimos suos populares, quorum rex erat ac gubernator, quique peculiari Jehovae fruebantur favore? Hosce autem poëta non consueto alloquitur nomine *Israë-*

p. 105. *Annal. Acad.* L. B. 1819. Cf. *Ezech.* XVI. 14. Coll. V. 10-13. et *Micha* II. 8.

(1) Vid. Cl. Pareau, l. l. p. 81 sq. et 378.

nobilitatum, quo noscant, se spectari; verum ut persentiscant, quid Numini summe gentis ne colari debeant, eos compellat poëta tanquam prolem Omnipotentis, sub cujus umbra, quotquot eum sincera veneratione prosequerentur, tuti essent salvique. — Animadvertatur ter repetitum הבו ליהוה *tribuite Jehovae;* quae repetitio nescio quid solemnitatis orationi adjungit; eo praesertim quod simul cum ipsa sensim sensimque accrescit et adaugetur sensuum notionumque, quas fovet poëta, vis atque amplitudo, Jehovae tribuant probi Israëlitae majestatem et gloriam (v. 1.). Haec si ulli conveniant attributa, Divino Numini inprimis priva sunt atque propria. Verum enimvero nemo in universa rerum natura nomen gerit, quod convenit Israëlitarum Deo, hujus universi moderatori supremo, nomen illud unice venerandum Jehova (v. 2.). Hujus igitur nominis vim percipiant, hujus numinis majestatem agnoscant, quotquot ad festum celebrandum in montem Sionem adscenderint. Ast, denique, percipere atque agnoscere, qualis quantusque Deus sit Jehova, non sufficit mortalibus, ejus auxilio atque tutela continue indigentibus. Hanc Davides per totam suam vitam fuerat expertus, eique jam penitus confidens, ut eandem tutelam implorent, supplicibusque precibus a Jehova petant laete jubilan-

fantes Israëlitae, petit atque implorat, „ Jehovam adorent in sancto vestitu!"

Vs. 3. sqq.

Ad ipsam accedimus tempestatis descriptionem. Rite autem tenendum, uti supra jam indicavimus, poëtam eam talem depingere, qualis revera in Palaestina cursus tempestatum obtineat. Animadvertendum praeterea, in Oriente tempestates, quo rariores, eo esse vehementiores, atque cum horrendis quibuscunque naturae spectaculis junctas. Tonitruum strepitus fulminumque jactus in hisce plagis non tantum tempestatum saevi sunt comites, verum etiam terrae motus, grandines, imbresque vehementissimi agris aedibusque horrendas minantur vastationes (1). Hinc in Palaestina saepius dirissimae hae tempestates magna cum clade saeviebant. Sin vero, ut plurimum fiebat, nimbi altissimos peterent montes, quibus haec regio ad Septemtrionem determinabatur, ipsa terra Israëlitica exinde non nisi benignos experiebatur effectus (2). Quod et hac, quae nostro cantu describitur, tem-

(1) Vid. Harmar, l. l. III. 325. V. p. 6. Volney, l. l. p. 291. Cf. supra p. 83.
(2) Cf. Volney, l. l. p. 345, 347.

tempestate obtinuisse, patet e Libani, Sirionis desertique Arabici mentione, in quibus plagis horribili modo saeviisse tonitruum fulminumque effectus, refert poëta (1).

Vs. 3, 4.

Describitur his versibus a Mari Mediterraneo ingruens tempestas. Audiuntur eminus tonitruum ictus, per immensum istud Mare resonantes; (Vs. 3.) et quo magis exsurgunt ventisque propelluntur nubes, eo vehementiores fiunt strepitus paulatimque ad continentem appropinquare videntur (Vs. 4.). Animadvertatur autem abruptus ille modus, quo poëta, postquam ad Deum celebrandum excitaverat Israëlitas, nunc non indicat rationem, quare tandem esset colendus Jehova, interposita conjungendi quadam particule, veluti *nam*, *etenim*, sed continuo in ipsam incidit rem. Scilicet hoc ipso temporis momento audire sibi videtur Davides tonitruum per Mare crepitantium resonantiumque fragorem, et majestatem divinam in hisce conspicuam penitus agnoscens, ac summa veneratione imbutus, id, quod audit sentitque, protinus effundit. Similiter in Jobeidis libro, loco supra jam lau-

(1) Vid. supra, p. 83, 85.

laudato, amicus ille Jobi, audito tonitruum ſo-nu, non refert ea, quae auribus haurit, ſed continuo exclamat ex intimo pectore:

Expaveſcit cor meum:

. . . .

Auſcultate vocis divinae fragorem! (1).

קוֹל יְהוָה *fragor Jehovae.* Verbum קוֹל coll. Arab. قال proprie dicitur de *ſonando, ſonum edendo;* inde ſubſtantivum קוֹל uſurpatur de *quocunque ſono et ſtrepitu ſonoro et vehementiori* (2). Hebraei autem ex vulgari opinione ipſum Jehovam in tempeſtatibus ſibi fingebant praeſentiſſimum, in coelis adventantem, vel ad orbem terrarum judicandum, vel ad hoſtes profligandos ſuisque opitulandum, vel ad iram ſuam oſtendendam, vel denique ad majeſtatem ſuam manifeſtam reddendam. Hinc ſublimi ſane ratione tonitru dicebant tremebundum fragorem, quo Jehova ſuam potentiam infinitam mortalibus quaſi praebebat audiendam (3). Quocirca nonnunquam

(1) Vid. ſupra, p. 46.

(2) Vid. Scheidius, in *Lex.*

(3) Cf. Supra pag. 21. Vid. *Exod.* IX. 23. XIX. 16. 1 *Sam.* VII. 10. XII. 17. *Job.* XXXVI. 30. XXXVII. 2. *Pſ.* XVIII. 14. XCVII. 3, 4, 6. *Jeſ.* XXX. 30. *Jer.* X.

quam in nostro carmine promiscue usurpantur קול יהוה *fragor Jehovae* et יהוה *Jehova*. Caeterum septies repetitum קול יהוה nonnullis ansam dedit, qua in hocce septenario numero mystici quid quaererent (1). Huc allegant librum Apocalypseos, in quo saepius septem memorantur tonitrua (2). Mihi autem, quidquid alii statuant, haec animadversio nimis videtur quaesita et cum poësi Davidica non conveniens. Inprimis vero hicce septenarius numerus, sin et forte in aliis locis revera mystici quid redoleat, in nostro carmine minime videtur urgendus; quippe quod simplicitate sua et candore in describendo a mystica quavis ratione longe abhorreat (3). Quidquid est, equidem in hac frequenti repetitione *fragoris Jehovae*, a qua cujuslibet fere versus duxit initium Davides, nil video, nisi sublimem quandam repetitionem, quaeque maximam habeat vim ad venerationem divinae majestatis excitandam atque incutiendam. Quid enim sublimius, quid magnificentius, quam tonitru ipsum nuncupare *Je-*

X. 13 Cf. Telge ad h. l. et Schultens, ad *Job.* p. 1037, 1098.

(1) Vid. Michaëlis in *Epimetro* ad *Lowth.* l. l.

(2) *Apoc.* X. 1. et alibi.

(3) Cf. Starkius, l. l. p. 20.

Jehovae fragorem? Quoties autem hunc fragorem memoravit vates, toties de ipso Jehova cogitare jubebat in Sione festum agentes; a cujus potentia totum concutiebatur coelum et universa fere commovebatur natura. — Quantum vero majestatis et sublimitatis haec ipsius Jehovae in nubibus praesentis commemoratio nostro carmini adjungit! Haec nimirum Hebraicae poëseos est praestantissima ac divina virtus, ut in omnibus Jehovam agnoscat auctorem. Et sane, dummodo Hebraeorum carmina, in quibus describuntur talia naturae spectacula, comparemus cum iis, quae nobis *Arabes* vel Ossianus dederunt, tum demum manifesto cernemus, quanto sublimiorea sint Hebraei hisce religionis sensibus, quibus exteros quoscunque poëtas longe superant. Sic, ut unum alterumve afferam exemplum, Amralkeisus, poëta Arabs, gravissima tempestate cum fulmine juncta se inter loquendum interruptum fingens, socium suum derepente alloquitur, „videsne," inquit,

Videsne, o socie! fulmen, quod tibi commonstro sic emicans,
Ac si manibus vibraretur ex nube, circumaggesta in cumulum;
Cujus splendor omnia illuminat, estque adeo ac si plures una accensae essent lucernae a Monacho,
Qui

Qui profuse instruxerit oleo ellychnia, bene ex
lino contorta! (1)

Davides contra, tonitruum crepitantium ictus suo carmine describens, sublimiori oratione suos exprimit sensus, et admiratione plenus verba fundit, quae Jehovam praedicant altitonantem.

In Coelis intonabat Jehova
Altissimus fragorem suum edebat (2).

Ossianus autem, e longinquo tonitruum ictibus auditis, per montes crepitantibus resonantibusque, ita ipsius incipit tempestatis descriptionem:

A longinquis collibus tonitruum resonabant ictus;
Horribile per nubila ejus crepitabat vox (3).

Davides contra, summa admiratione et Jehovae Dei sui veneratione penitus imbutus, continuo exclamat:

Fra-

(1) *Amralkeisi Moallakah* Vs. 71. seqq. Caeterum tota haec descriptio digna est, quae cum iisdem Davidis descriptionibus comparetur. Cf. etiam Rau, in *Orat. de poëseos Hebr. prae Arab. praest.* p. 21. not.
(2) *Ps.* XVIII. 14.
(3) Sunt versus ex carmine *Alpin.* Cf. E. Kist, l. l. p. 58.

Fragor Jehovae super undas;
Deus illustris intonat;
Jehova densas super undas!

עַל הַמַּיִם *super aquas.* Praepositio עַל, a verbo עָלָה *adscendit*, *superavit*, nostro loco notat *super*, quatenus scilicet significat *longe lateque explicitum atque diffusum per undas.* Simili significatione occurrit alibi saepius. Cf. Schultens ad *Job.* p. 227. Verbum autem מָיָה coll. מוּה et Arab. ماه pro ماء vel ميه dicitur de *micando*, *splendendo.* Hinc substant. מַי pro מַיִן usurpatur de *aqua*; et pluralis מַיִם de *quibuscunque aquis*, *fluctibus*, *undis*; imo interdum, quando contexta oratio id postulat, dicitur de *nubibus*, *uberrimis aquarum fontibus* (1). Ultimam hanc significationem multi nostro etiam loco praeferunt (2). Mihi autem praeplacet interpretatio, qua vates innuerit *undas* Maris Mediterranei (3). Ab hac enim par-

(1) *Gen.* L. 7. *Ps.* XVIII. 14. LXXVII. 18. Vid. Scheidius, in *Lex.* et Schultens, *Gramm. Hebr.* p. 213 sq.

(2) Cf. Amyraldus, l. l. Munsterus, Amama, Clarius, in *Bibl. Crit.* Clericus, l. l. Doederlein, l. l. alii.

(3) Cf. supra, p. 85.

parte videtur tempestas oborta (1), et saepissime Mare hocce ab Hebraeis dicebatur κατ' ἐξοχὴν ים *Mare*, et ים הגדול *Mare magnum*, vel מים *aquae* et ימים *Maria* (2). Praefixa ה significationem definit ac intendit, ἡ θάλασσα (3).

אל הכבוד *Deus majestatis*. Aptissimum h. l. Jehovae altitonantis epitheton, *Deus majestatis*, i. e. Deus gloriosus, majestate illustris. Eodem sensu dicitur Deus מלך הכבוד *Rex majestatis* (4), et in N. T. ὁ Θεὸς τῆς δόξης (5). אל autem nostro loco, uti supra, derivandum videtur, ab איל *robore constrinxit*. *Dicitur* enim speciatim nostro loco de Deo fortissimo, cujus robur atque potentia inprimis in tonitrubus eminet. Sic etiam *Jobeidis auctor* cap. XL. 9. „ Ergone brachium (כאל) sicut Dei

(1) Sic etiam habent Venema, Knapp, Schulzius, Telge, J. D. Michaëlis, Muntinghe, Palmius, Mebius, ab Hemessen aliique ad h. l.

(2) *Gen.* XXVIII 14. XLIX. 13. *Exod.* XXVI. 22. *Num.* XXXIV. 6. *Ps.* CIV. 6. XCIII. 4. *Ezech.* XXVII. 3, 8. XLVII. 20. et alibi. Cf. Schroederus, *Gramm.* p. 171. Cl. Pareau, in *Com. Job.* p. 302. Jahn, l. l. I. 123, et inprimis H. A. Schultens, in *Animadv.* ad *Job.* p. 208, 209.

(3) Cf. Schroederus, l. l. p. 249.

(4) *Ps.* XXIV. 7.

(5) *Act.* VII. 1.

Dei fortis tibi est, et voce ficut ille intonabis?" (1)

הרעים *intonat.* Proprie *commovet*, *concutit*, fcilicet *coelum.* Est enim fpecies Hiphil, a verbo רעם quod coll. רעד et Arab. رغم ac رعم dicitur de *tremendo*, *intremendo*, et peculiariter ufurpatur de *tonitru*, quod tremebundo ftrepitu nubes quafi percurrit aëremque commovet (2) Est fane nostro loco eximia *προσωποποιΐα*, qua Deus fingitur fuo fragore tremebundo totum quatefacere coelum. Hinc faepius etiam dicuntur tonitruum ictus קול רעמך *fragor tonitru tui*, veluti *Pf.* LXXVII. 19. Quam concife autem Davides fublimem hancce de Deo notionem enunciat! Imo tribus hisce verbis *Deus illustris intonat* majora exprimit, quam alius forte poëta longa verborum ferie cum exquifitis adjunctis fecisfet (3).

על מים רבים *fupra aquas denfas.* Multi, uti in priori hemistichio, vertunt *fupra nubes.* Caeteri autem habent *fuper aquas multas*

(1) Cf. inprimis Scheidii *Schediasmata* laudata p. 17.

(2) Vid. Scheidius et Coccejus in *Lex.* ac loca ibi citata; et inprimis A. Schultens ad *Job.* p. 1129.

(3) Cf. fupra p. 36 fq.

tas sive *magnas*, i. e. *Mare magnum* (1). Verbum autem רבב, coll. dial. Arab. proprie est *spissari*, *coalescere* et *concrescendo adaugeri*. Hinc adjectivum רַב et רָב dicitur de *re spissa*, seu *spisse denseque compacta*, et dein est *multus*, *magnus* (2). Propria autem vocis notio h. l. retinenda videtur, ut adeo מים רבים non dixerit vates de *magnis aquis* seu *vasto Oceano*, sed de *undis compactis* vel *impactis*, quae, rapidis agitatae ventis, modo in immensum elatae et coacervatae, modo valde depressae, sursim deorsimque commoventur et dejiciuntur. Belgice dicamus *de verbolgene baren*. Eodem sensu accipiendum videtur *Jes.* VIII. 7. XVII. 13. *Ps.* XCIII. 4. *Hab.* III. 15.

Quam elate autem et simul quam vivide Davides toto hoc versu nobis depingit appropinquantem tempestatem! Ipsa dictionis brevitas sensuum notionumque promovet majestatem (3). Subintelligunt Grammatici primo et ultimo hemistichio *verbum*, quod dicitur, *substantivum*, vel simile quid. Poëta verbum non cogitavit; sed eminus audiens tonitruum strepitum, ipsumque adeo Jehovam in coelis suam majestatem prae-

di-

(1) Cf. Interpretes supra laudati, p. 124. not. 2.
(2) Cf. Schultens, ad *Haririi Consessum* VI. p. 277.
(3) Cf. supra p. 36.

dicaturum esse animo sentiens, continuo exclamavit: *Fragor Jehovae super undas* rel. Neque igitur opus est Houbigantii conjectura, qui unius codicis auctoritate bis legere *voluit* הרעים; quae lectio multum detrahit de sublimi Davidis oratione. Animadvertatur autem sensuum progressus, quo ipsa vatis oratio, simul quasi cum ingruente procella, elatior ac sublimior fit. Primum enim memorat solum *Jehovae fragorem*; tum vero sensim sensimque iterantur strepitus et *Deus gloriosus* intonat; fortiores autem ingruunt ictus, totumque Mare exagitatur: et ipse *Jehova* dicitur aestuanti incumbere *Mari*.

Vs. 4. Mirum videatur, a Michaëlide versum huncce redundantem dici ac non nisi eo consilio additum, ut septies de fragore Jehovae mentio fieret. Quodsi hoc fuisset Davidis propositum, eum alia ratione id exsecuturum fuisse credimus. Tantum autem abest, ut hunc versum superfluum dicamus, ut eo potius eximie elateque exprimi autumemus procellam sensim sensimque ingruentem, quae continentem versus deflectatur, et qua nimbi tonitrubus fulminibusque terribiles jamjam in montibus sint saevituri, inque spectatorum animo summos excitaturi venerationis sensus (1). In hoc autem ver-

(1) Cf. Cl. Palmius, in *Bibl. vers.* et ab Hemessen, ad h. l.

versu eadem cernitur orationis progressio, quam modo in Vs. 3. animadvertimus.

Substantivum vero כח dicitur de *nisu validiore* et *penetrante*, a radice כחח, cujus propria notio erat in *premendo*, *deprimendo*, uti Graecorum *βία* a *βάω*, *βίω premere* (1). Praepositio ב, uti saepissime etiam Arab. ب, substantivo addita, id adjectivo sensu esse accipiendum indicat; ita tamen, ut significationem intendat magisque distinguat, בכח *cum* seu *in robore*, i. e. *vehemens* (2). Aptissime igitur n. l. dicitur de tonitruum sonis, qui, dum atrae nubes sensim paulatimque se efferunt, valido ictu Maris Mediterranei undis repercutiuntur ac resonant. In altero autem hemistichio poëta innuisse videtur simul cum tonitruum strepitu flagrantia fulmina, quae quaquaversus jactata terribilem Jehovae splendorem per coelum manifestum faciunt; usque adeo ut spectatoris animus extimescat et Jehovae majestatem vereatur

(1) Cf. *Jud.* XVI. 30. *Jes.* XL. 9. Respondet autem Arab. كاح pro كوح et كح *depressit*, *repressit*, *subegit*, Cf. Scheidius, in *Spec. Hermen.* III. ad *Gen.* p. 110 sqq.

(2) Cf. Schroederus, *Syntax.* p. 304. Schultens, ad *Job.* p. 640. et ad *Prov.* p. 23. Rosenmullerus, ad *Ps.* XVII. 15 et Storrius, *Obs. ad Analog. et Syntax. Hebr.* p. 451 sqq.

tur (1). Subſtantivum enim הדר dicitur proprie de *decore* et *magnificentia*, et hinc, uti Graecum *κῦδος* a *κύειν*, uſurpatur *de majestate veneranda et formidoloſa* (2). Recte autem hunc verſum interpretatur Michaëlis: „ Fortiora jam ingruunt tonitruum murmura: fulminibusque terra reſplendeſcit." (3)

Vs. 5 ſqq.

Septemtrionem verſus deflectuntur nimbi et omni ſua vi in Libani montem irruunt, cujus altisſimus vertex proximo Maris Mediterranei litori imminet, quique cum Antilibano continua montium ſerie ad deſerta Arabica patet (4). In hisce tractibus montanis vehementisſime ſaevit tempestas, cujus terribiles effectus tribus ſequentibus verſibus memorat Davides. Sublimi ſane ratione in hisce deſcribendis verſatur poëta. Similiter Horatius, quando tempestatem gravisſimam in ſuis deſcribit Odis, non communes memorat tempestatum effectus, veluti aedes deјec-

(1) Cf. Michaëlis, Telge, Roſenmullerus, aliique.

(2) Vid. Scheidius, et Simonis, in *Lex.* item Schultens, ad *Prov.* XIV. 28.

(3) In *Epimetro*, ad h. l.

(4) Cf. ſupra p. 78.

jectas, arbores prostratas, animalia a fulmine percussa, et quae plura perpetuo fere tempestatem comitantur, sed vero „ utique humum vitans fugiente penna," ea tantum depingit, quae animum afficiunt, movent, feriunt:

Namque Diespiter,
Igni corusco nubila dividens,
Plerumque per purum tonantes
Egit equos volucremque currum:
Quo bruta tellus et vaga flumina,
Quo Styx et invisi horrida Taenari
Sedes, Atlantiusque finis,
Concutitur. (1)

Eadem ratione Virgilius:

Ipse Pater, media nimborum in nocte, corusca
Fulmina molitur dextra, quo maxima motu
Terra tremit, fugere ferae, et mortalia corda
Per gentes humiles stravit pavor. Ille flagranti,
Aut Atho, aut Rhodopen, aut alta Ceraunia telo,
Dejicit. Ingeminant austri et densissimus imber (2).

Sic igitur etiam noster non id agit, ut quasvis rerum referat περιςάσεις minoris momenti; verum

(1) Od. I. 34.
(2) *Georg.* I. 328-334. Cf. omnino Blair, l. l. T. I. p. 94 et Muntinghe, in *Praefat. ad nostrum Psalmum.*

rum eas tantum ducit rerum lineas, quae, per ſe grandes ac nitidae, univerſam eamque magnificentiſſimam nobis exhibent tabulam, totamque tempeſtatem omni ſuo ambitu oculis noſtris ſubjiciunt. Poëta ea tantum indicat, quae continuo nos percellunt et in admirationem rapiunt. Et ſane multum intereſt inter Horatii Virgiliique deſcriptiones atque eam, quam nobis exhibet Davides. Non est quidem, quod hic uberius disquiramus de ſummo illo diſcrimine Hebraicae poëſeos atque Latinae. Animadvertas tamen, quanto ſublimius pingat Davides noſtro in carmine. Ne dicam de ſenſibus, quos fovet de tonitrubus fulminibusque hicce, longe elatioribus et ſublimioribus; ipſis verbis verborumque conſtructione ſimplicisſima atque incompta, comparationum brevitate, rariſſimo adjunctorum uſu; de earumdem fere ſententiarum repetitionibus, digresſionibusque, quae ſunt ſublimitatis nutrices; et quotquot plures virtutes poëſi Hebraicae ſunt privae ac propriae, Davides hisce exteros illos poëtas longe ſuperat. Et forte ne ullam quidem invenias in tota antiquitate istiusmodi ſpectaculi naturalis deſcriptionem, quae in ſimili brevitate ſimplicisſimaque pingendi ratione tot tantaque pari cum ſublimitate expresſerit, qualis est Davidis noſtro in carmine. — Age vero, de ſingulis videamus.

Vs.

Vs. 5. שֹׁבֵר אֲרָזִים *confringens cedros*. Participium indole sua ad certum tempus non restringitur; atque adeo etiam de praesenti, uti h. L, apud Hebraeos saepe usurpatur. Conf. Schroeder. Synt. p. 354. et Lowth l. l. p. 161 sqq. Poëta nimirum in re praesenti interesse se fingit; et tempestatis effectus tam vivide phantasiae obversantes habet, ut ipso hoc temporis momento accidere videantur. Similiter idem, *Ps.* CIV. in praedicanda Dei magnitudine et sapientia, ex naturae creatione conspicua, omnia praesenti tempore enunciat, quasi Jehovae omnia adornanti hoc ipso tempore, vs. 1–6, adsit. — Verbum autem שבר, coll. Dial. Syr. et Chald. proprie notat *scidit, contrivit, fregit, in partes disrupit, vastavit* (1). Nostro loco aptissime usurpatur de arboribus, quae, ventorum vi, fulminum fulguriumque ictu quassatae, confringuntur et eradicantur. (2)

Disputant viri docti, quamnam arborem dixerint Hebraei ארז. Alii dicunt, fuisse *cedrum*, alii *pinum* (3). Hanc litem me dijudicare non pos-

(1) Vid. Simonis, in *Lex.* et Schultens, ad *Job* p. 1074. et *Orig. Hebr.* p. 190.

(2) Cf. inprimis Clericus, Auctor anonymus; et Rosenmullerus, ad h. l.

(3) Vid. scriptores a Rosenmullero, ad h. l. citati;

posse, ingenue fateor, quippe historiae naturalis minus peritus. Lubet in plurimorum eorumque doctissimorum virorum sententia acquiescere, qua ארזים sint *Cedri*, a rad. Arab. *firmus*, *stabilis fuit*, *radicibus in solum firmiter defixis* (1). Quo nomine hodieque dicuntur cedri ab accolis montis Libani (2). Harum cedrorum immensam magnitudinem supra breviter describere sumus conati, quantum nimirum de hodiernis cedris nobis referunt itineratores (3). Apud Hebraeos autem hae arbores in summo erant honore, tum ob earum proceritatem, tum ob ligni soliditatem. Quocirca S. S. frequentissime de cedris mentionem injiciunt, mox diserte eas dicunt arbores altissimas et procerissimas; mox vero, minutissimis plantis cedros opponendo, harum magnitudinem eo magis laudare videntur (4). Poëtae inprimis a cedris eximias quasque petunt comparationes. Conditio florentissima sub imagine proponitur *cedri*, quippe

[illegible] lag-

tari; quibus addi potest Niebuhr, *Beschrijving van Arabie*, p. 142.

(1) Cf. Simonis *Arcanum formarum*, p. 259. et Scheidius in *Lex.*

(2) Vid. Itineraria a Rosenmüllero et in Simonis *Lex.* citata.

(3) Vid. supra p. 81 sq.

(4) 1 *Reg.* IV. 33. 2 *Reg.* XIX. 23. Cf. *Jud.* IX. 15.

laetissime florentis (1). Reges, prae unoquoque fere mortali se sua superbia efferentes, *Libanitici* dicuntur *cedri*, quae nihil quasi ipsis superius, inferius omne haberent (2). Ipsum etiam regnum Asfyriacum, valde extensum, comparatur cum cedro, quae altitudine et pulchritudine nulli aequiparetur arbori, quaque procerior umbrosiorque sit nulla (3). Imo vero cedrorum tanta fuit aestimatio apud Hebraeos, ut, prae caeteris omnibus, hujus arboris lignum satis judicaverint praestans, ex quo construeretur *Templum Hierosolymitanum* (4). Nec mirandum igitur, Davidem nostro loco prae aliis arboribus memorasse cedros, quas alibi, uti omnia in rerum natura Jehovae tribuebat auctori, *ipsius Jehovae* appellaverit *cedros*, a Deo quasi plantatas; quo nil aptius, nil sublimius dici potuisset, ad summam earum designandam altitudinem, soliditatem et magnificentiam paene divinam (5). Et profecto, si Davides tanti aestimaverit cedros, quanto sublimius igitur in nostro loco Jehovae praedicat potentiam, cujus fragori treme-

(1) *Ps.* XCII. 12. *Hos.* XIV. 6, 7.
(2) *Jes.* II. 13. *Ezech.* XVII. 22, caet.
(3) *Ezech.* XXXI. 5 sqq.
(4) 1 *Reg.* V. 6 sqq.
(5) Cf. supra p. 81.

metuenda: ne *cedri* quidem resistunt, sed vero, quamvis et comis nubila tangant, et radicibus Libanum perfodiant, continuo eradicentur, prosternantur, humique procumbant (1). Inprimis autem nostro versu singularis attendenda est vis parallelismi. Priori hemistichio poëta universe commemorat *cedros, vi fragoris divini prostratas*; quod per se eximium jam est supremae potentiae indicium. Est haec vero hominis ratio, ut in re gravissima referenda primum memoret rem, alteri magnitudine longe cedentem, qua animus audientium inducitur quasi, ut dein tota re explanata penitus percipiat ejus vim atque amplitudinem. Similiter nostro loco universa haecce cedrorum mentio unice eo inservit, ut cedrorum, quae in posteriori hemistichio referuntur, magnitudinem eo magis percipiamus. *Fragor Jehovae*, inquit poëta, *Cedros confringit*, imo *penitus perfringit* (2) ipse *Jehova cedros Libani*, quae prae omnibus erant insignes atque altitudine praecellentes (3).

Vs.

(1) Cf. Amyraldus et Doederlein, ad h. l.

(2) Hanc enim vim esse in specie Piël, vel tironibus notum est.

(3) *Ps* 48. 8. De particula ו, hac significatione usurpata, cf. Schroederus, in *Synt. reg.* 109. et Rosenmullerus, ad h. l.

Vs. 6.

Totus hicce versus insigne nobis est exemplum indomitae Orientalium phantasiae, qua, in summa dictionis brevitate, audacissimi quique exprimantur sensus conceptusque. Quod, quo melius percipiamus, de singulis, pro viribus, videamus.

וירקידם. Notanda videtur mira lectionis varietas in versione LXX. Exstat ibi *καὶ λεπτυνεῖ αὐτὰς ὡς τὸν μόσχον τὸν Λίβανον, καὶ ὁ ἠγαπημένος ὡς υἱὸς μονοκερώτων*. Quam secuta Vulgata vertit: *et comminuet eas tanquam vitulum Libani, et dilectus, quemadmodum filius unicornium.* Sensum harum versionum, quamvis et Rosenmullerus ad meliorem loci intelligentiam ex Agellio quaedam proferat, nondum me assequi posse, fateor (1). Cum vero lectio Hebraea, plurimis codicibus confirmata, optimum praebeat sensum, lubenter acquiesco in conjecturis *Interpretis Anonymi* saepius laudati; qui Alexandrinos vocem ירקידם vel male videndo vel male audiendo confudisse existimat cum ירקם; a verbo רקק contr. רק *tutudit, tundendo comminuit.* Cum autem saepius dicatur populus Israëliticus ישרון, quod in plurimis lo-

(1) Cf. Rosenmullerus, ad h. l.

locis *Alexandrini* vertunt ἠγαπημένος, haec lectio in textum irrepsisse videtur pro שריון. Caeterum constructio, quam dant LXX, ab Hebraica scribendi ratione longe abhorret. (1)

Verbum autem רקד, coll. Arab. رقد, usurpatur de *saliendo* vel *saltando* et *subsiliendo*; et peculiariter dicitur de *levi animalium saltu* (2). In Hiphil igitur est *fecit, ut quis subsiliat*. Pronomen affixum ם *eas* vel *eos* nonnulli referunt ad *cedros*, versu praecedenti memoratas (3); alii vero ad *Libanum* et *Sirionem*, de quibus nostro versu fit sermo. Utrumque ferri possit. Mihi vero posterior sententia praeplacet, quippe quae; ne dicam, melius eam convenire cum sententiarum parallelismo; nostri loci sublimitatem maxime promoveat. Poëta enim, rei magnitudine et granditate penitus commotus, primum ipsum Libanum et Sirionem nondum memorat, sed digito quasi monstrat,

eos-

(1) Cf. Auctor anonymus in Appl. l. l. et Rosenmullerus, qui easdem conjecturas memorat. *Aliam* dat Auctor in *Repertorio* supra laudato, legisse LXX autumans ואריקם.

(2) *Nahum.* III. 2. cf. Schultens, *Op. minora*, p. 290 sqq.

(3) Vid. Burkius, Clericus, Amyraldus, Auctor anonymus, Schulzius, Knapp, Zachariae et J. D. Michaëlis.

eosque montes intuitus dicit: Facit ut subsiliant illi, Libanus ut vitulus etc. Frequens Hebraeis et Arabibus talis est pronominis affixi usus, ut non ad praecedens, sed ad consequens referatur substantivum. Quodsi pleonasmum dicamus, profecto magnam habet vim (1). — Sin autem de cedris intelligatur, innuitur vehementissima commotio, qua diffractae cedrorum partes, aliae in alias impulsae, inter se magno impetu collisae, ingenti fragore huc illuc jactantur ac dissipantur. (2)

De montibus *Libano* et *Sirione* non est, quod hic multa dicamus, cum supra, quoad opus videretur, eorum dederimus descriptionem (3). Quaeri autem possit, quare tandem poëta utatur nomine *Sirionis* ad *Antilibanum* designandum: quod nomen proprie *Sidonicum* sit et non *Hebraicum*. Hujus rei veram rationem me proferre non posse, candide fateor. Forte quidem hoc nomen adhibuit poëta tanquam vulgo minus notum, quo majorem haberet vim hujus montis commemo-

(1) Cf. Schroederus, in *Dictat. MSS.* a. h. l. et *Synt. reg.* 37. coll. *reg.* 39. Glassius, l. l. I. p. 157. et Gesenius, l. l. p. 740. Ad totum nostrum locum vid. Jahn, *Biblia Hebr.* ad h. l. Telgé, Rosenmüllerus, Muntinghe, v. d. Palm, alii.

(2) Vid. Polus, (*Engelsch. Godgel.*)

(3) Cf. supra, p 78 sqq.

moratio in Israëlitarum animos. Forte etiam e nominis origine lucis quid adspergi possit. Collato enim verbo Arabico سرا, quod dicitur de *micando*, et peculiariter usurpatur de *eo, quod altius eminet et promicat, ut late conspiciatur*, nomen שׁריון proprie significat *propugnaculum*, et κατ᾽ ἐξοχὴν *montem* (1). Num igitur Davides, hanc altitudinis significationem respiciens, eam ob caussam memorat *Sirionem*, ut in nomine jam ipsius montis *altitudinem et asperitatem summam* perciperent, quotquot in Sione adessent praesentes? — Missis autem hisce conjecturis, breviter est videndum de animalibus, a quibus est petita comparatio.

עגל est *vitulus*, ita dictus a *saltu gyrante*. Verbum enim עגל coll. Arab. عجل proprie notat *volvit*, *in orbem glomeravit* et *festinavit cum celeri quadam volutatione* (2). Ad hunc autem vitulorum morem, quo natura sua huc illuc

(1) Vid. Simonis, *Onomast. V.T.* p. 350. coll. p. 71 et 339. Hic autem plures memorat montes hoc *propugnaculi* (θώρακος) nomine insignitos, v. c. in *Magnesia* ad *Alpes* etc. Cf. autem *Lexica* in *voce*. De ipso monte vid. inprimis Muntinghe, ad h. l. et ad *Ps.* LXXXIX. 13. et CXXXIII. 3.

(2) *Gen.* XV. 9. *Jes.* VII. 21. *Hos.* X. 11. Cf. Jahn, *Bibl. Arch.* I. §. 56. *Lexica* in voce, et Schultens ad *Haririi consessum* IV. p. 96.

illuc saliant celerique motu exsultent, saepius alludunt poëtae. (1)

Majorem difficultatem habet interpretatio τοῦ, ראם, cum certo demonstrari nequeat, quodnam animal in S. C. hoc nomine designetur. Doctissimi quique viri ad ejus veram notitiam tum e linguis, tum ex itineratorum relationibus, expromendam, suum studium collocarunt. At vero certi quid proferre non potuerunt. Summus Bochartus, collectis quam plurimis S. C. locis, ex industria ostendere conatus est, ראם, esse *animal procerum, ad saltum habile, validum, indomitum et elatis cornibus terribile*. Talem feram invenisse sibi visus est in *Orygis* descriptione, quam Oppianus dedit. Quod animal ex Caprearum, Gazellarum, vel Cervorum est genere, quodque cum *bovis sylvestris* natura aliquid habere commune, ejusque speciem quandam dici posse, ex Arabibus scriptoribus probare studet. (2)

Schultensius vero ipsum *bovem sylvestrem* designari putat; quam sententiam variis argumentis probare conatur; ipse tamen dicit, magnam esse

(1) v. c. Homerus et Theocritus, in locis, a Bocharto citatis.

(2) Vid. Bochartus, *Hierozoicon*, I. p. 949-975. ed. Leusden.

esse et forte semper mansuram esse quaestionem de vera hujus animalis natura (1). Attamen vir summus, si quid contra ipsum dicere fas est, in inquirenda vocis ראם significatione, nimis uni Jobeidis loco, caeteris fere neglectis, mihi inhaesisse videtur. Postea autem Bocharti sententiam tuitus Rosenmullerus variis novisque argumentis, inprimis ex Arabibus scriptoribus, probare studuit, revera esse *Orygem* (2). Niebuhrius vero ad hanc quaestionem viris doctissimis in Arabiam iter instituentibus a Michaëlide propositam, qua in hujus animalis naturam inquirerent, *Gazellam* designari refert; sed nullis argumentis suam confirmat sententiam (3). Horum igitur paucorum, praeter multos alios, celeberrimorum virorum dubitationes, linguarum Orientalium tironem, historiae naturalis imperitum, quominus suum interponat

(1) Ad *Jobum* pag. 1113-1116. Similiter ab Hemessen, p. 35 sq.

(2) In *Scholiis* ad *Ps.* XXII. 12.

(3) *Beschrijving van Arabie*, *Voorrede*, p. 32. Cf. *Vragen aan een Gezelschap* enz. *door* Michaëlis, pag. 84. Caeterum de hoc animali vid. etiam Simonis *Lexicon* in voce. Gesenius, *Handwörtenbuch* caet. in voce. Jahn. *Bibl. Archeaol.* I. 297 et 303. *Repertorium*, l. l. pag. 48. Michaëlis, *Orient. Bibl.* pag. 22, 109. qui plures citant scriptores. Cf. *interpr.* ad h. l.

nat judicium, plane impediunt. Quocirca probabiliore carenti sententia liceat mihi acquiescere in iis, quae Bochartus et Rosenmullerus maximo cum studio contulerunt. Haec enim egregie conveniunt cum vocis ראם origine. Substantivum enim רְאֵם pro רְאֵם vel רים Arab. ريم derivandum videtur a verbo Arab. ראם *firmus*, *robustus fuit*; et coll. רום et רים dicitur de *consolidando*, *firmius coalescendo*. Quae verba proprie usurpata esse videntur de *animantium cornibus*, *quae solidius in altum excrescunt* (1). Haec autem attributa rite conveniunt cum *hujus* animalis descriptione, quam praebuit Bochartus, l. l. p. 972.

Nos vero ad jucundiora pergamus, ad ipsas nimirum imagines, quae eximie exprimunt indomitam phantasiae Orientalium vim. Vehementissima commotio, qua Libani Sirionisque montes, qua totus tractus montanus tonitrubus, fulminibus et terrae motibus concutitur horrideque vexatur, a Davide comparatur cum vitulo et Orygis pullo, qui, vel prae formidine, vel prae gaudio, subsultat atque humo exsilit (2). Tales audacissimae imagines amantur ab Orientalibus

(1) Cf. omnino Cl. Pareau, in *Comm. Job.* pag. 323.

(2) Cf. *Interpretes* ad h. l.

bus. — Rerum naturam fervidioribus, quam nos, sensibus intuentes, ipsam naturam sibi animatam fingunt, et unicuique rei vitam animamque tribuunt (1). Ita Jobus in celebranda Dei potentia, eum inducit, montes evellentem necopinantes, eosque suo halitu subvertentem (2); et Jesaias terrae sanctae vastationem dirissimam depingens, tellurem dicit nutando nutantem ebrii hominis instar, et ut tugurium unius noctis e loco suo vacillantem (3). Similiter autem poeta quidam *Persicus* colles saltare facit, idque prae amore (4), et ipse Davides saepissime agros prae laetitia exsultasse, vel prae horrore contremuisse et huc illuc se versasse dicit (5). Audacius in nostro loco totus Libani mons, imo vero universus tractus montanus, cujus firmitati ac stabilitati ipsam Dei constantiam aliquando comparare auserit poëta (6), dicitur subsiliisse animalis instar saltantis (7). Fateor quidem, nostris forte auribus dis-

(1) Cf. supra p. 11. et p. 48 sq.
(2) *Job.* IX. 5.
(3) *Jes.* XXIV. 19. cf. *Mich.* I. 3, 4. et *Jes.* XIII. 13.
(4) Cf. Jones, l. l. pag. 360. qui p. 318. simile memorat exemplum Arabicum.
(5) Cf. supra p. 49.
(6) *Ps.* CXXV. 1, 2.
(7) Nostro loco simillimus versus exstat *Ps.* CXIV. 4.

displicere animalium horum mentionem; ſed vere tales imagines Orientalibus ſunt celebres. Quotidie inter greges verſari, ſimplicisſima ratione ab hisce ſuas petebant comparationes, inprimis Davides, qui ipſe in juventute paternas duxerat oves, quique, in tota ſua poëſi cum ſumma ſublimitate nativam quandam jungit ſimplicitatem rationemque incomtam. Neque e longinquo ſuas comparationes petit, ſed ea in ſuos uſus convertit, quae maxime oculis ejus obverſabantur (1). Forte quidem hoc ipſo temporis momento poëta oculis conſpiciebat animalia, quae ut victimae offerendae ad ſacrum tentorium fuerant deducta. Et continuo ab hisce cogitatione deflexus, mentem convertit ad ipſum magnificentisſimum tempeſtatis ſpectaculum, quo totus quaſi Libani mons concutitur, ipſumque comparat cum levi vituli ſaltu. Quatenus autem audacisſima istiusmodi comparatio in Orientalem modum exaggerata dici queat, forte dijudicet is, qui praeſens in Libani jugis crepitantem tonitruum ſonum de ſaxis in ſaxa horrendo modo reſonantem audiverit ipſe (2). Rupes aſperrimae jamjam lapſum minantes, torrentes continue ſummo cum ſtrepitu de montibus

(1) Cf. ſupra p. 26 ſq. et p. 4 ſqq.

(2) Cf. Cl. Palmius, l. l. p. 18.

bus documentis, et quaecunque plura in Libano cernuntur horrendae naturae spectacula, nonne haec omnia maximas in hoc monte efficiunt conversiones vastationesque (1)? Imo si reputemus, nostro versu gravissimam depingi tempestatem, quae in totum Libanum omni sua vi incumbit atque erumpit, quaeque cum rapidis ventis, fulminibus tonitrubusque horrendis jungit terribiles terrae motus, Orientali poëtae ipsum Libanum et Sirionem vituli Orygisque instar subsilientes dici, quis vitio vertat? (2)

Caeterum, ne cum nonnullis interpretibus anxie haereamus in utriusque comparationis diversitate, quasi revera in montium singulorum forma simile quid diversis his fuisset animalibus (3). Tales enim animadversiones nauseam creant et poëta Orientali videntur indignae. Animadvertamus potius singularem comparandi brevitatem, qua gaudent Orientales. Externus quidam poëta multis forte verbis hanc imaginem elaborasset et extendisset; sed Hebraei uno quasi ictu tangunt et feriunt; singulae comparationes non una brevi sententia, sed una voce absolvuntur integrae, et repetendo variandoque sublimior est

Da-

(1) Cf. supra p. 83.

(2) Cf. Cl. Palmius, l. l.

(3) Vid. Telge, ad h. l.

Davides, quam Graecus Latinusve poëta circumscribendo uberiusque explicando fuisset. (1)

Vs. 7.

Hic versus uno tantum membro absolvitur, quod cum in nostro carmine nusquam, in caeteris Hebraeorum carminibus rarissime obtineat (2), primum eum, cum Vs. 8. vel potius cum Vs. 6. jungendum esse putavi. Sententiarum autem parallelismo talis conjunctio minus convenit. Itaque receptam versuum distributionem retinere malim. Neque frustra enim brevissimo hocce membro poëta uno quasi obtuitu nobis repraesentat unoque hoc versu depingit summum saevientis tempestatis fastigium; cum ipsa verborum brevitas maxime promoveat rei sublimitatem (3). Mirifice autem hunc versum vexarunt interpretes; et nonnulli quidem ad eum interpretandum adhibuerunt recentioris aetatis observationes, secundum quas nonnumquam ex humo, non e nubibus, fulmina exoriri dicantur. Recte igitur noster istiusmodi innuens portentum dixisset: *vox Jehovae exscindit*, scilicet *ex arboribus* vel *ex rupibus*, *fulmina*, i. e. *fulmina e ter-*

(1) Cf. Lowth, p. 131, 132. et Dibbits, p. 127.
(2) *Exod.* XV. 12. et forte alibi.
(3) Cf. supra p. 56 sq.

e terra proveniunt. At vero, uti observationes hasce physicis, ita hanc interpretationem suo auctori aeque lubenter relinquo, ac Basilio ridiculam suam opinionem, qua conjecit, nostrum versum esse intelligendum de *camino*, quo Nebucadnesar tres illos adolescentes includi jusserit (1).

Missis vero futilibus vanisque hisce opinionibus, vel sic tamen varii interpretes vim verbi חצב non rite expressisse videntur. Vertunt hi: fragor Jehovae *spargit* igneas flammas (2), et ita eodem fere sensu nostrum versum accipere videntur, quo *Ovidianum* illud, Fast. III. 285.

> Ecce Deus genitor rutilas per nubila flammas
> *Spargit*, et effusis aethera siccat aquis. —

Sed vero verbum חָצַב coll. dial. Arab. proprie dicitur de *fissione* rei cujusdam, cujus partes disruptae cum fragore et crepitu dissiliunt (3): et

(1) Prior sententia exstat apud Scheuchzerum, *Bijb. der Natuur*, IV. pag. 203-209. ibique in *Annotatione* Meyeri. Posteriorem Corderius, in *Catena Patrum* ad h. l. memorat.

(2) Vid. Schutzius, J. D. Michaëlis et inprimis Moses Mendelssohn, in *Versione Psf.* A°. 1783 ad h. l. aliique. Similiter fere vertit W. Green, *A New Translation of the Psalms*, cet. Cambridge 1762.

(3) *Deut.* VI. 11. VIII. 9. *Reg.* V. 29. *Jes.* X. 15. XXII.

et propria haec verbi vis omnino retinenda videtur, ut sensus sit: *Fragor Jehovae*, non *nubila dividit*, ut apud Horatium exstat (1), sed vehementi cum crepitu *excutit* e nubibus *flammas igneas*, i. e. fulmina quaquaversus flagrantia. Scilicet, uti supra jam verbo indicavimus, Davides ipsum Jehovam, densissimis nubibus undique cinctum atque obvolutum, in tempestate sibi fingit praesentissimum. In tempestatis initio cum e longinquo tonitruum strepitum, fluctibus Maris resonantem, describeret, tremebundus Jehovae fragor per ipsas adhuc nubes supra undas circumvolvi videbatur; sensim sensimque vero appropinquante tempestate, nubila dilatantur et expanduntur, ac majori cum impetu e nubibus erumpunt tonitrua et fulmina; quae quasi effectus videantur ipsius, quem Jehova in coelis edebat, fragoris. Jam vero praecedentibus versibus poëta cum cedros diffractas, Libanum totumque tractum montanum vehementer commotum atque concussum sibi repraesentaret, eodem hoc tempore (Vs. 7.) immensa densarum nubum moles montibus hisce subsidens

XXII. 16. Ll. 1, 9, cet. Cf. Simonis *Lexico* et Schultens, *Orig. Hebr. Mss.* in voce. et Schroederus, ad *Hos.* VI. 5. *Mss.*

(1) Loco supra ad p. 131 laud.

dens a Jehovae, fragore horrendo cum strepitu intus quasi percutitur et diffinditur et nubes quaquaversus per aërem depelluntur ac dissipantur, tonitrua continua cum fulminibus juncta per montes Palaestinae Septentrionales crepitant resonantque; totum coelum ardens, merisque flammis relucere videtur (1). Haec enim propria *vis* est verborum לְהָבוֹת אֵשׁ. Duo vocabula, quorum illud *ignis agilis*, hoc vero *purae flammae* habet significationem, junctim dicuntur de vehementissimis fulminum flagrantium flammis (2).

Vs. 8, 9.

In Libano et Sirione horride cum saeviisset tempestas, sensim sensimque nimbi a montano tractu deserta Arabica versus ruunt, et ad austrum in deserto Cadeschi subsistunt (3). In hisce autem vastissimis plagis ubique terribiles ejus cernuntur effectus, quos vates eadem cum sublimitate, quae in praecedentibus versibus, et eximia quadam simplicitate suavitateque unice Davidi propria, nobis depingit. Tum vero

(1) Cf. omnino Schroederus, in *Dict. Mst.* a. h. l.

(2) Cf. *Num.* XXI. 29. *Ps.* CV. 32. et Munsterus, Palmius et Mebius ad h. l.

(3) De hisce desertis vid. supra p. 88.

ro, post hanc vehementissimae tempestatis descriptionem, poëta mirabili quadam orationis conversione dirissimis his cladibus, quibus regiones afficiuntur affines, placidam quietamque opponit cultorum Jehovae conditionem, qui laeti in Sionis tentorio Jehovam celebrent altitonantem.

Vs. 8. יחיל מדבר *quatefacit desertum.* Est futurum in Hiphil, sed hic accipiendum de indicativo praesenti. Notum enim est, apud Hebraeos varias verbi formas indole sua non ad certum tempus restringi. Quae igitur forma plerumque de rebus futuris adhibebatur, eadem saepius etiam de praeterito, tum, uti nostro loco, de praesenti adhibetur (1). Verbum autem חול coll. חיל et Arabic. حال, proprie dicitur de *vertendo*, *torquendo*, uti Graecorum *στρέφειν*; hinc speciatim usurpatur de *dolore* et *metu*, *quo quis torquetur* et *huc illuc quasi versatur.* In specie Hiphil igitur notat *tremefacere*, *horrore afficere*, *quatefacere* (2). Male autem *parturiendi* notionem, proxime connexam, nostro loco retinuerunt Aquila et Symmachus, ver-

(1) Cf. Schroederus, *Synt.* p. 338.

(2) Vid. omnino Schroederus, ad *Ps.* X. pag. 97. Cf. Schultens, ad *Prov.* p. 256, 341 et *Lexica* sb. voce.

vertentes *ὠδινήσει* et *ἐκτανύσει* (1). Neque alii, hac *doloris* *metusve* significatione inducti, recte hunc versum sunt interpretati de *feris* vel de *hominibus*, qui, in desertis degentes, vehementissima hac tempestate anxii diffugiunt in receptacula sua (2). De hisce enim loquitur Davides versu sequenti. Nostro autem versu ipsum innuit desertum, ipsum solum, quod sua phantasia animatum sibi repraesentat, uti modo Libanum et Sirionem. Tanto cum impetu volvuntur et resonant tonitrua per immensum desertum, ut ipsum solum a tremebundo Jehovae fragore videatur horrore commotum atque concussum (3). Huc referri possit Ovidianum illud, Fast. III. 329.

> Constat Aventinae tremuisse cacumina sylvae,
> Terraque subsidit pondere pressa Jovis.

Et Senecae Oed. 329.

> Subsidit omnis sylva et erexit comas,

Da-

(1) Ita etiam interpretantur J. H. Michaëlis, l. l. et Vatablus, in *Bibl. Crit.*

(2) Munsterus, Clarius, Venema, Scheuchzer, l. l.

(3) Cf. Telge, Palmius, Muntinghius, Mobius, ad h. l.

Duxere rimas robora, et totum nemus
Concussit horror, terra se retro dedit (1).

Sublimior autem Asaphus, ipsius Jehovae adspectu, aquas eum *metuere* dicit, usus verbo חול undarumque gurgites *fremere* (2). Ipsumque Davidem saepius audacissimas istiusmodi *προσωποποιΐας* usurpare, pluribus exemplis supra jam ostendimus (3).

Posteriori hemistichio peculiariter memorat vates *desertum Cadeschi*, multis nominibus notum Israëlitis; in quo majores per quadraginta annos oberraverant, quodque vastitate et horriditate inprimis erat insigne (4). In hac nostri versus parte singularis denuo cernitur in sententiarum parallelismo vis. Idem repetitur quidem; sed quanto sublimius eadem haecce enunciantur; quod aeque in dictione atque in verborum constructione apparet! Primum universe memorat poëta vastissimas illas plagas, quibus Palaestina ab Orientali parte et Austrum versus de-

(1) Similiter in carminibus Ossiani, prae voce Fingali rupes horrore tremuisse dicuntur, Fingal. IV. p. 55. Ed. Kasteele.

(2) *Ps.* LXXVII. 17.

(3) Cf. supra, p. 48. sq. et p. 144.

(4) Cf. supra, p. 83 sq. et *interpretes*, ad h. l.

determinabatur tota, tum vero dein ipsum *desertum Cadeschi* dicit; non a *Jehovae fragore*, ut in priori hemistichio, sed ab ipso *Jehova horrore quatefactum* atque *concussum*.

Vs. 9. יְחוֹלֵל אַיָּלוֹת *abortum injicit cervis.* — Exquisita est haecce partus cervarum mentio, et rerum naturae pictore, qualis fuit Davides, omnino digna. Nonnullis autem, talem ferarum partum in tempestatibus fabulae umbram prae se ferre autumantibus, ejus mentio h. l. inepta ac minuta esse videtur. Pro אַיָּלוֹת hi legere malunt אֵילוֹת, quod fit a singulari אֵלָה seu אַלָּה, *quercus*, et sensum loci huncce constituunt: a fragore Jehovae *quercus dolore* quasi *afficiuntur*, i. e. fulmine tanguntur (1). Recte vero illustris Michaëlis animadvertit, אֵלָה non esse *quercum*, sed *therebinthum*. Praeterea est quidem ab אֵלָה, *therebinthus*, pluralis אֵלִים, nusquam vero אֵלוֹת sive אֵילוֹת (2). Denique species Pihlel, quae respondet fere speciei Pihhel (3), יְחוֹלֵל rarissime dicitur de *dolore afficiendo*; sed fere semper de *pariendo*, *partu eden-*

(1) In annot. ad Lowthii, *Prael.* XXVII. not. 119. Cf. Celsii, *Hierobotan.* I. 34-37. et *Hos.* IV. 13.

(2) Vid. Rosenmullerus, in *Scholiis*, et cf. annot. ad Lowth. l. l.

(3) Cf. Schroederus, *Gramm.* p. 118. item p. 49.

ascendere (1); imo vere Job. XXXIX. 4. diserte usurpatur de *partu cervarum*. Nimis igitur contorta illa interpretatio esse videtur, inprimis cum textus non mutatus egregium praebeat sensum. Quod autem recte Rosenmullerus animadvertit, subsideret oratio, si, cum antea ipsas vastissimas solitudines Jehovae fragore concuti dixisset poëta, nunc vero arborum fulminibus commotarum mentionem subjiceret (2). Quid? Num Davides cedros, arbores altissimas et procerissimas fractas et penitus perfractas dixisset, therebinthos autem dolore affectas? Num ipsum Libanum subsilientem sibi finxisset et therebinthum eodem Jehovae fragore leviter tantum commotam? Talis interpretatio nostro loco mihi saltem valde displicet, quippe quae sublimi nostro carmini minime congrua videatur.

Aliam viam iniit *Auctor anonymus* (3). Hic, ut omnem dubitationem tolleret, vertit: *vox Domini perterrefacit cervas, easque tanto dolore tantoque tremore percellit, quanto percellitur mulier parturiens*. Attamen haec interpretatio, quo subtilior

(1) *Prov.* XXV. 25. *Jes.* LI. 2. Cf. *Lexica* in voce.
(2) In *Scholiis*, ad h. l.
(3) In annot. ad h. l. Cf. Felix, quem citat Pomeranus, ad h. l.

lior est, eo magis a simplici candidaque carminis ratione abhorrere mihi videtur. Quidni ipsum intelligamus cervarum partum? Haec enim sententia, et linguae Hebraeae, et historicis relationibus de cervis, optime convenit. Tum inprimis eam ob causam admittenda videtur haec interpretatio, quia loci praestantiam maxime effert, poëseosque Davidicae indolem mirifice exprimit. De singulis videamus.

אילרדן sunt *cervae*, ita dictae a *corporis vigore* vel *pedum agilitate* et *in cursu celeritate* (1). Prouti autem Hebraei, et Orientales universe puerorum simillimi, quaecunque animalia mirifice adamabant (2), ita cervae inprimis, quae in tota corporis forma et natura aliquid habent, quo alliciant et moveant, ab ipsis in deliciis habebantur. Ab hisce igitur poëtae frequentes easque venustissimas desumunt comparationes; imo vero ipsas amatas suas compellant ut cervas suas dilectas (3). Summa autem earum anxietas, qua libere vagantes per regiones et montes huc illuc diffugiant et receptacula quaerant, a poëtis Hebraeis et ab ex-

(1) *Ps.* XVIII. 34. Cf. Simonis, in *Lexico* et Bochart, I. p. 62. III. p. 880.

(2) Cf. supra p. 8 sq.

(3) *Cantic.* II. 9. III. 5. VIII. 14.

exteris etiam frequentissime memoratur. Ne dicam de Jesaia, homines, prae metuendo Jehovae adventu fugientes, cum cervis fugitivis comparante (1), Ossianus etiam plus semel cervas dicit tremuisse et fugiisse, vel audita Fingali voce vel prae tonitrubus tremefactas (2). Nullus vero poëta, quantum scio, tam sublimi, tam exquisito modo has cervas in carmen induxit, quam n. l. Davides, eas prae tonitruum terrore foetum abjecisse dicens. — Cervas nimirum difficillime et cum gravissimis doloribus foetum edere; refert jam antiquissimus idemque sagacissimus naturae indagator *Jobus*, Cap. XXXIX. 1 sqq.

An tu curam agis hircorum sylvestrium?
An prospicis ut (אילות) *caprae parturiant?*
An menses numeras, quibus hae gravidae sint?
Aut curas tempus, quo parere debeant?
Incurvant se, suos natos excludunt,
Emittunt suos foetus.
Capreoli invalescunt, crescunt in loco inculto;
Exeunt, ac nolunt ad matres reverti.

Et varii quidem scriptores Graeci, eosque secutus Cicero, hanc naturae observationem confirmant (3). Laudant autem hi summum Dei be-

(1) *Jes.* XIII. 14.
(2) Vid. carmina Ossiani, T. I. p. 58 et 114.
(3) *De Nat. Deorum* II. 50. aliique, quos citant Bochar.

benignae providentiae indicium, qui hisce animalibus paulo ante durum pariendi conflictum indiderit appetitum studiumque quaerendi herbam, quae, uterum laxans claustraque emolliens, partum adjuvet. Varia autem argumenta hisce adjunxit Bochartus, qui in *Hierozoico* suo prorsus hujus rei dubitationem sustulisse videtur (1). Idem memoravit etiam horum animalium partum prae tonitruum terrore; sed vel sic tamen hanc rem testimoniis non comprobavit. Plutarchi autem locus, quem debeo Merrickio, *interpreti Anglico*, revera hoc phaenomenon aliquando in ovibus accidisse manifesto ostendit. Ita hicce, *καὶ γὰρ τὰ θρέμματα διαφάσκουσι βροντῆς γενομένης, οἱ ποιμένες εἰς ταὐτὸ συνθεῖν καὶ συννεύειν. τὰ γὰρ σποράδην ἀπολειφθέντα διὰ τὸν φόβον ἐκτιτρώσκει* (2). Quod autem de ovium gregibus memorat Plutarchus, adeo magis dici posse mihi videtur de cervis multo timidioribus, atque natura ad angorem proclivioribus. Neque opus videtur,

chartus, l. l. li. III. XVII. p. 880 sqq. et Cordeirus, ad h. l.

(1) Loc. modo laud.

(2) Vid. Merrickius, in interpretatione ad h. l. Locus Plutarchi est in *Symposio* 4. *Quaest.* 2. Cf. Plinius, *Hist. Nat.* VIII. 47.

tur; ad hanc rem ulterius probandam, ad antiquos recurrere scriptores. Saepius enim hodieque oves in summa anxietate, canibus insectantibus, foetum abjecisse referunt scriptores (1). Nostris vero in regionibus tempestate exorta; quamvis et pecudes saepius summum ostendant terrorem seque circum pastores anxie congregent, vel sic tamen istiusmodi abortum obtinuisse, certo affirmare nequeo. Nec mirum. Ipsa enim coeli temperies, et tempestatum minor vis atque vehementia, quominus tale quid accidat, impedire videntur. In Palaestina vero, ubi tempestates, quo rariores, eo sunt vehementiores, fetas majori anxietate corripi tonitrubus fulminibusque, nemini mirum accidere potest. Quid? Licet etiam hocce phaenomenon rarissime obtinuerit obtineatque in Oriente, idem hocce loci nostri dignitatem adaugere mihi videtur (2). Indicat enim poëtam, qui, vulgaribus imaginibus non anxie adhaerens, mirifice nonnunquam in suos usus convertit rarissima naturae phaenomena; in quibus singularem Dei, hoc universum moderantis, sapientiam ac potentiam non admirari non possumus. Hic autem, uti supra uberius vidimus,

na-

(1) Cf. Telge et Merrick. ad h. l.
(2) Muntinghe, ad h. l.

nativa sua et simplici ratione, ipsam naturam; qualem adspicimus, eximii pictoris instar exprimit atque depingit; eaque maxime ad suum propositum elegit, quae animum suum lenem facilemque inprimis moverent et admiratione imbuerent. Ecquid vero sublimius, pulchrius, exquisitius in nostro loco memorare potuisset? Nonne ipsa inopinata ab immenso deserto quasi facto ad has timidas cervas conversio animum nostrum movet ac tenet? Tota natura dum commovetur, ipsi montes in sede sua dum concutiuntur, dum prae Jehovae fragore universum horrescit desertum, ferae per campos diffugiunt, lustra quaerentes: in terribili hacce fuga, auditaque tremebunda Jehovae voce, imbelles anxiaeque cervae, alioquin multis in partu laboribus oppressae, et partus dolorem maxime refugientes, horrendo nunc sonitu ita afficiuntur et contremiscunt, ut, nil nisi tutum refugium curantes, foetum abjiciant et praemature pariant (1). — Nativam loci pulchritudinem animo teneo; eam verbis exprimere nequeo.

ויחשף יערות *decorticatque sylvas.* Ita vertendum puto; verbi enim ויחשף prima notio non quaerenda est in *nudando* vel *detegendo*, uti non-

(1) Cf. supra p. 39 - 49 et inprimis Cl. Palmius et Mebius, ad h. l.

nonnulli dant, qui hanc *nudationem sylvarum* unice intelligunt de feris, quae nemora densiora quaerunt et in lustra ac latibula refugiunt (1); vel, uti Shawius hunc locum accipit de *luminibus*, quae dicuntur, *ceraunibus* quae fulgore suo *sylvas detegant* et conspicienda praebeant (2). Major sane eaque nostro loco eximia vis in verbo חשף latet; coll. enim Arab. حسف est *rasit*, *scalpendo et radendo destrinxit*, et hoc quidem *cum strepitu crepituque*. Dicitur v. c. de locusta, quae ramum arboris *morsu stridente deglabrat* (3). יערות autem speciatim notat *sylvas*, *fruticibus* et *virgultis asperrimas*, *densissimas* ac *salebrosas* (4). Itaque tota sententia hoc modo mihi adumbranda videtur. Tonitrua jam, per vagas et immensas Arabiae plagas quaquaversus crepitantia, Meridiem versus volvuntur; et quo longinquius depelluntur nubes, eo magis in unam densam molem videntur coactae, et in sylvas ac nemora subsidunt. Rapido autem cursu Austrum cum peteret tempestas, tum

(1) Ita interpretantur Aretius Fellnus et varii interpretes in *Bibl. Crit.* ad h. l.

(2) *Itiner.* II. p. 87. Ejus autem interpretationem jam refutavit Hamelsveld, *Bibl. Geogr.* I. 199.

(3) *Genes.* XX. 37. *Joël* I. 7. Cf. Schultens, ad *Prov.* p. 415 et Scheidius, *Lex. Hebr.* in voce.

(4) Cf. Scheidius et Simonis in voce יער.

tum tonitrua, fulmina, venti, imbres, forte etiam grandines locis hisce horridam injiciunt stragem. Denudantur foliis rami, et cortice destringuntur trunci; arbores ipsae eradicantur et dejiciuntur: verbo, nemora densissima videntur *decorticata* et misere sic deformata, ut fere truncorum reliquiae dent notam gloriae pristinae (1). Egregie autem poëta maximas hasce clades duobus tantum verbis enunciat, *sylvas maxime cum crepitu destrictas decorticatasve* dicens *a fragore Jehovae.*

ובהיכלו — כבוד *dum in ejus palatio quisque exclamat, quanta majestas!* — כלו *omnes ejus;* De hac voce maxime dissentiunt interpretes. Sunt qui conjiciant, veram esse lectionem כל לו *omnis, unusquisque ei.* Quae lectio vel compendiosa scribendi ratione vel librarii vitio fuerit immutata (2). Alii levi literarum mutatione legere volunt קלו, idque pro קולו *vox ejus*, ut sensus sit: „vox Jehovae, quae talia tantaque in rerum natura effecerit, non nisi gloriam praefert, et promittit in sanctuario Dei." (3). Alii denique pro בלו אמר legere malunt כל יאמר *om-*

(1) Cf. inprimis Mebius, ad h. l. et Schroederus, in dictat, ad h. l.

(2) Vid. Venema, ad h. l.

(3) Vid. Venema, l. l. et Green, l. l. ad h. l.

omnes dicunt. Quam lectionem forsitan unius Codicis Kennicotti auctoritate confirmari posse videmus (1). Hanc, si opus esset, praeferam, quippe sensum loci egregie exprimentem. Caeteris majores ingenii laudes, quam veritatis tribuam. Mihi vulgata retinenda esse videtur. Pronomen autem affixum tertiae person. sing. ו substantivo כל additum vel redundat, uti saepius in Syriaca obtinet lingua (2) vel idem est ac כל הוא *omnis ille*; idque collectivo, qui dicitur, sensu pro כלם et כלהם *omnes illi*, *unusquique*, *quisque* (3). Eodem autem sensu occurrunt כלו et כלה *Exod.* XIV. 7. *Prov.* XXIV. 30. *Jes.* XV 3. cap. XVI. 7. *Jerem.* XLVIII. 3. Caeterum Munťinghii sententia, qua vertit: *In palatio ejus, complexus ejus*, scil. palatii, i. e. *totum ejus palatium resonat; caet.* (4) nimis quaesita mihi videtur. Quod si nihilominus cuidam praeplaceat, ad sensum perinde est.

Sub-

(1) Hanc lectionem praefert Houbigantius. Cf. etiam *Auctor* in *Repertorio* laud. V. p. 47.

(2) Vid. Michaëlis, *Gramm. Syr.* p. 287 seq. et Schroederus, *Gramm. Hebr.* p. 265.

(3) Cf. Clericus, ad h. l. et Schroederus, *Synt.* p. 321.

(4) In *interpretatione*, ad h. l.

Substantivum היכל, a verbo הכל Arab. هيكل, *amplus, procerus, excelsus fuit*, dicitur de quocunque *amplo domicilio*, peculiariter de *palatio* regis. Hinc *tabernaculum* hoc nomine, designatur, tanquam Dei Israëlitarum *domicilium* atque *palatium* (1). Cum vero Davides foederis arcam in Sionem adduxisset, insigniora quaevis nomina etiam huic tribuebantur tentorio. Sic v. c. nonnunquam dicitur בית יהוה *aedes Jehovae*, vel היכל קדשו *sacra ejus aedes*, in qua praesens erat divina majestas, vel etiam, uti h. l. ipsius Jehovae *sanctuarium* (2). Poëtae autem, Deum superiora habitantem fingentes, hanc vocem aliquando usurpant de *coelo*, tanquam coelesti Numinis Divini templo (3). Postremum praeferunt h. l. Munsinghius aliique, vertentes, *dum per totum ejus palatium resonat majestas*, i. e. dum Jehova summa majestatis suae divinae indicia quaquaversus ostendit, totum jubilat coelum, et gloriae divinae praedicat laudem. Alii denique substantivum היכל, addito adjectivo כל, non tantum de *coelo*, sed de *tota rerum universitate* nostro loco dictum au-

(1) 1 *Sam.* I. 9. III. 3.
(2) *Ps.* XI. 4. LXV. 5. CXXXVIII. 2. et alibi.
(3) *Ps.* XVIII. 7. *Jes.* VI. 1.

tumant (1). Utraque sententia ferri quodammodo posset. Mihi autem Davides unice designasse videtur *Sanctuarium* in Sione (2). Namque hoc erat poëtae consilium, uti ex versibus 1 et 9 apparet, ut Israëlitas ad agnoscendum et venerandum Deum excitaret, tanquam omnium supremum ac potentissimum: at vero simul, uti ex vss. seqq. clare patet, ut eos adhortaretur ad Jehovam colendum, tanquam populo suo in perpetuum benignissimum. Quod consilium h. l. eximie profecto exsecutus est Davides, totius naturae commotioni vehementissimae continuo opponendo placidam ac tranquillam Jehovae laudibus magnifice resonantem *aedem Sionis*. Dum ab Occidente Mare fragore Jehovae commovetur totum; dum universus tractus montanus ad Septemtrionem e sede videtur concussi sua, dum horret ab Oriente, prae tremebunda Jehovae potentia, quatefactum desertum; dum ab Austro dire vexantur ac diruuntur animalia atque sylvae: hoc ipso tempore, hymnis in Dei honorem resonat Sion. Quid? Dum cohorrent omnia Jehovae fragorem in effectibus terribilem; populus Dei in sanctuario festum agit, et quisque non

(1) Cf. *Ps.* XIX. 2. Vid. Tefge, ad h. l.

(2) Cf. Zachariae, Auctor anonymus, Palmius, Mebius, aliique, ad h. l.

non prae horrore vel metu, sed Jehovae confidens et unice defixus in majestatis divinae admiratione, venerabundus unum hocce exclamare quanta majestas (1)! At vero ipse textus Hebraicus est legendus, ut penitus loci sublimitatem percipiamus. Concisa illa brevitas Orientalibus linguis prae caeteris priva ac propria, in cujuslibet linguae versione retineri aut apte exprimi omnino nequit (2). Et in ipsis quidem ver-

(1) Ita vertendum putamus unam vocem כבוד proprie *majestas!* de ipsa voce vid. supra, p. 107 sqq. Cf. Palmius et Mebius, ad h. l.

(2) Similis oppositio exstat *Jes.* XXX. 28, 29 et XLI. 8. Et quis ignorat gratam illam orationis conversionem, in carmine recentioris aevi, cui titulus *de nacht*; in quo poëta, postquam memoravit horrenda quaeque spectra, quibus impius in somnio vexatur et dirissime torquetur, tandem horribili suae descriptioni hisce verbis finem imponit:

Zoo ijst de booze man,
Die nimmer rusten kan;
Wijl al zijn gruweldaân
Als beulen voor hem staan!

Mox vero subita conversione iisdem, a quibus initium duxerat, sensibus imbutus, suo cantui placidam quietamque hanc subjicit perorationem:

Maar de onschuld sluimert zacht,
Zoo zacht als deze nacht,
En weet bij duisternis,
Dat God zijn maker is.

verborum sonis numerosi quid percipere mihi videor, quod et solennitatem gravitatemque orationi adjungat (1).

Vs. 10 sq.

Poëta varios cum memorasset, eosque funestos, tempestatis effectus, penitus animo tenet summas, quas debeant Israëlitae suo Deo supremo, gratias, summaque Dei beneficia in ipsa hac tempestate tam luculenter declarata. Palaestina enim, quippe tutum Jehovae cultoribus domicilium, terrae motibus non concutitur, neque horridis afficitur imbrium fulminumve vastationibus cladibusque. Jehova de coelo pluvias immittit benignas, quae, non perniciosae noxiaeve, solum irrigant maximeque foecundant. Animo igitur gratissimus Davides, hisce versibus, hanc Dei beneficentiam populique Israëlitici tutelam laete agnoscit et celebrat. Et denique Jehovam, ut ne in posterum auxilium et beneficia a sua detrahat gente, enixe et supplex precatur.

יהוה ישב *Jehova considet.* — Verbum ישב dicitur de *sedendo*, *considendo*; peculiariter usurpa-

(1) Eximie in nostrum locum quadrat exquisita illa Hemsterhusii observatio, *Oeuvr.* II. p. 159 nota. *Il est absolument impossible*, *etc.*

patur de judice vel rege, qui ſuo ſolio conſidet regiamque gerit poteſtatem (1). Hinc apud Hebraeos Deus, qui ſe Regem Israëlitarum appellaverat ipſe et quem talem agnoscebant Israëlitae, ſaepius dicitur *ſedère* judicis regisque inſtar, qui ſuo nutu totum temperat orbem, tanquam omnium hominum rex et judex ſupremus, quique ſuum populum ſapientisſime et benignisſime moderatur. Quocirca et h. l. in altero hemistichio Jehova dicitur *regis inſtar conſidere.* A poëtis règiminis hujus theocratici notiones eximie interdum adornantur et amplificantur. *Sic* v. c. noster, *Pſ.* CIV, Jehovam regis *inſtar Orientalis* adventantem ſibi fingit ſplendidis vestibus induti, et ad publicam ſuae majestatis commonſtrationem procedentis. Ipſa lux, per continua fulmina exſistens, ejus est pallium. Coeli inſerviunt tentorio, quod in nubibus tonantibus tendit Jehova, ibique ſuo inſidens throno univerſum hocce ſua potentia moderatur. Eximie igitur h. *l.* poëta Jehovam, qui tempestatem hancce ſua immiſerat potentia, quique tempestates et imbrium impetum ſua moderabatur voluntate atque ſapientia, *regis inſtar conſidentem* ſuo throno ſibi repraeſentat. Egregie autem in posteriori hemistichio addit לעולם *in perpetuum.* Ta-

(1) Vid. *Lexica* in voce.

Talem nimirum Deum adorabant Israëlitae, cujus regnum nullo unquam temporis decursu diminui vel corripi poterat, cujus adeo thronus ab aeterno fuerat stabilis, durabitque in aeternum. — Substantivum enim עולם dicitur de *tempore quam longissimo*, humanam mentem fugiente; a verbo עלם coll. Arab. et Chald. *signavit, sigillo clausit, abscondidit* (1). Quocirca etiam nostro loco Davides indicat Jehovam quam diutissime Israëlitis esse imperaturum, uti jam ab antiquissimo tempore obtinuerat (2).

למבול *dum imbres demittit*; proprie vertas, *supra diluvium*. — Substantivum מבול seu מיבול, a rad. יבל coll. בול et ובל Arab. وبل *propulit, imbres effudit*, usurpatur de *copioso imbrium delapsu* (3). Speciatim autem dicitur aliquando de *diluvio Noachico* (4). Hinc multi nostrum versum ita sunt interpretati: sicuti Jehova punientis instar judicis tanquam potentissimum et maxime venerabilem se prae-

(1) Vid. Scheidius, in voce, et Schultens, ad *Prov.* XXX. 19.

(2) Cf. *Exod.* XV. 18. *Deut.* XXXII. 40. *Ps.* CII. 13. et alibi.

(3) Vid. Schultens, ad *Haririi cons.* II. 46. Cf. ibid. III. 174. item *Lexica* in voce.

(4) *Genes.* VI. 17.

praedicavit in primo illo diluvio, tempore Noachi, ita et in hac tempestate, tonitrubus, fulminibus imbribusque, eundem se ostendit atque in aeternum est ostensurus (1). Atqui haec *diluvii* Noachici commemoratio mihi displicet; quippe quae n. l. nescio quid habeat injucundi. Tum vero istiusmodi comparationem hujus calamitatis cum tempestate quadam, licet etiam fuerit gravissima, Davidi non facile adscribam. Aliam hujus loci interpretationem profert Driessen, *in Syllog. Dissert.* p. 1088. Hic למבול vertit *in loco imbrium*, i. e. in tentorio suo, cui atrae densaeque nubes quasi *cortinae essent*. Qualem fictionem poëtis Hebraeis communem esse, supra indicavimus (2). Neque tamen *h. l.* talis interpretatio admittenda videtur. Substantivum enim מבול nunquam dicitur de *loco, e quo imbres demittuntur*; sed saepius de ipsis *imbribus* (3). Et praeterea, si locum innuisset Davides, potius scripsisset במבול (4). Quapropter mihi optima hujus loci interpretatio ea esse videtur, quam dant J. D. Michaëlis alii-

(1) Vid. Clericus, Venema, Schulzius, Rosenmuller, aliique.
(2) Pag. 21 sq.
(3) Vid. *Lexica* in voce.
(4) Cf. Schroederus, *Gramm.* p. 355.

aliique, quamque et in versione expressimus. Versum autem huncce cum praecedenti ita conjungimus: „ In sanctuario Dei laudant probi Israëlitae Jehovam in vehementissima tempestate, quippe qui ab ejus vi noxia Palaestinam tutam salvamque praestiterit; quique et in imbribus demittendis, quales cum tonitrubus fulminibusque plerumque conjuncti sunt, summam ostendit beneficentiam et de populo suo curam." Saepissime nimirum in Oriente hi imbres immensas afferunt ruinas, quando vehementissimi aquarum torrentes de montibus decurrunt, et omnia, quae lapsui obstant, evertunt atque devastant (1). Hinc pulcherrima illa comparatio, quam adhibet conservator noster de homine Euangelii effatis non auscultanti, qua eum similem dicit homini stulto casam in arena aedificanti: *καὶ κατέβη ἡ βροχὴ, καὶ ἦλθον οἱ ποταμοὶ καὶ ἔπνευσαν οἱ ἄνεμοι καὶ προσέκοψαν τῇ οἰκίᾳ ἐκείνῃ· καὶ ἔπεσε καὶ ἦν ἡ πτῶσις αὐτῆς μεγάλη.* *Matth* VII. 26, 27. Cf. *Ezech.* XIII. 11. — Et saepius quidem poëtae Orientales vehementiores ejusmodi imbres in carmine describunt; vel ab iis suas ducunt comparationes (2). Quo au-

(1) Cf. Harmer, l. l. V. p. 6. Cf. Pareau, l. l. p. 62. et inprimis ab Hemessen, ad h. l.

(2) Vid. supra p. 5 sqq. Cf. Amralkeisi *Moallakah*, vs. 71-84.

autem majores afferrent calamitates densissimi hi imbres, eo fertiliores erant in Oriente modicae pluviae ac minus vehementes. Hae benigne terram irrigabant et foecundabant abunde; ut adeo Orientales in hisce summum agnoscerent Numinis Divini beneficium (1). Et ipse Davides totum carmen aliud composuit ad celebrandam benignitatem divinam in regione fertili, et post aestivos calores abunde rigata conspicuam (2). Quare etiam nostro loco poëta pluvias hasce memorat inter Jehovae beneficia, et arctissime eas jungit cum peculiari ipsius cura, quam regis instar benevoli hac tempestate manifeste ostendit.

Caeterum, in hoc etiam versu animadvertatur singularis in sententiarum parallelismo vis; qua id, quod in priori hemistichio memoratur, peculiari quadam emphasi iteratur et amplificatur. Tum vero inprimis in posteriori hemistichio verborum constructio solenne quid arguit. Adest quaedam notionum, quae dicitur, κλίμαξ. *Jehova considet, dum imbres demittit.* Additur autem: *imo considet Jehova* tanquam *Rex* magni-

(1) *Ps.* LXVIII. 10, 11. LXXII. 6. *Job.* V. 9, 10. Plura exempla affert Jones, l. l. pag. 131 seqq. quibus addatur exemplum Arabis poëtae in *excerpt. Hamas.* p. 425. et in *Corano* c. XXX. 23.

(2) *Ps.* LXV. coll. 2 *Sam.* XXI.

misericordissimus, neque tantum hac in tempestate, neque per longissimum aevum, sed vero ad tempus, quo haud tendat mortalium mens.

Vs. 11.

עז יתן *praebeat tutelam.* Futurum יתן hic optativo sensu accipimus, uti saepius in precationibus apud Hebraeos obtinet (1). Aptissime autem vates utitur verbo נתן; quod proprie dicitur de *promendo*, et collata dial. Arabic. de *tendendo*, *porrigendo*, *exhibendo*, *praestando* (2); ut ita Jehova *porrigat* quasi suam *tutelam*, tanquam donum, quod sua manu offerat. Nonnulli autem substantivum עז, proprie *robur*, simili sensu ac vs. 1, vertunt *laudem* seu *gloriam*, et nostrum versum sic interpretantur: Jehova dat populo suo *hymnos*, i. e. occasionem, qua celebrent Jehovam in tempestatibus (3). At vero talem voci עז significationem adscribere hic non ausim; et, salva etiam linguae ana-

(1) Cf. Schroederus, *Synt.* p. 340. et Mebius, ad h. l.

(2) Vid. Schultens, ad *Jobum*, p. 347. et Scheidius, in voce. Cf supra p. 94.

(3) Vid. Telge, ad h. l.

analogia, istiusmodi interpretationem minimé praeferam; quippe quae neque cum sublimi ratione, qua Jehova versu praecedenti inducitur, sit congrua, neque etiam cum sententiarum parallelismo conveniat. In posteriori enim hemistichio luculenter sermo fit de beneficiis, quae Jehova largitur suae genti, ad ipsam rempublicam pertinentia. Equidem עז, a verbo עזז *intorsit*, *munitus fuit*, dictum existimo de *robore* vel *stabilitate*, qua gens Israëlitica, ab hostibus immunis, intra suos terminos felicitate ac gloria frueretur maxima (1). Hanc igitur, uti ipso hujus tempestatis tempore, ita et in posterum, ut benigne largiatur Deus, precatur Davides. Saepissime autem populus Israëliticus dicitur *populus Dei*, vel *populus Deo proprius*, uti supra ad vs. 1. uberius ostendimus (2). Animadvertatur autem singularis eaque aptissima hujus vocis derivatio. Collata nimirum dial. Arabica substantivum עם non universe dicitur de quocunque hominum coetu, undecunque congregato, sed de *populo* iisdem legibus *convincto* et in unum quasi corpus sancito; a radice עמם proprie *volvit*, *involvit*, *in unum collegit*, uti Grae-

(1) Cf. *Exod.* XV. 2. *Ps.* XXVIII. 8, 9. Knapp et Muntinghe.

(2) *Ps.* XCIV. 5. Cf. supra p. 104 sq.

Graecorum δῆμος a δέω *vincio* (1). Uno quasi divinae legis vinculo Israëlitae erant constricti, eidemque Deo Jehovae omnes erant dicati; ab illo igitur, quicunque ab Israële nomen ducebat, omnem suam salutem petebat, eique referre debebat acceptam. Tota gens Israëlitica una quasi erat familia, et Deus, patris instar, sua cuique tribuebat et porrigebat, dummodo sincero animo ipsius liberi ipsum rogarent atque precarentur; vel, uti nostro loco, regis instar, Jehova suo throno quasi considebat in coelis, hominibusque sibi subjectis, cum justitia ac summa benignitate imperabat eosque moderabatur; et Israëliticae gentis commodis consulebat. (2)

. יברך בשלום *largiatur pacem*. Eodem modo, quo in priori hemistichio, accipiendum id esse optativo sensu mihi videtur. Verbum autem ברך coll. Arabic. برك, proprie dicitur de *camelo*, *qui genua complicando humi decumbit*, *ut sitim expleat* (3). Hinc usurpatur de *homine*, *qui*, *genua flectendo* et *humi procumbendo*, *fausta*

(1) Vid. Schultens, ad *Har. cons.* VI. pag. 248. Cf. Scheidius, in voce.

(2) Cf. supra p. 17 sqq.

(3) Cf. *Genes.* XXIV. 11. *Exc. Ham.* p. 437. et Schultens, in *clavi dialect*, p. 249 et 296.

ta quaevis alteri precatur (1), eique *benedicit* (2). Uti vero Hebraei humana quaeque tribuunt Deo, ita et hoc verbum ἀνθρωποπαθῶς, in specie Pihhel, quae significationem intendit, usurpant, de Deo, qui in salutem hominum, *fausta quaevis* iis quasi *comprecatur*, *fortunatos eos esse jubet redditque*, iisque *benedicit* (3). Construitur hoc verbum plerumque cum accusativo, qui dicitur, personae, et res, quae donatur, designatur substantivo, praefixa praepositione ב *cum* (4). Substantivum שלום denique convenit Arabico سلام quod peculiariter usurpatur de *pace* et *integritate*. Nostro igitur loco Davides a Jehova supplex petit, ut suae genti largiatur non tantum *stabilitatem* et *incolumitatem* ab hostibus, uti in priori hemistichio, sed et internam *tranquillitatem*, *felicitatem* ac *prosperitatem quamcunque* (5).

Plurimum poëtae talem populi prosperitatem, quae pace tranquilla continetur, laudant atque praedicant. Ita *Jesaias* in vaticiniis, prosperam populi con-

(1) *Ps.* XCV. 6.
(2) *Prov.* XI. 25.
(3) Vid. *Genes.* XLVIII. 20. XLIX. 25. alibi. Cf. Schultens, *Orig. Hebr. MSS.* et *Lexica* in voce.
(4) *Gen.* XXIV. 1. Cf. Simonis in *Lexico*.
(5) De verbo שלם vid. Schultens, ad *Job.* IX. 4. et imprimis Simonis, in *Lexico* et loca ibi citata.

conditionem praedicendo, plerumque nobis exhibet tabulam, in qua placida quaedam tranquillitas et securitas dominatur, nobisque describit tempus, „ quo populus Dei sit mansurus in mansione pa„ cata, sedibusque tutis et stationibus quietis." (1) Et Davides inprimis, fiducia erga Jehovam Deum suum plenus, talem de sua gente incolumitatem, ac prosperam pacis conditionem frequenter deprecabatur (2). Quam eximie v. c. noster favorem divinum erga gentem Israëliticam implorat, pulcherrima adhibita comparatione ab ovium grege, cui pastor Jehova sit fidelis perpetuusque. Qua peroratione, aeque ac nostro cantui, Psalmo etiam XXVIII. finem imposuit:

Jehova robur est populo suo,
Idemque suo regi salutiferum refugium.
Serva porro tuum peculium eosque pasce!
Imo fina eos gesta in perpetuum! (3)

Quodsi Davides saepius istiusmodi apprecatione finiverit sua carmina, nulla sane aptiori, quam tali ratione, sublimi nostro carmini finem imponere potuisset. Cecinerat de majestate Numi-

(1) *Jes.* XXXII. 17. XLVIII. 22. LVII. 20. et alibi.
(2) *Ps.* XXV. fine. *Ps.* LXVIII. 35. Cf. supra p. 55, 71 et 105 sq.
(3) Vs. 8 sq. Cf. Muntinghe, ad h. l.

minis Supremi, in magnificentisſimo naturae ſpectaculo conſpicua; celebraverat venerabundam Jehovae potentiam, quam praedicabant maria regionesque; at vero ſimul viderat, ſenſerat et agnoverat beneficam curam, qua incolumem a tempestate Jehova ſuam ſervaverat gentem. Hanc ſummam Jehovae benevolentiam reputanti et animo ſentienti ipſi, mirabili in ſuum Deum Jehovam ſpe atque fiducia pleno, et fervido patriae flagranti amore, quid ſupererat vati, quam ut ex intimo pectore hasce effunderet preces:

Jehova ſuo populo praebeat tutelam!
Jehova ſuo populo largiatur pacem!

CORRIGENDA.

Pag.	lin.			lege
32	lin.	6	Jeſaiae,	lege Jeſaiae;
103	—	17	peculari	— peculiari
106	—	10	qui confidentes	— qui ei confidentes
108	—	5	pecülariter	— peculiariter
109	—	10	pecularis	— peculiaris
113	—	3	שחה	— שחח
121	—	9	convienens	— conveniens
124	—	4	praepoſito	— praepoſitio
132	—	18	uſu; de	— uſu,
—	—	20	nutrices;	— nutrices,
149	—	23	nubum	— nubium
—	—	24	*Lexico* et	— in *Lexico*,

GUILIELMI CHRISTIANI SLINGERLAND CONRADI

COMMENTATIO THEOLOGICA,

AD

QUAESTIONEM, AB ORDINE THEOLOGORUM IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA, PROPOSITAM, QUA QUAERITUR:

Unde orta est, in Reformatis Belgii Ecclesiis, sive lex sive consuetudo, iubens antistites identidem, instante sacrae Coenae celebratione, singulos sodales in eorum aedibus convenire, ad sacrum epulum invitare, et de usu eius legitimo monere? Possuntne antistites hac opportunitate ad alias sacri muneris partes rite administrandas prudenter uti? Quod ut fiat, quomodo universe hac in re iis versandum erit? Quae tandem hinc utilitas sperari poterit?

QUAE PRAEMIUM REPORTAVIT,

DIE XXVI. M. MARTII, A. MDCCCXXVIII.

CONSPECTUS COMMENTATIONIS.

§. 8.

§. 26.

§. 4.

SECTIO SECUNDA,

DE PROBABILI MODO, QUO UNIVERSE ANTISTITIBUS VERSANDUM SIT, IN VISITATIONE DOMESTICA, QUAE FIT INSTANTE S. COENAE CELEBRATIONE.

§. 3

SECTIO TERTIA,

§. 4.

In

In partibus, quae Doctori et Antistiti, in Ecclesiis Belgii Reformatis, demandari solent, vulgo censetur *visitatio*, quae dicitur, *domestica*, qua Antistites, instante sacrae Coenae celebratione, singulos societatis sodales in eorum aedibus conveniunt, ad sacrum epulum invitant, et de eius usu legitimo monent. Qua de salutatione cum placuerit Vobis, Viri clarissimi, plurimum venerandi! Theologiae in Belgio studiosis, ad munus Ecclesiasticum adspirantibus, quaestionem proponere Theologicam, equidem ad eam respondendi periculum feci. Quod si minus mihi ex voto successerit, confido, Vos, qua estis aequitate, nihil postulaturos ab iuvene rerum sacrarum usu nondum exercitato,

 quod

quod ab iis exſpectandum ſit, qui aliquamdiu in munere Eccleſiaſtico fuere occupati.

Hac igitur ſpe fretus, Vobis verecunde offero commentationem, cuius Pars *prior* inquirit in originem *viſitationis domesticae*, q. d. in Belgii Eccleſiis reformatis uſitatae, *posterior* ad caeteras respondet quaestiones, de hac ſalutatione propoſitas.

PARS

PARS PRIOR,

DE

ORIGINE VISITATIONIS DOMESTICAE, IN BELGII ECCLESIIS REFORMATIS USITATAE.

§. 1.

Hodierna lex de visitatione domestica.

Quaestionis propositae pars *prior* hujus est argumenti: *unde orta est, in Reformatis Belgii Ecclesiis, sive lex sive consuetudo, iubens antistites identidem, instante sacrae Coenae celebratione, singulos sodales in eorum aedibus convenire, ad sacrum Epulum invitare, et de usu eius legitimo monere?* In hac igitur quaestione sumitur, quod nemini, rerum Ecclesiasticarum vel parum perito, ignotum esse potest: in reformatis Belgii Ecclesiis, coetuum Antistitibus im-

impoſitum esſe officium, ſingulos ſodales in eorum aedibus conveniendi, ad ſacrum Epulum invitandi, et de uſu eius legitimo monendi. Quod quo iure a plurimum Venerando Ordine Theologico ſumi potuerit, e lege Eccleſiaſtica cum maxime vigente colligitur.

Canones enim, a Synodo Eccleſiae Belgicae reformatae, de *Synedriis Eccleſiasticis* ſcripti die 13 Iulii, a. 1824. (1) ab Augustisſimo Rege approbati die 16 Novembris, a. 1825. (2) Euangelii interpretetibus, (*Predikanten*,) qui Antistitum munere, una cum Senioribus, (*Ouderlingen*,) funguntur, hoc imponunt officium, art. 22. *Zij moeten gezet en behoorlijk huisbezoekingen doen, om de gemeente op te wekken tot het bijwonen van den openbaren godsdienst en de catechizatiën, als mede tot de viering des Heiligen Avondmaals, en wat verder dienen kan, om de godsdienstigheid en goede zeden te bevorderen.* Senioribus autem, art. 25. hoc in-

(1) Vid. *Handelingen van de Algemeene Christelijke Synode der Hervormde Kerk in het Koningrijk der Nederlanden, in den jare* 1824. In quibus, pag. 30—37. legitur *Algemeen Reglement op de zamenſtelling en de werkzaamheden van de Kerkeraden bij de Hervormde Gemeenten, in het Koningrijk der Nederlanden.*

(2) Vid. *Handboek voor Hervormde Predikanten en Kerkenraadsleden, Derde ſtuk, bl.* 242—251.

iniungitur: *zij zijn verpligt, daartoe verzocht zijnde, de predikanten bij te staan bij het herderlijke werk.* Quanti faciat Ecclesia Belgica hanc curam gregis Christiani, colligi potest ex eo, quod quotannis Viris, ad hanc caussam delegatis, partes dentur in singulis coetibus inquirendi in sedulitatem, qua versantur eorum Antistites, in hoc genere officiorum ipsis impositorum. In canonibus enim, quibus forma inquirendi praescribitur, iubentur illi, una cum quatuor aliis quaestionibus, de Ecclesiae doctoribus, instituendis, hanc etiam proponere: *of zij hun werk maken van het herderlijk bezoeken der Gemeente, en bijzonder der kranken?* Quae quidem compendiaria quaerendi formula, a Synodo, die 11 Iulii, a. 1823. (3) probante Rege, die 8 Octobris, eiusdem anni, (4) substituta est in locum productioris, quam scripserat Synodus, die 18 Iulii, a 1816. probante Rege, eiusdem mensis die 30. huius argumenti: *doen zij* (de Predikanten) *gezet en behoorlijk huisbezoeking, om de Gemeente op te wekken*

(3) Conf. *Acta* huius Synodi, Belgice edita, pag. 59—64 cum *Actis* anni 1822. pag. 67.

(4) Conf. *Reglement op de Kerkvisitatie*, art. 12. num. 1. lit. E. in laudato libro: *Handboek voor Hervormde Predikanten en Kerkenraadsleden, Derde Stuk, bl.* 135-143.

ken tot bijwoning van den openbaren Godsdienst en de catechizatiën, tot viering van het Heilig Avondmaal, en verder tot alles wat godsdienstigheid en goede zeden kan bevorderen? Betoonen zij zich genegen, om, geroepen zijnde, de kranken te bezoeken, en dat bezoek, zoo veel noodig is, te hervatten? (5) Similiter e Canonum, anno 1823. scriptorum, mandato, de *Senioribus* hoc quaerendum est: *of zij den predikant of de predikanten behulpzaam zijn in het houden van opzigt over de gemeente?* (6)

§. 2.

Nonnulla in hac lege non definita.

Hac igitur lege tenentur coetuum reformatorum in Belgio Doctores, sive Euangelii interpretes, ad *conveniendum singulos Ecclesiae sodales in eorum aedibus*, eos monendos et *excitandos ad celebrandam Sacram Coenam*, eum in

(5) Conf *Reglement op de Kerkvisitatie*, (a. 1816.) art. 17. num. 8 et 9. in laud. *Handboek*, (Eerste stuk) pag. 335.

(6) Conf. *Reglement op de Kerkvisitatie*, it. 12. num. 8. lit. B. loco laud.

in finem, *ut religionis ſtudium bonique mores proyehantur.*

Verum nonnulla, quorum ratio in disquiſitione noſtra erit habenda, hac in lege non definita ſunt.

Primum quidem viſitationis domeſticae negotium non niſi cum aliqua conditione interpoſita demandatur *Senioribus.* Iubentur enim, in Canonibus *de Synedriis Eccleſiasticis*, a. 1825. editis, *ad id rogati*, (*daartoe verzocht zijnde*) Euangelii interpretibus opem ferre in *opere pastorali.* Unde colligere licebit, eos non niſi ad id rogatos teneri ad hanc opem ferendam. Poſſis quidem huic interpretationi opponere formulam inquirendi in Seniores, anno 1823. ſcriptam, in qua nulla huius conditionis fit mentio. Verum, in legibus interpretandis, poſterioris auctoritas plurimum valet ad definiendam legis prioris ſententiam: praeſertim ubi aliquid additur, cujus in priori lege mentio nondum facta fuerat. Deinde etiam alia eſt utriusque legis ratio. Poſterior proprie definit, quae ſint partes muneris Senioribus demandati: prior praecipit, quomodo in legitimam eius adminiſtrationem ſit inquirendum. Itaque iure nobis colligere videmur, lege Eccleſiaſtica anni 1825. Seniores *non niſi ad id rogatos* teneri ad viſitationem domeſticam, una cum Euangelii interpretibus, procurandam.

Ve-

Verum hinc *altera* oriri potest quaestio, *de iis, quorum rogatu* Seniores oporteat eam suscipere curam. Poterunt enim Seniores rogari, vel a cunctis coetus Doctoribus, vel ab uno, vel etiam a Synedrio, ea de re, sive universe, sive in certis causis, decernente, vel denique a sodalibus Ecclesiae, sive pluribus sive singulis. Et huius rogatus causae esse possunt plures, aliae graves et omnino probandae, aliae leves nec laudandae, aliae dubiae et dissimulatae. De quibus iudicandum erit, vel ab ipsis Senioribus, quorum opera expetitur, vel a petentibus, vel a Synedrio. Verum de his nihil certi definitur in lege Ecclesiastica. Credam tamen, legislatori hanc fuisse mentem: *teneri Seniores ad opem ferendam Euangelii interpretibus eos invitantibus*; eo enim me ducere videtur legis contextus, in quo non nisi Doctorum et Seniorum fit mentio, et horum quidem opera ita describitur, ut ad illos adiuvandos expetatur.

Quid vero, si nolint Euangelii interpretes, in visitatione domestica, a Senioribus adiuvari, si malint totum hoc negotium, nemine auxiliante, administrare? Oportebitne Seniores suum Doctoribus obtrudere auxilium, sese nolentibus adiungere comites? Ex huiusmodi consociatione parum lucri, plurimum damni, equidem augurer. Sed quaeritur de *iure* Seniorum. Quodsi

igi-

igitur hoc urgeant, nolintque praetermittere aliquam curae, ipsis in Formula inaugurandorum Seniorum, et magis etiam Apostolorum (7) auctoritate demandatae, partem; quid, quaeso, eos impediet, quominus et ipsi, quoties libuerit, Ecclesiae socios conveniant, ad S. Coenam invitent, de eiusque usu legitimo admoneant? Verum ea de re nihil invenio in lege scriptum: hoc igitur *tertium* sit, nondum, ni fallar, certo definitum.

Huic vicinum est *quartum*, quod tempus attinet, quo singuli salutandi sint Ecclesiae sodales. In quaestione, ab ordine Theologico proposita, mentio fit visitationis, quae *indentidem, instante solenni sacrae Coenae celebratione*, ab Antistitibus fiat. Ac profecto, si ad Epulum sacrum invitandi sint Christiani, et de usu eius legitimo admonendi, nullum huic rei tempus eligi poterit magis opportunum, quam quod proxime antecedit diem festum, quo sacra Coena celebrabitur. Verum in lege Ecclesiastica nihil de eo definitur. Neque adeo iubentur Antistites, *aut* universum gregem, *aut* aliquam ejus partem, toties convenire, quoties coetus publice ad convivium Christi invitatur.

Denique, *quinto*, in lege Ecclesiastica, quae ho-

(7) Conf. *Act.* XX: 28. *Tit.* I: 5. 1 *Petr.* V: 1-4.

hodie viget, visitationis domesticae consilium, neque unice, nec praecipue, refertur ad praeparandos Ecclesiae socios ad iustam sacrae Coenae celebrationem: quin et *invitationis ad Epulum sacrum*, quae proprie dicitur, in lege nulla fit mentio. Itaque omnis opera, quae, lege iubente, danda erit monendis Ecclesiae civibus de convivio Domini nostri rite celebrando, non nisi pars est curae, quam Antistitem in visitatione domestica sustinere oportet, in monendis sodalibus ad quaecunque vitae Christianae officia diligenter praestanda.

§. 3.

Vis consuetudinis hac in causa.

Quod igitur lex Ecclesiastica non definite praecipit, in consuetudinem iam dudum apud plurimos coetus venisse, nemo ignorat. Solent enim plurimi coetuum nostrorum Doctores singuli, una cum Seniore, identidem, instante sacrae Coenae celebratione, certe commoda tempestate, aliquot dies consumere in Ecclesiae sociis salutandis, ad sacrum Epulum invitandis et de usu eius legitimo monendis. Quae quidem consuetudo, in non paucis Belgii coetibus repurgatis, fere vim legis acquisivisse videtur. Quo non raro

raro factum est, ut, si qui Ecclesiae Doctores, *aut* sine socio comiteque Seniore convivas ad sacram Coenam invitarent, *aut* visitationem differrent ad aliud tempus ipsis commodius visum, *aut* in visitatione domestica de caeteris vitae Christianae officiis eadem cura ac diligentia monerent, qua de sacro convivio rite celebrando agerent, hi mox, *vel* negligentiae, *vel* perversae sedulitatis, accusarentur. Iccirco Ordo Theologicus consulto quaesivisse videtur de eo, quod *sive lex*, *sive consuetudo*, iubeat.

§. 4.

De ortu, sive legis, sive consuetudinis, quaeritur.

His de hodierna lege et consuetudine praemissis, age, inquiramus, quoad eius fieri poterit: *unde orta sit*, in reformatis Belgii Ecclesiis, *sive lex*, *sive consuetudo*, iubens, caet. Qua in disquisitione liceat mihi, a primis inde originibus Ecclesiae Belgicae initium facere, ac pedetentim ad nostra pergere tempora.

§. 5.

§. 5.

Canones Synodi Vesaliensis, anni 1568.

Primum huius salutationis, ab Ecclesiae Belgicae antistitibus faciendae, indicium occurrit in *Actis Synodi*, Vesaliae a dispersis Belgicarum Ecclesiarum ministris habitae, a. 1568. Quorum Actorum, Latine scriptorum, copia cum nondum sit data, articulos, hanc spectantes caussam, vernacule exhibeo e formula, a Regnero Ens descripta, et edita, a. 1733. (8)

Capitis *quarti*, quod agit *de Senioribus*, (*van de Ouderlingen*) articulus *secundus* huius est argumenti: *Daar is sonder eenig tegenspreken haar ampt hier in bestaande, datse elk over hare Parochien ofte Wyken, neerstelyk sullen wagt*

(1) Adiecta est libro, ab eius fratre Iohanne Ens parato: *Kort historisch Berigt van de publiake Schriften, rakende de leer en dienst der Nederduytze Kerken van de Vereenigde Nederlanden*, pag. 253-287. coll. pag. 241-243. Qua cum editione comparari meretur, quae exstat in *Kerkelyk Placaat-boek*, Vol. III. ed. Hagae Com. 1792. pag. 379-409. Imprimis vero lectu digna sunt ea, quae retulit Adrianus van 's Gravezande, *Twee Honderd Jarige Gedachtenis van het eerste Synode der Nederlandsche Kerken onder het Kruis*, Midd. 1768. pag. 113-117. 226-228.

wagt houden; ende van huys tot huys, die onder haar opsigt staan, ten minsten eens alle weke, ende voorts na het elke Kerke voor gebruyk heeft, besoeken; voornamelyk ontrent den tydt van het houden des Nachtmaals: ende sy sullen getrouwelyk onderstaan, of sy haar opregtelyk dragen in handel, ende wandel, in de pligten der Godtsaligheyt, in de getrouwe onderwysinge harer Huysgesinnen, in de Huysgebeden voor de selve 's morgens, ende des avonts, ende van diergelyke dingen meer: sy sullen haar daartoe sagtelyk, ende nogtans ernstelyk vermanen, ende dat na voorvallende gelegentheyt; sy sullense aanmanen tot stantvastigheyt, ofte versterken tot lydtsaamheyt, ofte aanprikkelen tot ernstige vreese Godts: die troost, ofte bestraffinge van doen hebben, sullen sy vertroosten, ofte bestraffen: ende, indien het de noodt vereyscht, aan hare Mede-Ouderlingen, gestelt over de broederlyke bestraffingen, 't selve aanbrengen; ende neffens de selve verbeteren dat te verbeteren is na het gewigte der begane sonden: sy sullen ook niet vergeten aan te porren elk in syn Wyk, datse hare kinderen senden tot de Catechisatie.

Huic adjungendus videtur articulus eiusdem capitis *tertius*, huius argumenti: *Om dit in 't werk te stellen sal noodig zyn dat men metten eer-*

eersten yeder Kerke afdeyle in Wyken na de menigte, ende gemak der geloovigen: dat men over elke Wyk stelle bysondere Ouderlingen, die alle weke op sekere bestemde dagen in 't gemeyn in de Kerkenraat sullen bekent maken, hoe het in yeders Wyk toegaat, ende of de Ledematen hun wel dragen, ende de Ouderlingen moeten gedenken, datse niet alleenlyk voor de Gemeynte, maar voor Godt selfs rekenschap sullen moeten geven van de zielen die haar toebetrouwt zyn.

Nec negligenda sunt, quae capite *sexto*, quod *de Sacramentis* agit, habentur, articulis *sexto*, *septimo* et *octavo*, de admittendis et praeparandis Ecclesiae sociis ad legitimum sacrae Coenae usum. VI. *Wy oordelen seer dienstig te zyn, dat men veertien dagen te voorens afkondige de tyd van 't houden des H. Avondmaals; op dat ende de Ledematen der Gemeynte haar tydelyk mogen bereyden, ende de Ouderlingen elck in zyn wyk tydelyk haar ampt waarnemen.* VII. *Men sal niemand tot des Heeren H. Avondmaal toelaten, als die te voorens belydenisse des geloofs gedaan heeft, ende hem de Kerckelyke tugt onderwerpt.* VIII. *Die ten Avondmaal willen toegelaten worden, sullen acht dagen te vooren aan den Predikant hare namen aanbrengen, ende dan salmen terstont daar*

daar na, aan een, ofte meer Ouderlingen na de gelegentheyt der wycken, ende het getal der aankomelingen in de Kercken-raad ordre geven, om neerstelyk na haar voorgaande leven te vernemen; ende daar van aan de Kercken-raad openinge doen, om in tyds voor te komen indien yets in de weg is, om de soodanige niet toe te laten, ofte andersins tot het ondersoeck voort te gaan.

De his articulis nonnulla erunt monenda.

Ac *primum* quidem omnis illa circumeundi cura, a Synodo Vesaliensi demandata est *Senioribus*, non Ministris Praedicantibus. Nulla enim illius mentio fit in capite *secundo*, quo partes describuntur, Euangelii interpretibus nominatim dandae. Neque in capite *quarto* quioquam occurrit, unde colligas, Seniores, hoc in munere, Praedicantium haberi, vel socios, vel vicarios. Huius instituti causa mihi videtur quaerenda, partim in exiguo Praedicantium numero, partim in laboris molestia, partim in temporum iniuria. Pauci enim eo tempore fuerunt idonei ad doctrinam Euangelii e suggestu sacro denunciandam, caeterasque partes muneris, Praedicantibus demandati, rite administrandas. Quo factum est, ut unus eorum, aliquando ad plures coetus evocatus, mox huic mox illi prospicere teneretur. Quodsi vero, singulis

dierum hebdomadibus, in aedibus ſingulorum, Eccleſiae ſociis adſcriptorum, eiusmodi cura adhibenda esſet, maiori opus erat Seniorum numero, quorum alii aliis praeficerentur vicis. Denique, in afflicta Belgii, per Ducis Albani ſaevitiam pesſime habiti, conditione, minori periculo expoſiti erant Seniores, qui frequenter conveniebant cives ſuos, quam Euangelii interpretes, plerique peregrini, non niſi officii cauſa advenae.

Deinde etiam hoc Seniorum munus arcte erat coniunctum cum omni disciplina Eccleſiastica, ad Calvini mentem inſtituenda. Quae enim, in laudato Actorum Veſalienſium articulo ſecundo capitis quarti, habentur, de Eccleſiae ſociis *ante ſacrae Coenae administrationem* adeundis, non niſi partem faciunt, eamque exiguam, eorum, quae univerſe de cura ac disciplina Eccleſiastica praecipiuntur. Toti enim gregi, Seniorum curae commisſo, diligenter erat conſulendum ac proſpiciendum. Singulorum aedes frequenter erant adeundae, *ſemel ſaltem per dierum hebdomadem*, multo igitur ſaepius, quam ſacra Coena erat celebranda. Inquirendum univerſe erat, in ſingulorum vitam ac mores, in puerorum et domesticorum inſtitutionem, in preces matutinas et vespertinas: quae cum ſingulatim indicentur, nihil additur de explorando pro-

po-

posito celebrandi epuli sacri, aut de animo, quo ei interesse oporteat. Admonendi erant hortandique singuli socii, ad constantiam, patientiam et pietatem: de invitandis, suadendis, incitandis ad sacrum convivium celebrandum, nihil nominatim adiicitur. Reprehendendi erant, quibus reprehensione, consolandi, quibus consolatione opus erat: quae cum universe commendentur, singularis mentio non fit de praeparandis, sive ad poenitentiam, sive ad gaudium, sive ad aliam quamcunque laudabilem animi affectionem, sacrae Coenae convivis dignam. Sed omnis illa Seniorum cura visa est *praesertim* necessaria, instante hoc epulo sacro: quapropter monentur ad salutandos singulos *maxime circiter hoc tempus*. Praeterea, docente cap. IV. art. 3. non tantum proxime ante sacram Coenam, sed singulis dierum hebdomadibus, de vitae ratione, quam sequerentur singuli Ecclesiae socii, fideliter referendum videbatur a Senioribus ad Senatum Ecclesiasticum. Quae porro, e cap. VI. art. 6, 7, 8. attuli, si conferas cum iis, quae cap. VIII. de disciplina Ecclesiastica traduntur, maxime articulis 1—10. satis docent, arcto vinculo ea, quae de visitandis Ecclesiae sociis praecipiuntur, esse connexa cum caeteris, disciplinae Ecclesiasticae omnem rationem et modum describentibus.

Denique monendum videtur de vi et auctoritate, his a Synodo Vesaliensi decretis tribuenda. Qui ad hanc Synodum convenerant, erant duodequadraginta (9) Euangelii interpretes et Seniores, plerique exules. Praeterea consensum suum, subscripto Actis et Decretis nomine, significarunt viginti septem. Quos inter nonnulli nominis celebritatem nacti, ut Petrus Dathenus, Hermannus Modetus, Guilielmus Zulenus Nyeveldius, Petrus Ryckius, Casparus Coolhasius, Ioannes Cubus, et, qui omnium primus laudari meretur, Philippus Marnixius. (10) De auctoritate, qua instructi fuerint a coetibus, quibus vel praeerant, vel praefuerant, nihil equidem relatum vidi. Ipsa eorum acta legis aut mandati formam non habent; contra vero dicuntur: *Certa quaedam Capita seu Articuli, quos in Ministerio Ecclesiae Belgicae, Ministri ejusdem Ecclesiae, partim necessarios, partim utiles esse judicarunt.* (11) Ac *Prologus*, a Ludovi-

(9) Typothetarum videtur vitium, in Ypeii et Dermoutii *Geschiedenis der Nederlandsche Hervormde Kerk*, Vol. I. pag. 337. ubi numerus editur, *ongeveer twintig nederlandsche kerkelijken.*

(10) Conf. 's Gravezande, lib. I. pag. 218-226.

(11) Retulit hoc Wigboldus Muilman, Guil. F. ad 's Gravezandium, Conf. lib. I. p. 218, 219.

vico Renessio vernacule editus, satis docet, ipsos suam sententiam de gubernatione Ecclesiae, deliberato consilio, dicere, minime legem scribere voluisse. (12) Quapropter etiam huius Synodi Acta et Decreta diu inedita iacuere, praetermissa etiam ab iis, qui leges Ecclesiae Belgicae, in Synodis Nationalibus conditas, in unum volumen collectas, inde ab a. 1612. edi curarunt: etenim non nisi quattuor Synodorum Nationalium rationem habuerunt, Emdensis, a. 1571. Dordracenae, a. 1578. Medioburgensis, a. 1581. et Haganae, a. 1586. Quibus merito alii addiderunt Dordracenam, a. 1618 et 1619. in editionibus serius paratis.

Quamquam igitur Synodus Vesaliensis Doctores et Antistites universos, nec iusserit, nec iubere potuerit id, de quo quaestio a Vobis, Viri Clarissimi! est proposita, nihilo minus illius Synodi iudicium nonnihil valuisse videtur, ad inducendum morem, in nonnullis certe coetibus receptum ac diu probatum, quo nominatim Seniores, non comitante Euangelii interprete, Ecclesiae socios adirent, cum ante S. Coenae celebrationem, tum alias. Huius certe consuetudinis luculentum dedit documentum Ven. Adri-

(12) Vid. Ens, lib. I. pag. 253.

Adrianus Uyttenhoven, (13) ex Actis Senatus Ecclesiastici Brouwershavensis, de rebus exeunte seculo sedecimo in illius urbis coetu repurgato gestis. Et Ludovicus a Renesse, medio seculo XVII. de Seniorum munere scribens, (14) profitetur, multum eos profuisse Belgii Ecclesiis, dira adversariorum vexatione pressis. Similiter Gisbertus Voetius: (15) *non video*, inquit, *qualis olim absque illis Senioribus* Ecclesiasticis *habuissemus Ecclesias Belgicas aut Gallicas sub cruce aut in exilio seu in exteris regionibus, aut etiamnum* (h. e. a. 1669.) *haberemus. Norunt id optime, qui norunt statum et regimen ecclesiarum sub cruce aut in exilio.*

§. 6.

(13) *Bijdrage tot de Geschiedenis der Hervormde Kerk, met opzigt tot de Huisbezoeking*, in *Symbolis novis*, editis hoc titulo: *Nieuwe Bijdragen ter bevordering van de kennis en verbetering van den eeredienst, het Leeraarsambt en Kerkelijk Bestuur*, Vol. II. p. 281-283.

(14) *Verhandeling van de oudheid, waardigheid, noodzakelijkheid en nuttigheid van het Regeer-Ouderlingschap.* Quae diatribe, primum est edita, partim a. 1659. partim a. 1664. repetita vero Amst. 1665. Vid. huius editionis p. 155.

(15) *Polit. Ecclesiast.* Tom. III. p. 469.

§. 6.

Eaque ad Calvini mentem et Genevensis Ecclesiae exemplum scripta.

Indicavi, ni fallar, initia huius curae, in Belgii coetibus repurgatis, nonnullis Ecclesiae antistitibus impositae. Sed instituti origo et iusta caussa altius repetenda videtur: cum ad res a maioribus nostris, difficillimis etiam temporibus, prudenter gestas recte cognoscendas; tum etiam ad iudicium bene regundum, de animo et consilio eorum, qui huius, sive legis, sive consuetudinis, fuere auctores et suasores.

Quod ut fiat, ratio inprimis habenda est doctrinae, quam professi sunt Patres in Synodo Vesaliensi congregati, de Ecclesia eiusque legitima rectione, ope Antistitum e Christi mandato in civium salutem adhibenda: quae quidem doctrina proxime conveniebat cum Ioannis Calvini mente, cum alibi, tum maxime in *Institutionum religionis Christianae* Libro IV. declarata. Iccirco operae pretium erit, Viri eximii sententiam, collectis locis ex hoc libro praecipuis, breviter commemorare.

Cap. I. §. 1. *Quia ruditas nostra et segnities externis subsidiis indigent, quibus fides in nobis et gignatur et augescat, et suos faciat pro-*

progressus usque ad metam, ea quoque Deus addidit, quo infirmitati nostrae consuleret. — Pastores instituit ac doctores, quorum ore suos doceret: eos auctoritate instruxit: nihil denique omisit quod ad sanctum fidei consensum, et rectum ordinem faceret. §. 21. *Neque vero per peccatorum remissionem nos in Ecclesiam modo semel recipit et cooptat Dominus, sed per eandem nos in ipsa conservat ac tuetur. —* §. 22. *Non enim quum Apostolis mandatum dedit Christus, et potestatem contulit remittendi peccata, hoc tantum voluit ut eos solverent a peccatis qui ab impietate ad Christi fidem converterentur: sed magis ut hoc officio fungerentur perpetuo inter fideles. Quod Paulus docet, quum scribit legationem reconciliationis depositam esse apud Ecclesiae ministros, quo subinde populum nomine Christi exhortentur ad se reconciliandum Deo — idque tam publice quam privatim, prout necessitas postulat. Sunt enim permulti, qui pro sua infirmitate singulari pacificatione indigent. Et Paulus non tantum pro communi concione, sed etiam per domos testificatum se refert fidem in Christum, et unumquemque sigillatim admonuisse de salutis doctrina.* Cap. III. §. 1. *Ad haec nihil ad fovendam mutuam charitatem aptius erat, quam hoc vinculo homines inter se colligari, dum*

idem unus constituitur Pastor, qui reliquos simul doceat: qui vero discipuli esse jubentur, communem ex uno ore doctrinam excipiant. §. 5. *Neque enim vel Solis lumen ac calor, vel cibus ac potus tam sunt praesenti vitae fovendae ac sustinendae necessaria, quam est conservandae in terris Ecclesiae Apostolicum ac Pastorale munus.* §. 6. *Docendi autem ratio non in publicis tantum concionibus consistit, sed ad privatas etiam admonitiones pertinet. Ita Paulus testes citat Ephesios, quod nihil suffugerit eorum, quae in rem ipsorum erant, quin annunciaret ac doceret eos publice et per singulas domos.* §. 8. *Caeterum quod Episcopos, et Presbyteros, et Pastores, et Ministros promiscue vocavi, qui Ecclesias regunt, id feci ex scripturae usu, quae vocabula ista confundit: quicunque enim verbi ministerio funguntur, iis titulum Episcoporum tribuit.* — *Paulus in epistola ad Romanos et priore ad Corinthios alia enumerat* (officia), *ut* — *gubernationem. Gubernatores fuisse existimo Seniores e plebe delectos, qui censurae morum et exercendae disciplinae una cum Episcopis praeessent.* — *Habuit igitur ab initio unaquaeque Ecclesia suum senatum, conscriptum ex viris piis, gravibus et sanctis: penes quem erat* — *jurisdictio in corrigendis vitiis* Cap. XI. §. 1. *Quemadmodum enim*

enim nulla urbs nullusve pagus sine magistratu et politia stare potest; sic Ecclesia Dei — sua quadam spirituali politia indiget: qua tamen a civili prorsus distincta est, eamque nihil impedit aut imminuit, ut potius multum juvet ac promoveat. Ista igitur jurisdictionis potestas nihil aliud erit in summa quam ordo comparatus ad spiritualis politiae conservationem. In hunc finem fuerunt ab initio constituta in Ecclesiis judicia, quae censuram de moribus agerent, animadverterent in vitia, et exercendo clavium officio praeessent. Cap. XII. §. 2. *Primum disciplinae fundamentum est, ut privatae monitiones locum habeant: hoc est, siquis officium sponte non faciat, aut insolenter se gerat, aut minus honeste vivat, aut aliquid admiserit reprehensione dignum, ut patiatur se moneri: atque ut quisque fratrem suum, dum res postulabit, monere studeat. Praesertim vero in hoc advigilent Pastores ac Presbyteri, quorum partes sunt non modo concionari ad populum, sed per singulas domos monere, et adhortari, sicubi universali doctrina non satis profecerint. — Tunc enim vim et auctoritatem obtinet doctrina, ubi minister non tantum omnibus simul exponit, quid Christo debeant, sed jus et rationem habet id ipsum exigendi ab iis, quos vel parum doctrinae obsequentes vel segniores animadvertit. Si quis ejusmodi monitiones*

vel

vel pervicaciter respuat, vel pergendo in ſuis vitiis contemnere ſe ostendat: ubi ſecundo testibus adhibitis monitus fuerit, ad Eccleſiae judicium, qui est Seniorum conſesſus, vocari Christus praecipit: illic gravius admoneri, quaſi publica auctoritate, ut ſi revereatur Eccleſiam, ſubjiciat ſe et pareat. Si ne ſic quidem frangatur, ſed in ſua nequitia perſeveret, tum jubet, tanquam Eccleſiae contemptorem, a ſocietate fidelium abdicari.

In Commentario in Acta Apost. cap. XX: 20. ubi inducitur Paullus Apostolus, Eccleſiae Epheſinae Presbyteris in memoriam revocans industriam, qua publice ac *per ſingulas domos* Epheſi docuerat, Calvinus haec ſcribit. *Neque enim hac lege ordinavit Pastores Christus, ut tantum in commune Eccleſiam doceant in publico ſuggestu: ſed ſingulas oves curent, vagas et palantes reducant in ovile, fractas et luxatas conſolident, aegrotis medeantur, debiles et infirmas ſublevent. Saepe enim frigebit communis doctrina, niſi privatis monitionibus juvetur. Quare minime excuſabilis est eorum negligentia, qui habita una concione, quaſi penſum ſolverint, in reliquum tempus ſecuri degunt: ac ſi in templo vox eorum incluſa foret, quum inde egresſi prorſus obmutescunt. Monentur etiam discipuli, ſi quidem in Christi gre-*

grege censeri velint, locum esse dandum Pastoribus, quoties ad eos accedent: nec privatas admonitiones esse refugiendas. Ursi enim potius sunt quam oves, qui pastorum vocem non nisi in theatro audire dignantur: domi autem moneri et reprehendi non sustinent, imo ferociter repellunt tam necessarium officium.

His, quae universe de disciplina Ecclesiastica, ac nominatim de privatis admonitionibus, monuit in scriptis suis Calvinus, pauca addere lubet ex iis, quae retulit de gubernationis ratione, in Ecclesia Genevensi, cui praeerat, usitata, in *Epistola* ad Gasparum Olevianum, Nonis Novembris, a. 1560. (16). *Nemini,* inquit, *ante ad sacram Christi Coenam patet accessus, quam fidem suam professus sit. In eum finem quotannis habentur quatuor examina, ubi interrogantur pueri, ac de profectu cujusque cognoscitur. Nam etsi singulis diebus Dominicis in Catechismo jam incipiunt aliquod testimonium dare: donec tamen cognitum fuerit Ministri judicio mediocriter in summa Religionis profecisse, ad sacram mensam accedere non licet. Quod ad majores natu spectat, a nobis quotannis repetitur inspectio cujusque fa-*

(16) *Operum*, Tom. IX. Part. II. pag. 142.

familiae. Distribuimus inter nos urbis regiones, ut ordine singulas decurias excutere liceat. Adest Ministro comes unus ex Senioribus. Illic novi incolae examinantur. Qui semel recepti sunt, omittuntur; nisi quod inquiritur sitne domus pacata et recte composita, num lites cum vicinis, num qua ebrietas, num pigri sint et ignavi ad conciones frequentandas.

Ex hac Calvini epistola quodammodo rationem cognoscimus, quam strenuus ille disciplinae Ecclesiasticae vindex, una cum collegis, in Ecclesia Genevensi, anno 1560. secutus fuerit, in visitatione domestica. Namque, suadente, ut videtur, Calvino, iam anno 1550. decretum fuerat, (teste Beza, in Calvini *vita*) *ut Ministri non tantum in concionibus, quas alii negligebant, alii non magno cum fructu audiebant, sed etiam sigillatim per domos et familias, certo anni tempore, adhibito cujusque regionis urbis Decurione, itemque Presbytero, plebem instituerent, et ab unoquoque fidei rationem summatim exposcerent.* Qua ex re, ut scribit Beza, *vix credibile est, quantus sit fructus consequutus.* Proinde quoque huiusmodi decretum denuo a Senatu populoque Genevensi confirmatum est, in Codice Legum Ecclesiasticarum et Scholasticarum, die 13 Novembris,

anni

anni 1561. factarum, qui eo ipso anno Geneuae editus est et hoc titulo inscriptus: *Les Ordonnances Ecclesiastiques de l'Eglise de Geneve. Item, l'Ordre des Escoles de la dicte Cite.* Quo in Codice, pag. 44, 45, de visitandis Ecclesiae sociis, haec praecipiuntur. *D'autant qu'en la confusion de la Papauté plusieurs n'ont esté enseignez en leur enfance, tellement qu'estans en aage d'hommes et de femmes ne sauēt que c'est de Chrestienté: nous auons ordonné qu'il se face visitation chacun an par les maisons, pour examiner chacun simplement de sa foy, afin que pour le moins nul ne vienne à la Cene sans sauoir quel est le fondement de son salut: et sur tout qu'on ait l'oeil sur seruiteurs, chambrieres, nourrires et gens estranges estans venuz d'ailleurs ici pour y habiter: afin que nul ne soit admis à la Cene deuant qu'auoir esté approuué. Que la dicte visitation se face deuant le Cene de Pasques et quo'n prene assez bonne espace de temps pour auoir loisir de la paracheuer. Que les Ministres partissent entre eux selon qu'ils auiseront, les quartiers ausquels ils pourront fournir, mesmes qu'ils suiuent l'ordre des dizaines: et que chacun ait auec soy vn des Anciens du Consistoire, afin qu'ils puissent cōsulter entre eux de remettre au Consistoire*

ceux

ceux qu'ils ne trouueront nullement capablés, ou bien qui se gouuerneront mal: et que le dizenier soit tenu de leur faire compagnie et les adresser, afin que nul ne soit exempté de respondre.

Haec igitur satis nos docent, quae fuerit Calvini sententia, de disciplina Ecclesiastica, nominatim de parte ea, quae adhibetur in visitatione domestica. Eandem Patribus Vesaliae congregatis fuisse mentem, colligere licet, cum ex canonibus, §. 5. laudatis, tum e *Confessione Fidei*, art. 27—32. 36. et *Catechismis Genevensi*, quaest. ult. ac penult. et *Heidelbergensi*, quaest. 82—85. Has enim Consensus Formulas illi, Canonum cap. II. art. 8. et cap. III. art 2. receperunt ac commendarunt.

Cernitur quidem duplex discrimen, inter inspectionem, Genevae ex Calvini mente invectam, et visitationem a Synodo Vesaliensi commendatam. Verum utriusque discriminis causa unice quaerenda videtur, in conditione Ecclesiae Belgicae longe diversa a Genevensis Ecclesiae ratione. Haec enim Euangelii interpretibus gaudebat, quorum penuria laborabant coetus Belgici: quapropter inspectionis cura Genevae his Antistitibus principe loco imponi potuit, non item in Belgio. In eo igitur unum fuit utriusque Ecclesiae discrimen. Alterum or-

tum est e vinculo, quo Genevae magistratus civilis iunctus erat cum Ecclesiae praefectis: qua fieri poterat, ut una cum his etiam delegati e magistratu in familiarum inspectione suas haberent partes; cuiusmodi vinculum in patria nostra, tempore Synodi Vesaliensis, h. e. anno 1568. nec fuisse, nec prospici potuisse, vix est quod moneam.

§. 7.

Consulenda ratio aliarum Ecclesiarum ante Belgicam repurgatarum.

Ex iis, quae §§. 5, 6. diximus, recte colligi videtur, Synodum Vesaliensem secutam fuisse Calvini mentem et Ecclesiae Genevensis exemplum, quoad per rerum temporumque adiuncta ei licuerit. Quo vero certius constet, non aliunde repetendam esse consuetudinem, ab ea Synodo commendatam, conferamus instituta aliarum Ecclesiarum, seculo XVI. ante Belgicam repurgatarum, quarum exemplum etiam facile vim habere potuerit in animum Patrum Vesaliensium.

Quae quidem comparatio magis etiam instituenda videtur propterea, quod ipsi hi Patres profiteantur, aliarum Ecclesiarum consilia ab

ip-

ipsis fuisse quaesita et adhibita. In Prologo enim, canonibus praemisso, haec scribunt.

De Apostel gebiedt, dat alles in de Kercke ordentelick, ende eerbaarlick moet toegaen; op dat een eenparige toestemminge in de Kercke blijcke, ende gevonden worde, niet alleen in de Leere, maer oock in de zelve ordre, ende Politie: ende om dusdanige eenpaerigheyt oock in alle Nederlantsche Kercken te onderhouden, soo heeft ons goet gedacht dese volgende articulen, waer over raet gepleegt is by de best-Gereformeerde Kercken in andere plaetsen, ordentlick hier voor te stellen, op dat die alle met gemeyne toestemminge van de Dienaren Gods in Nederlant tot een salige vrucht der Gemeynte besegelt, ende onderhouden mogen werden.

§. 8.

Ecclesiae Emdanae ratio.

Primum igitur contemplemur Ecclesiam Emdanam, quae merito nutrix Ecclesiae Belgicae dicitur, (17) et missis Euangelii interpretibus ei

(17) Conf. Eduard Meiners, *Oostvrieschlandts Kerkelijke Geschiedenisse*, 1 D. bl. 363-365. 411-415.

ei diu profuit. Ex ea ad Synodum Vesalienſem missi fuerunt Henricus Michaël, Senior coetus Walonici et alii nonnulli, quos laudat 's Gravesandius. (18) Fuere etiam e Synodi sociis, qui Emdae tutum invenerant refugium: in his Marnixius. (19) Itaque facile quis coniiciat, huius Ecclesiae exemplum secutos fuisse Patres Vesalienses, in visitatione domestica commendanda. Sed frustra: qui enim res Emdanas Ecclesiasticas diligenter perscrutatus est, Meinersius (20) scribit, statutis visitationibus domesticis, quae in Belgio habentur, Seculo XVI et XVII. locum non fuisse in Ecclesia Emdana.

Heino Herm. Brucherus, *Gedenkb. van Stad en Lande*, bl. 46, 47. 248. 250. 252. Eiusdem *Geschied. van de opkomst der Kerkherv. in de Prov. Gron.* bl. 115. 202. 230. Helias Meder, *Eeuw-Jubel-Predikatien op het derde Eeuwfeest der Emder Reformatie*, bl. 127-131.

(18) Lib. laud. p. 223, 224.

(19) Conf. Meiners, lib. laud. Vol. I. pag. 420-424.

(20) Lib. l. Vol. II. p. 647.

§. 9.

Ratio Ecclesiae Belgicae Londini exulantis.

Postquam sacra publica in Anglia, regnante Eduardo VI. anno 1548. erant repurgata, multi, cum alii, tum etiam Belgae, in patria sua vexati, Londinum confugerunt, in eaque urbe Ecclesiam condiderunt, probante Rege, diplomate edito die 24 Iulii, a. 1550. Verum magna eorum pars, mortuo Eduardo, regnante Maria, a. 1553. alibi tutiores sedes quaesivit. (21) Haec igitur Ecclesia singularem habuit rationem, cum sacrorum publice celebrandorum, tum etiam disciplinae Ecclesiasticae. Utrique non pauca insunt plane ad Calvini mentem composita, in his, quae locum habuerunt, in Coena Domini nostri celebranda, et in praeparandis ad eam conviviis. (22) Ad praesentem can-

(21) Conf. Ioann. Utenhovii *simplex et fidelis narratio de instituta ac demum dissipata Belgarum, aliorumque peregrinorum in Anglia Ecclesia*, Basil. 1560.

(22) Conf. Joann. a Lasco *forma ac ratio tota ecclesiastici Ministerii, in peregrinorum, potissimum vero Germanorum Ecclesia, instituta Londini in Anglia*, Francof. 1555. pag. 138-260. uti et *Formula S. Coenae celebrandae*, in Liturgia Ecclesiae Belgicae, Londini de-

causam proxime pertinet, quod Ecclesiae illius antistitibus impositum fuit munus, sive publice sive privatim, cum singulis sociis colloquendi, eosque ad iustam sacrae Coenae celebrationem praeparandi. Quod quomodo factum sit, ex ipsa narratione Ioannis a Lasco, huic Ecclesiae praefecti Superintendentis, colligi poterit. *Intra quindecim dies*, (qui S. Coenae celebrationem antecedunt) *admonitio semper ad eos, qui sunt in Ecclesia, habetur, post pomeridianam quamlibet concionem, de nostri ipsorum exploratione, ad hunc modum. Confident unà Ministri et Seniores omnes in totius Ecclesiae conspectu. — Pars quaeque Ecclesiae per suas vices admonitioni huic adesse iubetur: ut qui in ea Ecclesiae parte censentur, quae adesse iubetur, et admonitionem ipsam audiant, et nomina demum sua in novum catalogum conscribi sinant Admonitionem porro facit Minister aut Seniorum aliquis. — Facta admonitione, iubentur qui adsunt ordine suo omnes ad Ministros et Seniores Ecclesiae, alii post alios accedere: ut nomina omnium qui Coenae* Do-

degentis, quam Godfridus Wingius adiecit Psalmorum rhythmicae interpretationi, a Ioanne Utenhovio procuratae. (*de Psalmen Davidis in Nederlandischer sangsrijme*) Lond. 1566. fol. 26 verso — 39.

Dominicae participare volunt, denuo adnotentur. Ibi vero Seniores singulos observant, et quot aut admonitione aliqua aut consolatione, aut etiam reprehensione opus habere norunt, eos modeste ac graviter admonent, consolantur aut reprehendunt. Neque prius nomen cuiusque adnotatur, quam per Seniores omnes approbetur. Quod si quis privata eaque longiore admonitione opus habere videatur; aut alicubi alioque in doctrina ita haereat, ut paucis instrui non possit, tum huic tali tempus constituitur, ut aliquem Ministrorum aut Seniorum ante Coenae administrationem conveniat: aut simul ad omnes Ministros et Seniores in coetibus ipsorum vocatur, si quidem id res postulare videtur. Seniores autem Ecclesiae seduli sunt toto interea tempore, in inquirendis et componendis in tota Ecclesia dissidiis, et in corripiendis item atque ad resipiscentiam revocandis contemptoribus omnibus privatarum admonitionum: si qui sint ad illos hoc nomine delati, priusquam ad excommunicationem perveniatur. Haec refert Nobilis ille Polonus: mox vero hoc institutum laudans subiicit. *Estque haec talis cura Ecclesiae valde utilis, et plane necessaria: id quod nos in dies magis ac magis experimur. Continet enim in officio, et Ministros Ecclesiae omnes et totam vicissim*

Ec-

Ecclesiam. Facitque, ut magna familiaritas inter Ministros et Ecclesiam totam ineatur: et omnia Ecclesiae incrementa aut decrementa semper ob oculos Ministrorum ac Seniorum Ecclesiae ponit.

Haec igitur Belgarum, Londini in peregrinorum Ecclesiam congregatorum, instituta comparantes cum Synodi Vesaliensis decretis, videmus quidem in utrisque simile disciplinae Ecclesiasticae studium, similem quidem curam in praeparandis Christianorum animis ad S. Coenam *rite* ac salubriter celebrandam: at antistites Londinenses Ecclesiae socios non in eorum aedibus convenerunt, quod praecipit Synodus Vesaliensis; sed, in solenni multorum conventu, singulos ad colloquium invitarunt. Praeterea, non nisi instante S. Coena, ea collocutio Londini fuit instituta, qua ad celebrandam Christi pro nobis mortui memoriam singuli sodales praepararentur: Patres vero Vesalienses suo instituto universe spectarunt utilitatem, e frequentiore admonitione sperandam. Denique, in coetu Londinensi, partes quidem non exiguae tributae sunt *Senioribus*; attamen praecipua opera commendata fuit Euangelii interpretibus: contra Vesalienses totum illud visitationis negotium Senioribus commiserunt.

§. 10.

§. 10.

Ecclesiae Palatinae ratio.

Nullius Ecclesiae rationem in doctrina et ritibus sacris Belgae magis imitati sunt, quam Palatinae. Cuius rei exemplum dedit Synodus Vesaliensis. Haec enim Catechesin Palatinam, a. 1563. Germanice editam, mox a Petro Datheno in Belgicum sermonem conversam et a. 1566. Psalmis rhythmicis ab eo editis adiectam, normam esse voluit, ad quam institutio populi Belgici, repurgatam religionem amplexi, publica et catechumenorum privata adaptaretur, cap. III. can. II. Deinde etiam, in paedobaptismi ac S. Coenae ritibus celebrandis, adhibendas censuit formulas, a Datheno Catechesi subiectas, (23) easque magnam partem ad exemplum Palatinarum expressas, cap. VI. can. 4. 13. Hic enim fortis religionis reformatae in Ger-

(23) Dathenus, in praefatione, laudatae Psalmorum editioni praemissa, scripta die 25 Martii, 1566. haec scribit: *Op dat oock die Christelicke Leser een volkomen handtboexken hebben mochte, hebbe ick den Christelicken Catechismum, ende den voernaemsten deel der Kerckenordeninge ende der gebeden, so die by ons* (h. e. in Ecclesia Franckenthalensi) *gebruyct sijn, totten Psalmen laten drucken, alles tot beteringhe der kercken Christi.*

Germania et Belgio propugnator, Synodus Vesaliensis Praeses, aliquot annos in Palatinatu degerat, Frederici III. Electoris legationem obierat, eoque tempore Ecclesiae Frankenthalensi in Palatinatu praeerat. (24)

His igitur facile induceremur, ut coniiciamus, Synodum Vesaliensem, in visitatione domestica suadenda, secutam quoque fuisse Palatinae exemplum Ecclesiae. Attamen secus factum esse, discimus e Forma in Palatinatu adhibita, qua convivae ad sacram Coenam praepararentur. (25) Huiusque rei testis etiam est Thomas Erastus, Medicinae Prof. Heidelbergensis, (26) qui

(24) Conf. Ens, lib. I. p. 58-63. Is. le Long, *Historisch Verhaal van den eersten oorsprong der Nederl. Geref. Kerken onder 't kruys*, §§. LXXXVI. LXXXVII. W. te Water, *Lof en laster van P. Dathenus*, adi. eius *Historie der Hervormde Kerke te Gent*, p. 189-221. J. W. te Water, *Verhaal der Reformatie van Zeeland*, p. 84-89. et 's Gravezande, lib. I. p. 143-145. 152-171. 201-204.

(25) *Kirchenordnung, wie es mit der Christlichen Lehre, heiligen Sacramenten, und Ceremonien, in des Durchleuchtigsten Hochgebornen Fürsten und Herren, Herrn Friderichs, Pfaltzgraven bey Rein, — Churfürstenthumb bey Rhein, gehalten wird.* Heidelb. 1565. fol. 79 verso — 85.

(26) Conf. Th. Erasti *explicatio gravissimae quaestionis, utrum Excommunicatio — mandato nitatur Divino*,

qui in excommunicatione damnanda adversarium expertus est Dathenum. (27)

Ex his igitur, quae §§. 7-10. attulimus, satis constare nobis videtur, Patres Vesalienses, in Ecclesià, neque Emdana, neque Belgarum aliorumque peregrinorum Londinensi, neque Palatina, invenisse exemplum visitationis domesticae ante S. Coenae celebrationem adhibendae. Quapropter nobis, instituti huius orginem quaerentibus, in Calvini et Genevensium ratione, §. 6. subsistendum esse videtur.

§. 11.

Synodus Nationalis Emdana, a. 1571.

Vidimus initia visitationis domesticae, in Belgii coetibus repurgatis a Synodo Vesaliensi invectae. Ex his, veluti fonte, fluxisse videtur, quicquid, sive legis, sive consuetudinis, deinceps in Ecclesia Belgica exstitit et in hunc quoque diem locum suum tenet. Quod quomodo pedetentim factum sit, sublatis etiam impedimentis, quae multorum obiecit dissensio, nunc erit explorandum.

Ve-

vino, an excogitata sit ab hominibus, scripta a. 1569. edita Pesclavii, (Londini) 1589. p. 149.

(27) Conf. Bullingeri epistolam, Petro Datheno scriptam, Erasti libro adiectam, p. 355-36.

Vesaliensi proxime subsecuta est *Synodus Ecclesiarum Belgicarum, quae sub cruce et per Germaniam et Frisiam Orientalem dispersae erant*, habita Emdae, diebus inde a quarto usque ad tredecimum mensis Octobris, a. 1571.

In Actis huius Synodi (28) nulla fit mentio visitationis domesticae, sive ante S. Coenam, sive alias, instituendae. Verum universa disciplina Ecclesiastica utrisque, *et* Euangelii interpretibus, *et* Senioribus, mandatur; et ita quidem, ut primarius locus illis detur, his secundarius. Articuli enim vicesimi quinti huiusmodi est argumentum: *Ecclesiasticam disciplinam in singulis Ecclesiis observandam esse censemus. Ministrorum itaque partes erunt, non solum publice docere, hortari, arguere: sed et privatim unumquemque officii sui admonere; qua in re et Seniores operam suam impendere oportet.* Quocum comparandi sunt alii tres. VI. *In singulis Ecclesiis consessus erunt seu consistoria ministrorum, seniorum et diaconorum, qui singulis ut minimum hebdomadibus habebuntur, loco et tempore,*

(28) Acta huius Synodi, uti et subsecutarum, quae ante Dordracenam annis 1618, 1619. fuerunt habitae, non nisi Belgico sermone, quod equidem sciam, sunt editae. Quae igitur ex his ducta Latine scripsi, sumere mihi licuit ex apographo Actorum, Latine scriptorum, in Bibliotheca Iodoci Heringae, V. C.

re, quae singulis commodissima videbuntur. XLI. *Ministri et Seniores Classium, quae sub cruce, in omnibus civitatibus et pagis Classium suarum, et vicinis, diligenter inquirent eos, qui propensi sunt ad puram religionem, ut eos ad officium hortentur.* XLII. *Itaque Ecclesias, aut saltem Ecclesiarum initia colligere studebunt,* caet.

De caussa, quare Patres Emdani visitationem domesticam non praeceperint, equidem nihil statuere ausim. Displicuisse eam vix credibile est. In pluribus enim rebus consentit utraque Synodus. Ex iis, qui in Vesaliensi sententiam professi sunt, denuo ad Emdanam convenerunt Hermannus Modetus et sex alii, quorum nomina in Actis Latine scriptis habentur. Quibus tamen non accensendus est Petrus Dathenus, quamvis ei non una caussa ab Emdanis fuerit demandata, art. III et XLVIII. (29) Praeterea, quae proxime Emdanam secutae sunt Synodi Nationales, domesticam probarunt visitationem. Itaque coniicere mihi liceat, hoc institutum non potuisse commendari Ecclesiis in Frisia Orientali et Germania, quarum delegati ad Synodum Emdanam convenerant. In ipsa certe Ecclesia Emdana illud, neque hoc seculo, nec proxime subsecuto, receptum fuisse, diximus §. 8.

(29) Hic articulus in Actis vernacule editis est L.

§. 12.

§. 12.

Synodus Provinciarum Hollandiae et Zelandiae, a. 1574.

Postquam, a. 1572. Brila, Hollandiae urbs, ab exulibus Belgis capta, et milites Hispani Flessinga, Zelandiae urbe, expulsi erant, pars utriusque Provinciae in libertatem vindicata fuit, adiuvante Guilielmo I. Itaque, a. 1574. quo caeterae Provinciae Philippi II. iugo adhuc suberant, Antistites, Ecclesiis Hollandiae et Zelandiae praefecti, Dordraci in Synodum coierunt, mensis Iunii diebus inde a sedecimo usque ad duodetricesimum.

In hac Synodo leges de disciplina Ecclesiastica, nominatim de admittendis et praeparandis fidem suam profitentibus ad Sacram Coenam celebrandam, scriptae sunt hae: LXVIII. *Men sal geen Avontmael des Heeren wtrechten, daer gheen forme van Gemeynte en is, dat is, daer niet eenighe Ouderlinghen ende Diaconen en sijn, die soe wel op die aenneminghe ende regeringhe der ghener, dia toeghelaten worden, acht hebben als die Dienaren des Woordts.* LXX. *Is beslooten, dat die ontfanginghe ende examinatie der ghener, die sich totter Ghemeynte begeven, ghelchieden sal voer*

voer een Dienaer ende twe Ouderlinghen, ofte voer twe Dienaers alleen. Ende sy sullen-se bestemmen by haer te comen nae haer ghelegentheit. LXXIII. *Het is der Dienaren ende Consistories Ampt vlytich acht te nemen, wie die Lidtmaten der Ghemeinte sijn, ofte voermaels gheweest sijn. Item off sij telcker nachtmaele communiceren: soo niet, hen in bysonder aen te spreecken, off daer affterdencken is, in leere ofte leven. Soo 't niet en helpt, voer die Consistorie ontbieden ende vermanen, die verachters waarschouwen ende dreigen met Godes gherecht: ende so dat alles niet en helpt, met die Classe raedtslaghen; doch dat men niet lichtveerdichlick totter Excommunicatie en come.*

His igitur legibus disciplinae Ecclesiasticae ratio in recentes Hollandiae et Zelandiae coetus fuit invecta: universe quidem similis ei, quae, ad Calvini mentem, commendata fuerat a Synodo Vesaliensi; non una tamen parte accommodata ad rerum temporumque adiuncta. *Primum* enim cura, singulos Ecclesiae socios in aedibus suis admonendi, a Patribus Dordracenis a. 1574. non magis Senioribus fuit imposita, quam Euangelii interpretibus, quod factum fuerat a Vesaliensibus. Hac igitur parte secuti sunt decreta Synodi Emdanae, cuius saepius men-

mentionem iniiciunt. Vid. Art. I. IV. IX. XII. XXVII. XXXI. LXXXII. In ea enim libertate, qua fruebantur Hollandiae ac Zelandiae coetus, nihil amplius impediebat, quo minus primae darentur partes Ministris docentibus. *Deinde* etiam Dordraceni non iterarunt praeceptum de visitatione, singulis dierum hebdomadibus repetenda. Docuisse eos videtur usus et experientia, nimis molestam, quin et supervacaneam noxiamque esse istam salutationis frequentationem. Hanc etiam impediebat paucitas virorum satis idoneorum et paratorum ad fungendum Seniorum munere, maxime in coetibus ruralibus: cuius rei manifesta sunt indicia in huius Synodi actis, art. IV. et LXVIII. Coetus autem rurales multi memorantur art. IX. *Porro* Synodus Dordracena in eo quoque a Vesaliensi discedit, quod gubernandae Ecclesiae curam Antistitibus imponens, non singularem mentionem faciat admonitionis, *praecipue* instante sacra Coena adhibendae, neque etiam omnes, nullo discrimine habito, privatim monendos existimet; sed hos nominatim, qui S. Coenae celebrationem negligant. *Denique* Patres Dordraceni Evangelii interpretibus, aedes sociorum adeuntibus, singularem imposuerunt curam inquirendi in libros noxios de iisque abiiciendis monendi: cuiusmodi cura, neque a Vesaliensibus, neque

ab

ab Emdanis iis fuit demandata. Etenim art. III. haec praecipiuntur: *Tot uytroeijinghe der valscher Leeringhe ende dwalinghen, die door het lesen der ketterscher boecken toenemen, sal men die middelen ghebruycken die hiernae volghen. - - - - - - Ten derden, sullen de Dienaers in de Huys-besoeckinge der Lidtmaten der Ghemeente naerstelick toesien, of in hare huysen eenige schadeliche Boecken sijn; opdat se hen vermaenen moghen, sulcke Boecken weck te doen.*

Caeterum leges in hac Synodo scriptas non omnino placuisse, aut Guilielmo I. aut Hollandiae ac Zelandiae Ordinibus, colligere licet ex iis, quae retulerunt Ioann. Uytenbogaert, (30) Iacobus Triglandius (31) et Gerardus Brandt. (32)

§. 13.

Synodus Nationalis Dordracena, a. 1578.

In rebus Belgii etiamnum valde dubiis ac tur-

(30) *Kerckelijcke Historie*, Rott. 1647, p. 175-177.
(31) *Kerckelijcke Geschied.* p. 163, 164.
(32) *Historie der Reformatie*, Vol. I. p. 554, 555, 559, 560. 566-578.

turbatis, a. 1578. delegati Ecclesiarum Belgicarum, sive vernaculo, sive Walonico sermone utentium, etiam extra patriam degentium, coierunt in Synodum nationalem, Dordraci habitam, inde a secundo Iunii die usque ad duodevicesimum.

Hac in Synodo, cuius Praeses iterum fuit Petrus Dathenus, disciplina Ecclesiastica in singulis coetibus administranda certa lege constituta fuit, articulis XCII–C. quorum primus huius est argumenti. *Quoniam Dominus Christus, praeter ministerium verbi ac sacramentorum, etiam admonitiones ecclesiasticas instituit, ministrorum officium est, non tantum publice monere, exhortari, reprehendere ac refutare, verum etiam singulos privatim officii sui admonere. Quemadmodum vero Christiana censura spiritualis est et neminem a punitione magistratus liberat: ita vicissim praeter poenas politicas ad peccatorem Deo proximoque suo reconciliandum, scandalumque ex Ecclesia Christi tollendum, correctiones ecclesiasticae necessario requiruntur.* Itaque privata admonitio, hoc in canone, nominatim, non Senioribus, sed Euangelii interpretibus, mandatur.

Verum haec ipsa Synodus, modum S. Coenae celebrandae ad eamque Ecclesiae socios admittendi ac praeparandi, articulis LXIV–LXXIII.

prae-

praescribens, omnium prima singulorum coetuum antistites, cum doctrinae Christianae interpretes, tum Seniores, iussit, instante S. epulo, Ecclesiae socios convenire et ad convivium Domini rite celebrandum praeparare: ita tamen, ut adiri iuberet, non definite singulos, sed universe *socios, praesertim imbecilliores et quibus eo remedio prae caeteris opus foret.* Articulus enim LXVII. his scriptus est verbis. *Ministri et Seniores antequam Coena administratur membra Ecclesiae invisent, praesertim infirmiora, et quae hoc remedio maxime opus habent, ut docendo, monendo, consolando et simultates obortas componendo, Ecclesiam sacrae illi actioni, quantum in se est, rite praeparent.*

Huius Synodi acta Ordinum Generalium auctoritate non fuere sancita. (33) Nec negligendum est, huic Synodo, ex Belgii provinciis septentrionalibus, non nisi coetuum Hollandorum et Zelandorum delegatos interfuisse. (34)

(33) Conf. Uyttenbogaert, lib. I. p. 193, 194. Triglandius. loc. l. Brandt, lib. I. p. 603-606.

(34) Conf. nomina eorum, qui huius Synodi Actis subscripsere, in *Kerkelijk Placaatboek*, Vol. III. p. 463, 464. et quae ad ea annotavit I. W. Te Water.

§. 14.

Synodus nationalis Mediobургensis, a. 1581.

Decreverat Synodus Nationalis Dordracena, a. 1578. art. XLV. (al. XLIV.) Nationalem Synodum ex ordine tertio quoque anno esse celebrandam. Itaque, quandoquidem prima congregata fuerat in Hollandia, secunda in Zelandiae urbem Medioburgum convenit, a. 1581, mense Iunio, non repugnantibus Ordinibus Generalibus.

Haec igitur Synodus visitationem quidem domesticam, instante S. Coena instituendam, probavit, eius vero curam, non Euangelii interpretibus, sed Senioribus mandavit, secuta hactenus *Synodi* Vesaliensis exemplum. Articulo enim Actorum Latine scriptorum VIII. officium eorum, qui *Verbi Ministri* dici solent, sic describitur: *Ministrorum verbi officium est, precibus et verbo annunciando incumbere, Sacramenta administrare, una cum Senioribus, tum disciplinam Ecclesiasticam exercere, tum ut omnia decenter et ordine in Ecclesia fiant curare.* Articulo autem XVI. Seniorum partes hunc in modum definiuntur: *Seniorum officium est, praeter ea, quae communia cum Pastoribus illos habere*

dixi-

diximus, advigilare, ut Pastores, caeteri collegae et Diaconi suas partes fideliter exsequantur, et cum administranda est Coena Domini, illos, qui communicare solent, quo paratioribus id animis faciant, visere.

Mutati consilii caussam me latere, fateor. Attamen, si quid coniicere mihi liceat, ea erit quaerenda, in difficultate huius negotii, quam experti fuere Euangelii interpretes, in plurimis rebus gerendis occupati: quae quidem difficultas augebatur, crescente sociorum fidem repurgatam libere profitentium numero, uti et invecta frequentiore S. Coenae celebratione, quam suadebant hoc tempore Ecclesiae Belgicae antistites. Synodus enim Provincialis Dordracena, art. LXIX. operam esse dandam censuerat, ut singulis duobus mensibus exactis repeteretur Christi pro nobis mortui memoria in S. epulo. Et Synodus Nationalis, a. 1578. art. LXXIII. decreverat, *in bene constitutis Ecclesiis, secundo quoque mense, quantum fieri posset, administrandam esse S. Coenam.* Quarum ad exemplum etiam Medioburgensis, art. XLV. (al. XLIV.) hanc legem scripsit: *Coena Domini, quatenus fieri poterit, secundo quoque mense; ubi autem nondum constitutus est ordo Ecclesiasticus, non nisi prius electis Senioribus et Diaconis, administrabitur.* Quod autem de

D 2 prius

prius eligendis Senioribus et Diaconis additur, fatis docet, quam diligenter cavere voluerint Patres Medioburgenses, ne Coena S. administraretur nisi probatis et rite praeparatis Ecclesiae sodalibus.

Huius quoque Synodi acta et decreta ab Ordinibus Generalibus non fuere sancita. (35)

§. 15.

Formulae inaugurandorum antistitum, anno inter 1581 *et* 1586.

Hoc loco memorandae sunt duae Formulae, hoc tempore scriptae, ad Ecclesiae antistites solenni ritu pro concione inaugurandos: quarum una Euangelii interpretes, altera Seniores, muneri suo admoventur. Has enim Formulas a. 1581. nondum scriptas, certe nondum usu communi receptas fuisse, constat ex articulis IV et XV. Synodi Nationalis, eo anno Medioburgi congre-

(35) Conf. Uyttenbogaert, lib. I. p. 212, 213. Triglandius, lib. I. p. 166, 167. 169, 170. 192-212. Brandt, lib. I. Vol. I. pag. 673, 674. 677-681. W. te Water, *tweede Eeuw-getijde van de Geloofs-belijdenisse der Geref. Kerken van Nederland*, pag. 72-79. J. W. te Water, *Verhaal der Reformatie van Zeeland*, pag. 346-349.

gregatae, collatis cum Synodi Nationalis Dordracenae, a. 1578 celebratae, articulis V. et XII. Utraque autem Formula laudatur, utriusque usus praecipitur, in Actis Synodi Nationalis, quae a. 1586. Hagam Comitum fuit convocata, articulis VI. et XX. (36)

Ex his igitur Formulis cognosci possunt praecipuae partes, ab eo inde tempore publice impositae, tum Euangelii interpretibus, tum Senioribus. Quocirca etiam utriusque Formulae ratio videtur habenda, in hac disquisitione. (37)

In *Formula inaugurandorum Ministrorum verbi divini*, haec habentur, quibus indicari videtur munus admonendi singulos Ecclesiae sodales in eorum aedibus. *Der Herderen ofte der Dienaren des Woordts ampt is, Eerstelijck, dat sy des Heeren Woordt door de schriften der Propheten ende Apostelen gheopenbaert, grondelijck ende oprechtelijck haren volcke sullen voordraghen, ende 't selfde toeeyghenen, so int ghemeen als int bysonder, tot nutticheyt der toehoorders, met onderwijsen, vermanen, vertroosten ende bestraffen, na een yeghelijcx behoef.* Haec mox locis S. librorum, maxime Paulli dictis, probantur: cuius Apostoli exemplum

(36) Conf. Ens, lib. I. p. 232-240.

(37) Usus sum editione Medioburgensi, a. 1591, in 8.

plum quoque laudatur, his verbis: *op een ander plaetse stelt hy hemselven den Herderen voor tot een exempel, verclarende dat hy openbaerlijck ende inden huysen gheleert ende betuycht heeft de bekeeringhe tot God ende tgheloof in Jesum Christum.*

In *Formula inaugurandorum Seniorum* haec, de admonendis singulis Ecclesiae sociis, praecipiuntur. *Soo is dan ten eersten het ampt der Ouderlinghen, met den Dienaren des Woordts, opsicht te hebben op de Ghemeente die hen bevolen is: neerstelijck toe te sien, of een yghelijck hem behoorlijck draecht in belijdenisse ende in wandel, die haer onstichtelijck draeghen, te vermanen.* Porro, nonnullis interiectis: *Soo ist mede het werck der Ouderlinghen daer op acht te nemen, ende in allen voorvallenden saken die den welstant ende goede ordene der Kercke betreffen, met goeden raet den Dienaren des Woordts behulpich te zijn: ja oock met raet ende troost allen ghemeenen Christenen te dienen.*

Ex his igitur paulo crassius adumbratis, et cum universo utriusque Formulae argumento comparatis, colligimus, Ecclesiarum Belgicarum antistites eo tempore a coetuum repurgatorum Doctoribus et Senioribus postulasse diligentem et assiduam curam, in singulis Ecclesiae sociis privatim, in eorum etiam aedibus, admonendis; no-

noluisse autem eos, in publica inauguratione, singulas huius officii partes ac formas exponere. Quapropter cavendum est, ne ex hoc silentio colligamus, minoris habitam fuisse, aut visitationem domesticam, instante S. Coena peragendam, aut aegrotorum consolationem, aut catechumenorum institutionem, aut aliam quamcunque muneris ecclesiastici partem, in his formulis non consulto commendatam.

§. 16.

Synodus Nationalis Hagana, a. 1586.

Postquam Elisabetha, Angliae Regina, opem a Belgii Foederati Ordinibus imploratam tulerat, Comitemque Leicestrensem, Gubernatoris nomine, patriae nostrae praefecerat, huius auctoritate convocata est Synodus Nationalis, quae Hagae Comitum sedit, mense Iunio anni 1586.

In hac Synodo proposita est quaestio, de necessitate visitationis domesticae, ante S. Coenae celebrationem identidem repetendae: quae inter quaestiones motas fuit XIII. (38) *Beroerende voorts*

(38) Vid. *Poincten ende Artikelen begreepen in de Instructien der Gecommitteerden der Kerken op het Nationale Synode, beroepen in den Hage, den* 20 *Juny*, 1586. In *Kerkelijk Placaat-boek*, Vol. III. p. 513, 514.

voorts dat Avondmaal des Heeren, staat te bedenken, of het bezoeken der Lidmaten, voor hetzelfde zoo noodig zy, dat men het niet zal mogen nalaaten, na gelegentheid van de plaatsen? Ad hanc quaestionem responsum est in eandem sententiam, quam professa fuerat Synodus Nationalis Medioburgensis, a. 1581. Etenim partes, Euangelii interpretibus mandatae, in Ordine Ecclesiastico a Synodo Hagana constituto, sic describuntur, art. XIV. *Der Dienaeren Ampt is inden Gebeden, ende bedieninghe des Woorts aen te houden; die Sacramenten uyt te reyken; op hare Mede-broeders, Ouderlinghen ende Diakenen, mitsgaders de Ghemeenten goede acht te nemen; ende ten laetsten met die Ouderlinghen die Kerckelijcke Discipline te oeffenen, ende te besorghen dat alles eerlijk ende met order geschiede.* Seniorum vero officia, art. XXI. hoc modo traduntur. *Der Ouderlinghen Ambt is, behalven 't ghene dat boven, Artyckel veertien, gheseid is, hen met den Dienaeren des Woorts ghemeyn te zyn, opsicht te hebben, dat de Dienaeren, mitsgaders hare andere medehulpers, ende Diakenen, haer Ampt getrouwelyken bedienen, ende die besoeckinghe te doen, naer dat de ghelegentheijdt des tydts ende der plaetsen, tot stichtinghe der Ghemeynten, soo voor als naer het*

het Nachtmael, kan lyden, om bysonder de Lidtmaten der Ghemeynten te vertroosten ende te onderwysen, ende oock andere tot de Christelijcke Religie te vermanen.

Synodus igitur Nationalis Hagana non magis quam Medioburgensis Euangelii interpretibus imponere voluit officium, singulorum sociorum aedes toties adeundi, quoties celebranda esset S. Coena. Cuius rei causa eadem fuisse videtur Patribus Haganis, quae fuerat Medioburgensibus: etenim, prouti hi, ita et illi S. Coenam sexies quotannis celebrandam esse iudicarunt, art. LVI.

Sed in eo Hagana Synodus a Medioburgensi discessit, quod Seniores iusserit singulos socios convenire admonendi causa, non quidem definite, *instante S. Coena*, sed cum aliquo temperamento, *sive antequam ea celebretur*, *sive postea*, *pro temporis locorumque opportunitate*; neque adeo hunc in finem, ut praeparent singulos ad S. Coenam eo melius celebrandam, sed praecipue ut Ecclesiae sociis prosint consolando et docendo, simul etiam *ut alios ad religionem Christianam* profitendam *admoneant*. Cuius quidem mutati consilii causa similiter videtur quaerenda in difficultate, quam Seniores fuerint experti, in eodem illo praeparandi negotio, identidem post bimestris temporis spatium apud singulos repetendo.

Quam-

Quamvis haec Synodus fuerit Nationalis, ad eam tamen non e singulis regionibus convenerunt delegati. Quoad enim scimus, missi sunt ex Hollandia boreali tres, ex australi septem, e Zelandia quatuor, e Flandria unus, e Gelria et Transisalania quatuor, e Frisia tres, e regione Rheno-traiectina duo, et e coetibus Walonicis duo. (39)

Huius Synodi Canones non ab Ordinibus Generalibus, sed a' Comite Leicestrensi, qui ipse tres legatos in ea habuerat, fuere sancita. Deinde vero Ordines Hollandiae eos, interpositis quibusdam conditionibus, tantisper admiserunt. (40) Probarunt etiam Zelandiae Ordines aliquamdiu. (41) Et qui in regione Rheno-Traiectina eo tempore plurimum valebant, eorum observationem ursisse videntur. (42) In caeteris Provinciis frustra de eo laboratum videtur. (43)

§. 17.

(39) Hoc e Gallica versione Actorum refert W. te Water, lib. I. p. 79-85. Attamen plures affuisse colligas ex iis, quae refert P. Bor, *Nederl. Oorlogen*, Vol. II. p. 795.

(40) Conf. *Kerkel. Placaatb.* Vol. III. p. 540, 541.

(41) Conf. J. W. te Water, *Verhaal der Reformatie van Zeeland*, p. 447, 548.

(42) Conf. P. Bor, lib. I. Vol. II. p. 839. et Brandt, lib. I. Vol. I. p. 718.

(43) Conf. P. C. Hoofts, *Nederl. Historien*, bladz. 1117.

§. 17.

Contraria eorum studia, qui visitationem domesticam nolebant.

Postquam Comes Leicestrensis, exeunte anno 1587. iubente Elisabetha Angliae Regina, Gubernatoris provinciam, pessime administratam, posuerat, Provinciarum Ordines sibi maiorem, quam antea, in rebus ecclesiasticis moderandis auctoritatem vindicarunt. In canonibus enim ecclesiasticis non pauca iis displicebant, nimiam auctoritatem coetuum S. antistitibus horumque conventibus tribuere visa, probata tamen a Comite Anglo, Ecclesiasticis favente. Nec deerant, ex ipsis quoque Euangelii interpretibus, qui, in iudicio de auctoritate antistitum, de synedriis habendis atque disciplina ecclesiastica administranda, magis in Helvetiorum quam Genevensium rationem inclinarent.

Itaque non paucis displicebat probatio ab Ecclesiae antistitibus instituta cum singulis, qui repurgatis coetibus adscribi vellent. Cuique enim, fidei suae sibi conscio et Ecclesiae reformatae sacris sese addicenti, ius competere arbitrabantur, una cum sociis sacram celebrandi coenam. Omnem proinde inquisitionem, ab Euangelii interpretibus et Senioribus factam, repudia-

diabant. (44) Iccirco aegrius ferebant sedulitatem Antistitum, quotannis saepius singulorum domicilia adeuntium, in sociorum vitam inquirentium, morumque censuram qualemcunque instituentium.

Hinc igitur orta sunt varia hominum, cum politicorum, tum ecclesiasticorum, studia et instituta. Hinc quoque repetenda videtur quaestio, de necessitate visitationis identidem ante S. Coenam instituendae, proposita in Synodo Hagana, a. 1586. Quandoquidem igitur ista multorum studia non potuerunt non vim habere in le-

(44) G. Brandt, *Historie der Reformatie*, Vol. I. pag. 559, 560. 567-578. 588-590. 714, 715. 724-731. 817-824. Huius rei quoque indicium est in Quaest. Synodo Nation. Medioburgensi a. 1578. proposita: *Oft gheoorloft zij, tot den Avontmael des Heeren toe te laeten den ghenen, die den Bijbel alleen voor Godes woort bekennen, maer die ghewoonelicke vraghen, die men den ghenen voorhout, die ten Avontmael des Heeren gaen sullen, niet beantwoorden noch daerinne bewillijgen willen?* Quam ad quaestionem Synodus hunc in modum respondit: *Die Kercken sullen haer ghewoonelicke wijse van die belijdenisse des gheloofs af te eijsschen, onderhouden, ende een yegelick is schuldich reeckeninghe sijns gheloofs te geven nae der leere Petri; want het oock niet en behoort, dat men een ghemeen gebruyck der Ghemeenten om sommijge besondere personen veranderen soude.*

leges ecclesiasticas, sive veteres conservandas, sive novas condendas, eorum a me ratio hoc loco habenda est. Cum vero in aliis novae reipublicae regionibus et urbibus alia fuerint tentata actaque, distributio mihi facienda erit: ac de singulis, quorum mihi notitiam comparare potui, nonnihil erit dicendum.

§. 18.

Recepta, sive lex, sive consuetudo, ante Synodum Dordracenam, a. 1618, 1619.
1) *in Gelriae Ducatu et Zutphaniae Comitatu.*

Ordinem aliquem Ecclesiasticum, in Synodis Nationalibus, ante Dordracenam annorum 1618, 1619. celebratis, constitutum, ab Ordinibus Ducatus Gelriae et Comitatus Zutphaniae fuisse probatum, nondum mihi in id inquirenti constat. Neque ullum huius rei vestigium invenio in Codice legum, ab his Ordinibus latarum, ne in iis quidem, quibus de religione ac rebus personisque ecclesiasticis statuitur. (45) Quod enim, in decreto diei 5 Fe-

(45) Conf. W. van Loon, *Groot Gelders Placaet-boeck*

Februarii, a. 1617. de componendis litibus, eo tempore agitatis, Ecclesiae ministri iubentur servare et sequi ordinem ecclesiasticum, *legibus nationalibus*, provincialibus et classicalibus constitutum, ex eo effici vix potest, Gelriae et Zutphaniae Proceres *ordinem* ecclesiasticum a *Synodo* nationali statutum, sua auctoritate probasse. (46) Contra vero, quae Gubernator, Cancellarius et Consiliarii, die 22 Februarii, a. 1583. et 6 Iulii, a. 1593. praeceperunt, de Pastoribus et Clericis examinandis et probandis, ea nequaquam composita sunt ad ordinem ecclesiasticum, quem Synodi Natio-

na-

boeck, II. Deel, kol. 12, 13, 22-24. 29, 39-42, 48, 49. 52-54. 57, 58. 79, 80. 90, 91. 97-99. 105.

(46) Verba decreti haec sunt: *Ende werden in name van Wel-gedachte Heeren Staten deser Lantschap de Kereken-dienaren van de voorseyde Nimmichsche Classen ghelast ende geordonneert, datse sich niet en sullen onderstaen mondelingh ofte schriftelyck, opentlyck of heymelyck, directelyck noch indirectelyck nieuwes voor te stellen, dryven, of verdedigen, dat in eenigher manieren soude mogen stryden of niet accorderen met de eenmael aengenomen leere der Gereformeerder Kercken. Onderhoudende ende volgende in allen poincten de Kerckelycke ordre in conformite van de Nationale, Provinciale ende Classicale resolutien, ende d' observantie in desen Furstendomb ende Graefschap daer op ghevolcht.* W. van Loon, lib. i. col. 148, 149.

nales annis 1578. 1581. et 1586. decreverant. (47)

Quam, sive legem, sive consuetudinem, hoc tempore secuti fuerint Antistites ecclesiarum in Ducatu Gelriae et Comitatu Zutphaniae, fateor me nescire. E legibus vero, quarum compendium, iubente Synodo Gelro-Zutphanica, edidit Johannes Smetius, J. F. a. 1699. (48) coniicere possis, Euangelii interpretes et Seniores, instante S. Coenae celebratione, singulos sodales convenisse, et de usu epuli sacri monuisse. Quamvis enim Smetii aetate nulla lex hanc curam Ecclesiae antistitibus imponeret, ille tamen canonem LXVII. Synodi Nationalis Dordracenae a. 1578. Sylloges suae capiti VI. inseruit, notatum articulorum numero XXXVIII. pag. 129. 130.

Lex.

(47) Conf. W. van Loon, lib. I. Vol. II. col. 22. 23. 39-41.

(48) *Synodale Ordonnantien ende Resolutien, tot nut, dienst en gerief der Kercken, onder de Chr. Synoden van 't Hertogdom Gelre en Graefschap Zutphen sorterende, na ordre van Hoog-gemelde Christelyke Synode, uitgegeven door* Johannes Smetius, *J. F.* Cuius libri editione usus sum secunda, locupletata legibus et decretis, inde ab a. 1699. usque ad a. 1735. vulgatis, eaque, iubente Synodo, in lucem emissa Neomagi 1736.

§. 18.

2. *In Hollandia australi et boreali.*

Monuimus, §. 16. Ordines Hollandiae et Westfrisiae canones ecclesiasticos, in Synodo nationali Hagana scriptos, non nisi cum magno temperamento probasse. Credebant enim, sibi plus auctoritatis in rebus sacris moderandis deberi, minus dandum esse Ecclesiae antistitibus, quam factum erat in illa Synodo, et antea in Medioburgensi, a. 1581. Quapropter iam anno 1583. suadente Guilielmo Arausiaco, periculum factum erat ordinis ecclesiastici ad magistratus civilis sententiam accommodandi: cuius formula nihil quicquam praecipiebat de visitatione domestica; de admittendis vero ad S. Coenam hanc suadebat rationem: Art. XIX. *Dat een ygelijck hem willende begeuen ten avontmaele des Heeren voor d' yerste reyse goets tijts van te voren hem sal vynden bij een vanden Kercken dyenaers, omme met hem vanden geloeve te confereren, ende daer naer sdaechs voor t houden des avontmaels hem vynden inder kercken, omme met den anderen de generaele belijdenisse des gelooffs bij monden vanden Kerckendyenaer te doen, omme tzelue gedaen tot den taeffel des Heeren toegelaeten te worden,*

ten

ten waere hem opde voorsſ. conferentie, ofte daer naer by den dyenaer geſeydt waere, dat hij om enijge openbaere ergernisſe, ofte ander letſell daer mede voor een tijt noch ſoude ophouden. (49) Verum hoc negotium eo tempore, per Guilielmi Principis mortem et Comitis Leicestrenſis gubernationem, ſuccesſu caruit. Sed, post huius abitum, denuo ſusceptum est, ſuadente Oldenbarneveldio, anno 1591. Itaque Hagam Comitum convocati ſunt ſedecim viri, octo politici totidemque eccleſiastici, quorum communi opera ordinis eccleſiastici formula, ante novem annos exarata, in meliorem redigeretur formam. Nova haec formula quadraginta et uno conſtabat articulis, quorum vigeſimus huius erat argumenti. *De jonge lieden beneden de* 18 *jaren, en alle de gene, die binnen twee jaren metter woone binnen de Stede, of plaetſe haerder reſidentie zijn gekomen, hen willende begeyen ten Avondmale des*

(49) Haec e ſuo manuſcripto mihi ſuppeditavit Vir Cl. Heringa. Conf. *Epist. Ordinum Hollandiae* Iacobo *Magnae Britanniae Regi* ſcripta, in *Epiſt. Eccleſ. et Theol.* p. 498. Uytenbogaert, *Kerckelijcke Geſchied.* p. 277, 278. Triglandius, *Kerckel. Geſchied.* p. 702. et Brandt, *Hiſt. der Reform.* Vol. I. p. 685, 686.

des Heeren, sullen voor d' eerste reyse goeds tijds van te voren hen vinden by een van de Kerken-Dienaers, om van den selven in den gelove onderrecht te worden, en hen bekent te maken respective. En andere boven de 18 jaren out zijnde, die zulke onderrechtinge in den gelove mede begeren, sullen hen ook tot gelijken eynde bij een van de Kerkendienaers vinden. En alle andere hen genoeg onderrecht houdende, sullen 't selve een van de Kerken-Dienaers verwittigen, of doen verwittigen, mede voor d' eerste reyse. En sullen alle te samen in de Predicatie, die tot de voorbereydinge des Avondmaels gedaen sal worden, hen vinden, om met den anderen, de generale belijdenis des Geloofs by monde van den Kerken-Dienaer te doen. En sal niemant van de Tafel des Heren afgehouden worden, dan de gene, die in de voorseyde onderrechtinge van den Kerken-Dienaers of om eenige openbare ergernisse, of ander letsel by den Kerken-Dienaers en Ouderlingen geseyt sal worden daer mede voor een tijd noch op te houden. (50) Nec quicquam praeterea, de visita-

(50) Articulum hunc descripsi e Petri Borrii, C. F. *Nederlandsche Historien*, Vol. III. p. 559. Amst. 1681.

tatione domestica, sive ante S. Coenam, sive alias instituenda, in nova hac formula reperitur. Verum neque haec satisfecit omnibus. Nam quinque urbium magistratus nimium in ea ecclesiae antistitibus concessum arbitrabantur: contra Synodi provinciales Hollandiae, cum australis, tum borealis, nimium magistratuum auctoritati datum sibi persuadebant. Quapropter eo quidem tempore nihil novi invectum fuit. (51) Sed cum deinceps exacerbatae fuissent lites de regimine Ecclesiastico et de nonnullis dogmatibus, Ordines, suadente Oldenbarneveldio, die 22 Decembris, a. 1615. ipsam illam formulam, quae ante viginti quatuor annos fuerat scripta, sua auctoritate sanciverunt. Quo minus vero hoc Ordinum decretum diu vim habuerit et efficacitatem, impediverunt, primum discordiae publicae, mox mutata rerum civilium et ecclesiasticarum ratio, denique Synodi Nationalis Dordracenae, annis 1618 et 1619. habitae, decreta. (52)

Quid

1681. Conf. Scheltus, *Kerkelijk Placaatboek*, Vol. II. p. 263.

(51) Conf. Bor, lib. I. p. 556-561. *Epist. Eccles. et Theol.* l. I. Uytenbogaert, lib I. p. 277-281. Triglandius, lib. I. p. 702-710. Brandt, lib. I. p. 771-774.

(52) Conf. Gull. Baudartius, *Gedenkw. Geschiedd.* VII.

Quid ab Ecclesiae moderatoribus, hoc tempore, praestitum fuerit, non nisi ex duobus indiciis historicis quodammodo coniicere mihi licuit. *Unum* cognovi ex annotatis Ypeii et Dermoutii, ad *Historiam Ecclesiae Belgicae reformatae*, venacule editam, (53) referentium, Synodo Hollandiae australis, anno 1593. visum fuisse, visitationem domesticam, Sacrae Coenae praeviam, nec prorsus negligendam, neque omnino urgendam esse. sed iudicium de eo, quod maxime conducturum videretur, singulorum coetuum prudentiae esse relinquendum. Unde colligas, coetuum, ad hanc Synodum per-

VII. Boeck, bl. 8-11. Uytenbogaert, lib. I. p. 590-594. 643-648. Triglandius, lib. I. p. 710-729. Brandt, lib. I. Vol. II. p. 170, 171. 311, 312. Scheltus, *Kerkelijk Placaatb.* Vol. II. p 252-272.

(53) In *Aanteekeningen op de Geschiedenis der Nederlandsche Hervormde Kerk*, Vol. I. p. 238. haec scribunt: *Een woord zij hier ook nog gezegd van de huisbezoeking der predikanten, zoo als men die noemt, voor het vieren van het heilig Avondmaal. Deze zoo nuttige inrigting schijnt wel al vroeg, doch niet algemeen, plaats gehad te hebben. Ten minste op de Zuidhollandsche Synode, in het jaar* 1593, *werd het wel niet raadzaam geoordeeld dezelve geheel na te laten, gelijk in sommige gemeenten geschiedde, maar toch aan de wijsheid der kerkenraden toevertrouwd. om daarin te handelen naar hetgene meest stichtelijk was.*

pertinentium, antistites nullam agnovisse aut legem aut consuetudinem, quae Euangelii interpretes (quidni et Seniores?) iuberet, identidem ante S. Coenam singulos adire sodales; in nonnullis coetibus eam visitationem prorsus fuisse neglectam; iudicium vero de eo, quod in singulis ecclesiis consultum sit, horum synedriis committendum esse. Id ipsum veri sit simile, collato *altero* indicio, ducto ex actis Classis Edamensis, die 17 Augusti, anni 1592. §§. 2, 3. Haec enim alicuius coetus sodali, de neglecta domestica visitatione querenti, ita respondit, ut negaret, integrum sibi esse, inconsulto Synedrio, hanc visitationem procurare. (53)

§. 20.

(53) Haec intellexi e Compendio legum, decretorum et consuetudinum, a Classe Edamensi a. 1801. edito, hoc titulo: *Plakaaten, Resolutien en Gebruiken. Uitgegeeven, genoomen, en geoeffent door den Staat, Nationaale, en Partikuliere Noord-Holl. Synodens, en Classis van Edam. Bij een gebragt, en in order geschikt tot dienst en gebruik der E. Classis van Edam. in 't jaar* 1754. *en op nieuw nagezien, en vermeerdert door eene Classicaale Commisse in het jaar* 1800. Qua in Sylloge haec referuntur, pag. 89. *De Classis kan door haare Gecommitteerden, op de klagt van een Lidmaat in eene bijzondere Gemeente geene Huisbezoeking laaten doen, zonder voorweeten des kerkenraads. Cl.* 1592. *Aug.* 17. §. 2, 3.

§. 20.

3. *in Zelandia.*

Ordines Zelandiae aliquamdiu probasse Canones, in Synodo Nationali Hagana, anno 1586. scriptos, vidimus §. 16. Quandoquidem vero magistratibus Zelandis, aeque ac Hollandiae et Westfrisiae Ordinibus, nonnulla displicebant, singularis ordo ecclesiasticus in Zelandia constitutus est, anno 1591. Nam, ex auctoritate Ordinum huius Provinciae, praesentibus eorum Delegatis duumviris, anni illius mense Februario, Medioburgi habita est Synodus Provincialis, quae novam illam rectionis ecclesiasticae formam decrevit, ab Ordinibus Zelandiae probatam die 17 Maii. (54) Haec vero, quamvis, in negotio eligendorum Ecclesiae antistitum, rationem praescripserit, a Synodi Haganae, a. 1586. ca-

(54) *Acta Synodalia of gearresteerde Kerken-ordeningen van Zeelandt, van de Jaren* 1591. 1620 *en* 1638. *uitgegeven, ingevolge de Resolutie van de Edele Mogende Heeren Gecommitteerde Raaden van Zeelandt, van den* 13. *Februari* 1755 *Middelb.* 1755. 4. Conf. Hug. Grotii *Apologeticus eorum, qui Hollandiae praefuerunt*. Paris. 1640. p. 29. Brandt, lib. I. Vol. I. p. 774. et 's Gravezande, lib. I. p. 146, 147.

canonibus alienam, in iis tamen, quae ad nostram causam pertinent, plane cum ea consentit. Partes enim, Euangelii interpretibus mandatae, sic a Zelandis describuntur, art. XII. *Der Dienaren Ampt is, inde Gebeden ende bedieninge des woorts an te houden, de Sacramenten uyt te richten, op hare Mede-Broeders, Ouderlingen ende Diaconen, mitsgaders de gantsche Gemeynte goede acht te nemen: ende ten lesten met d'Ouderlingen de Kerckelicke discipline te oeffenen, ende besorgen dat alles eerlijcken ende met ordre geschiede.* Seniorum vero officia hac traduntur verborum formula, art. XX. *Der Ouderlingen Ampt is, behalvens het geene dat boven Artyckel 12. geseyt is, hen met de Dienaers des Woorts gemeyn te zijn, opsicht te hebben, dat de Dienaers, midtsgaders hare andere medehulpers ende Diaconen, haer Ampt getrouwelijcken bedienen, ende de besoeckinge te doen, nae dat de gelegentheyt des tijds, ende der plaetsen, tot stichtinge der Gemeynte, so voor als nae het Avontmael kan lijden, om bysonder de Lidtmaten der Gemeynten te vertroosten ende t'onderwijsen, ende oock andere tot de Christelijke Religie te vermanen.*

Itaque in Zelandia Ecclesiasticos cum Politicis consentientes videmus in eo, quod magis Senioribus quam Euangelii interpretibus officium im-

imponerent singulos adeundi socios, sive ante quam S. Coena esset celebranda, sive postquam celebrata fuerat, ut admonitione et consolatione iis prodessent, et alios ad religionem Christianam profitendam hortarentur. Cuius consilii ratio praecipua Zelandis eadem fuisse videtur, quae Patribus Haganis anno 1586. quaerenda in difficultate laboris identidem repetendi, sexies vel quater quotannis. Conf. dicta §. 16. Zelandi in eo quoque ab Haganis abierunt, quod non definite sexies quotannis celebrandam esse S. Coenam iudicarent, sed optionem darent malentibus, vel sexies vel quater quotannis, Christi pro nobis mortui memoriam epulo S. recolere. Articulo enim LIII. haec praecipiuntur: *het Avontmael des Heeren sal ten twee oft drie Maenden eens, soo veel mogelijk is, gehouden worden.*

Caeterum memoratu dignum est, quod Ven. Adr. Uijttenhooven, ex Actis Ecclesiae Brouwershavensis, refert: (55) solos Seniores a. 1598. et postea usque ad a. 1606. in coetus illius sodalibus visitandis fuisse occupatos, deinceps vero has partes quoque Euangelii interpretibus a Synedrio fuisse tributas. (56)

§. 21.

(55) In *Nieuwe Bijdragen*, supra not. 13. laudatis, p. 281-283.

(56) *In het jaar* 1606. *heeft de predikant J. Fayus eens*

§. 21.

4) in pago et urbe Rheno-Traiectina.

Cum, in urbe Rheno-Traiectina, haud pauci ſacrorum reformationem deſiderarent, Hubertus Duifhusius, inde ab a. 1577. palam, *et* repurgatam religionem profesſus est in aede S. Iacobi, *et*, repudiata Pontificiorum ſuperſtitione, S. Coenam adminiſtravit. Ad quam celebrandam admittebat omnes, nulla cum iis probatione inſtituta, nec nominibus communicantium catalogo fidem profesſorum inſcriptis. (57) Nolebat ſynedria, in rebus parochiae

eens met eenen ouderling huisbezoeking gedaan; maar toen in het jaar 1609, *de predikant de Monier, als tweede leeraar, de gemeente was toegevoegd, is de huisbezoeking, door predikanten en ouderlingen zamen, ingevoerd, en daar voor aan J. Fayus de noordzijde en aan de Monier de zuidzijde der ſtad toegewezen.* p. 282, 283.

(57) *Oock en hiel hij geen formeel Register van de gene die ten Avontmael gingen, om die, na de maniere der Gereformeerde,* van huys te huys te gaen beſoecken voor het houden des Avontmaels, *ten ware hy in 't ſeecker wiste, dat yemant was van een notoir argerlijck leven, ende daerom byſondere vermaninge noodich hadden.* Uytenbogaert, *Kerckel. Hiſt.* p. 220.

chiae suae administrandis adhibens, loco Seniorum, aedituos, et in pauperum cura, loco Diaconorum, eleemosynarios, vulgo dictos, *potmeesters*. Repudiabat disciplinam ecclesiasticam, quae fit arcendo impios, castigando refragantes, eiiciendo contumaces. Qui vero paulo post in aliis templis doctrinam repurgatam docuerunt, Wernerus Helmichius, Nicolaus Sopingius et Hermannus Modetus, disciplinam ecclesiasticam, in Hollandiae et Zelandiae ecclesiis receptam, valde commendarunt, ad eamque invehendam Hubertum frustra invitarunt. Hinc ingens et diuturnum ortum est Traiectinorum dissidium: magistratus et cives plerique honoratiores Huberto favebant; multi alii, maxime de plebe, communem caeterorum disciplinam praeferebant. Illi *Iacobitae*, hi *Consistoriales* dicti sunt. Non dissimilis in aliis pagi Rheno-Traiectini coetibus exstitit dissensio, Huberti rationem probantibus Provinciae Ordinibus. (58) Viri a mul- tis

(58) Conf. de Huberto, rebusque eo vivente apud Traiectinos gestis, Bor, *Nederl. Hist.* Vol. II. p. 830-837, add. 70-73. 166. 172-174. 212, 215. Uytenbogaert, *Kerckel. Hist.* p. 194, 195. 208, 209. 219-221. Eiusdem *Leven, kerckel. bedien. en verantw.* p. 1-5. et *Voorr.* p. 6, 7. Trigland, *Kerckel. Geschied* p. 319-321. Brandt, *Hist. der Reform.* Vol. I. p. 613-621. 669, 670. Jac. Scheltema, *Geschied- en Letterkundig Men.*

tis laudati, anno 1581. mortui, exemplum secuti sunt alii, probante magistratu. Tandem, auctore Comite Leicestrensi, die 26 Aprilis, a. 1586. pactio, antea frustra tentata, inter utriusque coetus Doctores facta est: a quo inde tempore communis exstitit ecclesia, cuius forma propius ad communem Reformatorum rationem accedebat, invitis tamen Provinciae Ordinibus et magistratu urbano, ab hac consociatione nimiam Ecclesiasticorum auctoritatem suae contrariam metuentibus. (59) Postquam igitur Comes Leicestrensis Gubernatoris provinciam posuerat, cuncti Euangelii interpretes; a. 1589. a magistratu urbano, consentientibus Provinciae Ordinibus, loco suo sunt moti, conventus Synedrii interdictus, sigillum eius fractum est. Mox a magistratu Euangelii interpretes alii post alios Traiectum sunt vocati, ad sacra publice in Ecclesia reformata administranda; communi horum et magistratus opera, novi etiam Seniores et

Mengelwerk, Vol. I. Part. 2. p. 125-179. Adr. Stolker, in libro menstruo: *Vaderl. Letteroeff.* 1825. *Mengelw.* p. 609-619. 653-661.

(59) Conf. Bor, lib. I. Vol. II. p. 836-840. coll. 731-737. Uytenbogaert, *Kerckel. Hist.* p. 221-223. 233, 234. 237. Eiusdem *Leven*, p. 5-10. et *Voorr.* p. 14, 15. Trigland, lib. I. p. 339-344. Brandt, lib. I. Vol. I. p. 670-672. 713, 714-717, 718.

et Diaconi lecti; omnes denique certis ordinis ecclesiastici legibus a magistratu adstricti, ex quibus sufficiat eas referre, quae ad praesentem causam pertinent, huius quippe argumenti: *Belangende 't Heilig Avondmael Jesu Christi: 't selve sal suiver geleert, bedient, en uitgedeilt werden, na de forme van Gods Woord en ordeninge van lesen en singen by de Kerken gebruikelijken. — Nopende de beproevinge, de selve sal gehouden worden na de leringe Pauli, seggende: de mensche beproeve hem selven, en sonder eenig ondersoek of examinatie van des menschen conscientie, nochtans also dat sulx vry staet den genen die ondersocht, en ook opgetekent begeren te zijn. — De kerkelijke disciplijn, of broederlijke vermaninge, sal geschieden na de leringe Christi: Matt.* 18. *Te weten: dat die van den Kerkenraed ymant onder den hare sullen ordonneren te gaen by den genen die dissoluit is van leven, om de selfde te vermanen van zijn abuisen en quade leven, en so die geordonneerde niet gehoort worden, so sullen sy noch een of twee tot hem nemen, en so de selve noch niet gehoort worden, so sal een van den Dienaren hem daer by voegen, en den onboetveerdigen voor de derde en laeste mael vermanen en straffen, en so hy als dan noch niet wil horen, so sullen syluiden den sel-*

ſelven bevelen God Almachtig, en ſijn mitsdien onſchuldig in haer gemoed en conſcientie: en de voorſchreven onboetveerdige ſal van des Heeren Avondmael afgehouden worden. (60) His igitur limitibus disciplinam eccleſiasticam, et curam admittendorum et praeparandorum ſociorum ad S. Coenam celebrandam, circumſcripſerunt proceres Rheno-Traiectini. Verum plurimi Eccleſiae ſocii, imprimis quotquot ordini eccleſiastico, ab aliquot inde annis in alias Belgii eccleſias invecto, erant addicti, aegerrime hanc converſionem tulerunt, ac proinde maluerunt, *aut* extra urbem ipſamque provinciam, ex animi ſententia, praeeuntibus legitimis Euangelii ministris, publice Deum colere, *aut* in ipſa urbe privatim convenire, quam his magistratus civilis decretis in cauſa religionis obtemperare. Hi, *Eccleſiae dolentis* nomine dicti, conſilium et auxilium petierunt a Synodo Hollandiae auſtralis; Synodus, iis condolens, ab Ordinibus Hollandiae, Principe Mauricio et Concilio Status. Quorum omnium interventu ipſoque rei publicae damno motus magistratus invitavit, primum Franciscum Iunium, Theo-

(60) Conf. Bor, lib. I. Vol. II. p. 840-848. Uytenbogaert, *Kerckel. Hiſt.* p. 271-276. Eiusdem *Leven*, p. 10-15. et *Voorr.* p. 15, 16. Trigland, lib. I. p. 700-702. Brandt, lib. I. Vol. I. p. 762.

Theologiae Professorem in academia Lugduno-Batava, deinde Ioannem Utenbogardum, qui nuper cum tribus collegis Rheno-Traiectinis loco suo fuerat motus, nunc Hagae Comitum ecclesiastico munere fungebatur, operam daturos reconciliandis civium animis. His duumviris suadentibus, res ad pactionem venit, magistratum inter et ecclesiam dolentem, die 21 Maii, 1593. Tum igitur in legibus, ante triennium scriptis, nonnulla mutata sunt: nominatim vero articuli, disciplinae ecclesiasticae ambitum describentes, ita aucti sunt, ut deinceps nemo, nondum duodeviginti annos natus, aut aliunde adveniens, ad S. Coenam admittendus foret, nisi colloquio cum Euangelii interprete habito; et Synedrio facultas daretur, contumaces ecclesiae socios citandi et reprehendendi. (61) Quo facto, Ecclesiae socii, non tantum in publica concione, sed etiam in privatis aedibus, invitati sunt et admoniti, ad S. Coenam, diu intermissam, rite celebrandam. (62) Haec, in difficillimis rerum ad-

(61) Conf. Bor, lib. I. Vol. III. p. 728-746. Uytenbogaert, *Kerckel. Hist.* p. 286-291. Eiusdem *Leven*, p. 24, 25. Trigland, lib. I. p. 798-806. Brandt, lib. I. p. 762-764. 785-793.

(62) Uytenbogaert (ipso referente, *Kerckel. Hist.* p. 290.) *ginck met* Ambrosio (Ecclesiaste Amstelodamensi) *door de geheele Stadt, van 't een eynde tot het* en-

adiunctis, extra ordinem facta sunt. Ordinariae vero visitationi domesticae, ab eo inde tempore usque ad Synodum Dordracenam a. 1618, 1619. locus non fuisse videtur. Certe e vernacula *Narratione* Ioannis Gerobuli, qui inde ab a. 1590. usque ad a. 1605. Ecclesiae Rheno-Traiectinae praefuit Euangelii interpres, constat, visitationem nondum fuisse institutam a. 1603. quo editus est libellus, hodie rarissimus. (63) Pau-

ander, alle de Lidtmaten aenspreecken, de selve doende dan in 't een, dan in 't ander bekent huys met vyfthien, twintich, ende vijf-en-twintich ten hoochsten tseffens by een komen, hun de gelegentheyt elcke reyse op nieuws wederom verhalende, ende arbeydende om yeder een sijn misnoegen, soo veel doenlijck, wech te nemen. Dit geschiede met reedelijck goedt succes nae soo groote ontsteltheydt der humeuren, die nu drie Jaren hadde geduyrt. Quocum conf. quae referuntur in *Vita* eius, p. 25.

(63) *Waerachtich Verhael, van den Staet der Gereformeerde Kercke, die den Sone Gods, binnen Utrecht door 't Evangelium vergadert wert.* Utr. 1603. in 12. In quo, pag. 39-42. haec habentur de S. Coenae administratione. *'Theylige* Avontmael onses Heeren I. C. *wert binnen* Vtrecht *drie mael des Iaers gehouden; gelijck sulcx oock voor onsen tijt geschiet is. Men is nochtans lange besich geweeest, om 'tselve ten minsten viermael te doen, 't welck oock alover langen tijt soude geschiet wesen, indien de gene de welcke anderen behoorden voor te gaen dit goet voornemen niet opgehouden ende te rugge gestelt en hadden. Het en wert nochtans niemant tot dese* Heylige in-

Paulo post Ordines Provinciae Rheno-Traiectinae sua auctoritate constituerunt, quod in Hollan-

instellinge *toegelaten met eenige* profanatie *ende* ontreijneginge *vande selve; Maer het moeten de gene die haer daer-toe begeren te begeven, van alsulck haer goet voornemen (wesende tot hare Jaren gecomen, ende Burgers ofte Poorters sijnde) yemant vande* Dienaers des woorts *ofte* ouderlingen in der tijt (*somense noemt*) *verwittigen voor de eerste reyse; omme also de* Reyne Lere toestemmende, *ende geen* openbaer ergerlijck leven leydende, *tot de gemeynschap deser heyliger Tafel*, met goeder ordeninge ende stichtinge *toegelaten te werden, welcke* ouderlingen *in cas als boven, 't gene dat hen desen aengaende ontmoet, ende wedervaren is, gehouden sijn de* Dienaers des woorts *aen te dienen, ten fijne voren verhaelt. Conform 't gene dat van dese sake int* Project *van* Hollant *meermaels aangeroert*, (nimirum in Formula, a. 1591. exarata, de qua dixi §. 19.) *besloten is, ende achtervolgende sekere* Acte *binnen* Vtrecht, op sekere Propositie van wegen der Kerke, *inden jare* 1596. *ghedaen by den* Raet *den* 9 Martii, *gemaekt; Tot voorcominge van alle* Prophanatien, *ende om voorts alle* schandalen *'teviteren, voor soo vele een* Christelijcke Overheydt *hier-inne doen can. Daerentusschen blijft even wel in sijn geheel 't gene dat in 't verdrach, inden Iare* 1593. *opgerecht, besloten is, tusschen den* Raet *ende* de supplicerende Gemeynte. *Te weten, det het den Ouden ende volwassenen vrij staet*, die inden gelove ondersocht ende opgeteekent begeren te wesen, *hen te dien eynde naerder by een vande* Kercken-dienaers *te mogen laten vinden; gelijck 'tselve sedert dese ordonnantie altijts ende van allen meest ghe- schiet, ende dese vryheyt oock is ingewillicht ende goet ge-*

landia, á Proceribus in eadem sententia versantibus, frustra a. 1591. fuerat tentatum. Unus enim

gevonden in't voorschreven Project *van* Hollant, *by den genen die over 't selve geweest sijn. Item 't blijft insgelijcx in sijn geheel, ende wert onverbrekelijck onderhouden, 't gene in 't voorgenoemde* Verdrach Anno 1593. *goet gevonden ende besloten is, aengaende den genen, die ofte* van buyten in comen, ofte onder haer achthien Iaren sijn. *Want wat dese belangt, die moeten hen ten beyden sijden goets tijts voor de eerste reyse als-se t'en* Avontmael *begeren te gaen, vougen by eene vande* Dienaers des woorts, *omme inden* gelove onderricht te *worden; ende hen (wat den genen die eerst van buyten incomen belangt) respectivelijck bekent maken ofte anders* Attestatie *tonen vande* Kercke *daer sy laest geresideert hebben. In conformiteyt van 't gene dat eertijts inde* Oude Kercke *metten* Catechumenis *ende Leer-jongers geschiet is. Item, met anderen, de welcke het* Ioden *ofte* Heyden-dom *wilden verlaten ende hen tot de gemeynschap der* Kercken *begeven. Tot desen eynde wert 'telcke reyse d' aenstaende* Bedieninge des H. Avontmaels drie weecken te voren *de Gemeynte van den* Predickstoel *in alle plaetsen daer geleert wert, verwitticht, ende te kennen gegeven; Op dat hem een jegelijck daer-toe moge bereyden ende quijten na sijne conditie ende gelegentheyt, ende* alle dingen alsoo eerlijck ende met orden *na den* Apostolijschen regel, *mogen toe gaen ende geschieden. Welcke drie weken gheduerende verscheyden* Predicatien *gedaen werden, om allen man vande* Verborgentheyt *des* H. Avontmaels *wel t' onderwijsen; Inde welcke oock een yegelijck vermaent wert hem te laten vinden in 't* Bericht *'t welck ghestadelijck (ist niet over-al, ten minsten op eenige*

enim idemque Ordo ecclesiasticus, ab Ecclesiasticis probatus, in singulos coetus, anno 1612. fuit invectus, in quo nulla praecipitur salutatio domestica, sed omnis probatio et praeparatio ad publicam refertur admonitionem. (64) Haec enim tria de S. Coena iubentur. I. *Het Avontmael des Heeren sal nae Christi In-stellinghe, ten minsten viermael s'jaers inde Steden, namelijck op den Christ-dach, Paesch-dach, Pinxster-dach, ende inde Maent van September ghehouden werden: ende op de Dorpen ten minsten tweemael, te weten Christ-dach ende Paesch-dach.* II. *Men sal alle de Toe-hoorderen ernstich tot het Avontmael des Heeren nooden, en t'*

plaetsen) *gedaen wert, nae 't* exempel der gesonder Lere, *om eenen yegelijck tot dese sake verstandich te maken, als oock inde Proef-predicatie.*

(64) Editus est hoc titulo: *Christelijcke Kercken-Ordeninge der Stadt, Steden, ende Landen van Vtrecht. Ghearresteert binnen Vtrecht den* XXVIII. *Augusti* XVI^c^XII. *Wt-gegeven by de Ed: Mo: Heeren Staten der selver Provincie.* Utr. 1612. in 4. Caeterum, de Synodo Rheno-Traiectina, anno 1612. ad exarandum huiusmodi Ordinem convocata, et de ipso hoc Ordine, conf. Gulielmus Baudartius, *Memorien*, ad h. a. p. 88, 89. Uytenbogaert, *Kerckel. Hist.* p. 545, 546. 594-597. Eiusdem *Leven*, p. 62-68. Triglandius, *Kerckel. Gesch.* p. 794, 795. 805, 806. Brandt, *Hist. der Reform.* Vol. II. p. 147, 148. 172-176.

t' selve doende vermanen haer selven wel te beproeven, ende den ghenen die haer voor d' eerste reyse ter tafel des Heeren sullen begheven aansegghen, dat sij hun eerst presenteren by yemant van hunne Ordinarise Herders, om van deselve (ist noot) by particuliere ende vrientlijcke onder-rechtinghe te verstaen wat van een recht Christen mensche ende waerachtich lidt der Ghemeynte Gods vereyscht wordt, omme daer op verclaringhe te doen van sijne meyninge ende alsoo ter tafel des Heeren toeghelaten te werden. III. *Die vande uyt-heemsche plaetsen comen ende ter tafel des Heeren begheeren toe ghelaten te werden, sullen eerst behoorlijcke Ghetuygenisse van hare vooríghe conversatie aan den Pastooren der plaetsen, daer sy begheeren toeghelaten te werden, verthoonen.* Hanc vero legem displicuisse omnibus, disciplinam ecclesiasticam in aliis Provinciis usitatam praeferentibus, vix est, quod moneamus.

§. 22.

5.) *In Frisia.*

Frisiae Ordines nunquam, quoad equidem cognovi, canones Ecclesiasticos, a Synodis Genera-

ralibus decretos, sua confirmarunt approbatione. Sed Doctores et Antistites Ecclesiae Frisiacae secuti videntur consuetudinem, lege Synodi Nationalis Dordracenae a. 1578. art. LXVII. invectam: (conf. dicta §. 13.) atque adeo visitationis domesticae curam imposuisse, non tantum Senioribus, secundum canonem XXI. Synodi Nationalis Haganae, a. 1586. sed etiam Euangelii interpretibus, secundum canonem laudatum Synodi Dordracenae. Videntur praeterea huius visitationis tempus, a Synodo Nationali Medioburgensi, a. 1581. definitum, servasse, de quo conf. dicta §. 14.

Quod ut coniiciam, facit *Compendium Legum Ecclesiasticarum Frisiacarum*, primum a. 1757. deinde emendatius a. 1771. editum. In his nulla Synodi Dordracenae, a. 1618, 1619. ratio habetur: omnis vero legum auctoritas refertur ad aliarum Synodorum, sive Nationalium, sive Provincialis, decreta, uti et ad Ordinum statuta. In hoc igitur *Compendio*, auctoritate Deputatorum Frisiae Ordinum, a Venerabili Canonico Nauta concinnato, (65) haec de Pastorum officio

(65) *Compendium der Kerkelijke Wetten van Vriesland, geëxtraheert uit 's Lands en Sijnodale Resolutien enz. Tweede Druk, geheel verbeterd, tot den jaare* 1771. *aangevuld*. Leeuw. 1771. in 8. mai.

cio traduntur, *Tit.* XI. *art.* X. *Zal ook een Predikant de Huis-bezoeking aan de Ledemaaten, voor het celebreren van des Heeren Heilig Avondmaal, getrouwelijk waarneemen; als ook in droeffenis en krankheid of anderzins, en zullen de nalaatige in deezen censurabel zijn; T. h. Art.* 21. 24. *Synod. Nat. Dordr.* 1578. *Art.* 67. De Senioribus vero *Tit.* XXI. *art.* I. *Het ampt der Ouderlingen zal niet alleen zijn, opzigt te hebben op de leere ende het leeven der Dienaaren des Woords, en beneffens dezelve op de Gemeente; maar zullen ook tegen het houden van des Heeren Heilig Avondmaal zich neffens hunne Predikanten voegen, en de Gemeente mede visiteeren, onder poene van Censure bij gebreke dies; T. h. Art.* 4. *Sijnod. Nat. Middelb.* 1581. *Art.* 16. *Hag.* 1586. *Art.* 21.

§. 23.

6.) *In Transisalania.*

De lege aut consuetudine, quam Ecclesiae Antistites in Transisalania, ante Synodum Nationalem Dordracenam, a. 1618, 1619. secuti fuerint, equidem nihil cognovi, praeterquam id, quod relatum est a Iacobo Revio, in *Daventriae illustratae, sive Historiae Urbis Daventriensis*, Libro V. ad annum 1612. Narrat

nt (66) ille nonnulla, quae in Synodo Campensi, die 14 Sept. (styli vet.) fuere decreta, in causa Ministrorum, qui tum Ecclesiae Campensi praeerant. *Campenses*, inquit, *quod adversus decreta Synodorum*, *Dordracenae*, *Anno* clↃIↃLXXIV. *et Middelburgensis Anno* clↃIↃLXXXI. *celebratarum*, *quaestiones susceptoribus infantium in baptismo proponi solitas intermitterent*, *reprehensi*. Unde colligere nobis licebit, in Transisalania receptum non fuisse Ordinem ecclesiasticum Synodi Nationalis Haganae, a. 1586. Huius enim, quae novissima erat, nulla fit mentio: quamquam haec, art. LII. id ipsum praeceperat, de quaestionibus, infantium susceptoribus in baptismo proponendis, quod Synodus Medioburgensis, art. XLI. Quae vero Synodo Campensi caussa fuerit provocandi ad Synodum Dordracenam a. 1574. equidem non video: haec enim fuit provinciarum Hollandiae et Zelandiae, neque adeo huius decretis obligati erant Transisalani. Quid, si coniiciamus, errore, sive Scribae in Synodo Campensi, sive ipsius historici, loco numeri 1578. numerum 1574. scriptum fuisse? Sed credibile quoque est, Synodi, a. 1574. celebratae, mentionem fuisse iniectam, propterea quod subsecutarum Synodorum decreta

(66) Libri, *Lugd. Bat.* a. 1651. editi, p. 580, 581.

ta ex illius veluti fonte, art. LXI–LXIII. LXVI. LXVII. fluxerint. Denique Synodus Nationalis a. 1578. non nisi suaserat, quod praeceperat Provincialis, a. 1574. art. LXII.

§. 24.

7.) *In urbe Groninga et agro circumiacente.*

In urbe Groninga, Consules et Senatores, probante Guilielmo Ludovico, Gubernatore, die 16 Septembris, a. 1594. Ordinem ecclesiasticum statuerunt, in non paucis diversum a legibus, alibi in Belgio vigentibus. (67) In eo igitur haec iubentur, ad causam nostram pertinentia. Art. XXVI. *Der Prediger ampt is dem volcke met syner reiner leere ende met een vroom*

(67) Huius Ordinis Ecclesiastici notitiam debeo Cl. Heringae, qui suum Cod. MS. contulit cum eo, quem e Cl. van Eerde MS. procuravit Editor libri posthumi, cuius auctor est Heino Hermannus Brucherus, *Geschiedenis van de opkomst der Kerkhervorming in de Provincie Groningen, tot aan het jaar* 1594. *gevolgd door de Geschiedenis van de vestiging der Kerkhervorming in dezelfde Provincie, tot aan de Nationale Synode van Dordrecht in* 1618 *en* 1619. Gron. 1821. p. 425–465.

vroom levende voor te gaan. Dat volck sollen sie openbaer in der kercken met predigen onderwysen, ende eenen yeder in synem huise met leeren, vraegen, vermaenen, troosten, straffen, bidden, ende woe het die noot ende stichtinge eyschet, onderrighten. — Art. XXXI. *Opdat overst dat volck reght ende well onderwyset werde, sal die Stadt in sess kluften afgedeelt, ende eenen yeder Prediger eene klufte toegeeygnet werden; dat een yeder die dagelickse onderrightinge, die in den huisen geschiet, dies te voeghlicker doen can, ende die eene so well arbeyden moete, als die ander.* Art. XXXII. *Verner willen wy, dat voor dese tydt nae alle drie maenden dat Avontmael uytgedeelt worde.* — *Dat Avontmael sall een gantze maent te voren verkundiget worden, op dat sick een yeder daertoe bereyden kan. Nae der verkundinge sall een yeder Prediger in syner kluft alle Ledemaeten versoecken ende sie leeren, vermaenen, vertroosten, straffen ende versoenen, als die noot ende tydt eyschet.* — Art. XXXIII. *So in deser visitatie eenige swaricheyt voorviele, moeten die Prediger oordelen oft sy heymelick of openbaer sy. Die heymelicke feylen kan hy verswygen ende heymelick wechleggen. Die openbaere feylen sal hy to dem Consistorio brengen, ende sie met rade der Olderlingen nae der*

der Nederlantſchen Kerckenordninge (68) *afhandelen.* — — Art. XXXV. *Wat nu den Luyden aengaet, die te vooren niet to dem Avontmael gegaen hebben, ende ſich nu daer to begeven willen, in denſelvigen moet men well aght nemen op haer voorgaende levende, ende ſie nae demſelvigen leeren, vermanen ende onderwyſen, gelyck het die noot eyſchet, ende wel to ſien, dat men die niet ſonder een openbaer Examen van de H. Christlicke Religie ende openbaere beloſte des gehoorſaems onder dem Kerckenraet, to laete.* Art. XLI. *Haer* (der Olderlingen) *ampt is op allen kluften ende quartiaren der Stad aght to hebben, dat alle ledemaeten eerlick leven, ende oft ſigh yemant waerinne vergrepe, denſelvigen leeren, vermanen ende onderwyſen, nae dat het die noot eyſchet ende die heymelicke feylen heymelick beteren, ende die in ſynen heymelicken ſonden halsſtarck is, aen den Conſiſtorio to brengen, gelyck to voren verhaelt is. Ock van gelycken in den openbaren ſonden doen, opdat in denſelvigen met rade des Presbiterij gehandelt worden mage. Het ſollen ock die Olderlingen den Predige-*

(68) Qui hoc loco laudatur Ordo eccleſiasticus, videtur is eſſe, qui a Synodo Hagana, a. 1586. fuit conſtitutus.

digeren in den Visitationibus voor dat Naghtmael helpen, gelyck in den geunierten Provincien gebruckelick is. *Ende op dat de Olderlingen haer ampt des te bequamer doen moghten, sal een yeder syn eygen Kluft hebben. Doch ende so verre de Olderlinge dit alleene te doen sigh beswaerde, magh hy eenen van den Predigeren to hulpe nemen.*

Ordo igitur ecclesiasticus, inde a restituta libertate in urbis Groningae ecclesiam invectus, praecipiebat: 1. visitationem domesticam; 2. ad Ecclesiae socios docendos, monendos, hortandos, reprehendendos, consolandos; cuius rei cura demandabatur, 3. universe quidem Euangelii interpretibus, uti et Senioribus, passim in singulorum vicis gerenda, 4. et singulis quidem seorsim, ita tamen ut Seniori petenti sese adiungeret Euangelii interpres; 5. nominatim vero ea visitatio iniungebatur identidem ante S. Coenam, post singulos tres menses celebrandam, repetenda; 6. et communi quidem Doctorum ac Seniorum opera; 7. eum in finem, ut et ecclesiae sodales praepararentur ad pium S. Coenae usum, 8. et vero etiam disciplina ecclesiastica prudenter administraretur.

Haec quidem satis sunt perspicua. Haesitet vero quispiam in eo, quod iubeantur Antistites

Art.

Art. XXXII. singulos ecclesiae socios *verfoecken*: unde facile efficiat, *invitandos* eos fuisse ad S. Coenam. Eo enim ducit verbi Belgici *verzoeken* significatio, hodie prae caeteris trita. Sed, quo tempore hic Ordo ecclesiasticus scriptus est, verbum *verzoeken* saepe synonymum erat affinis *bezoeken:* quare Kilianus, in *Etymologico Teutonicae linguae*, praeter alias verbi *ver-soecken* significationes, hanc quoque notavit, qua respondeat nostro *be-soecken*, Latinorum *visitare*. Exemplorum copiam suppeditat Cl. A. IJpeij. (69) Hac igitur notione videtur verbum, de quo quaeritur, eo loco accipiendum: permutatur enim, art. XXXIII. et XLI. cum *visitationis* voce Latina; praeterea nude ponitur, art. XXXII. sine adiuncta mentione *S. Coenae*, *ad* quam *invitandi* fuissent socii, si quidem *invitationis* partes Antistitibus essent mandatae.

Denique memoratu dignum est, quod Art. XLI. visitatio domestica, identidem ante S. Coenae celebrationem ab Euangelii interprete una cum Seniore peragenda, dicitur *usu recepta in Provin-*

(69) In *Taalkundige Aanmerkingen over verouderde en minverstaanbare woorden in de Staten overzetting des Bijbels, vervolgd door* A. IJpeij *en* W. C. Ackersdijck. Utr. 1811. p. 103, 104.

vinciis unitis, sc. Foedere Traiectino. Unde veri simile fit, in reliquis Provinciis, hoc foedere iunctis, hanc consuetudinem anno 1594. fuisse receptam.

Haec de Ordine ecclesiastico Groningae usitato dicta sufficiant. Restat, ut de eo dicamus, quem ipse ille Gubernator Guilielmus Ludovicus, una cum Ordinibus Deputatis Groningae et agri circumiacentis, die 27 Februarii, a. 1595. constituit, ad moderandos coetus Omlandicos. (70) Huius autem Ordinis statuta, ad nostram caussam pertinentia, fere conveniunt cum eo, quem modo laudavimus. Art. XXVI. Oml. similis est laudatis ex Art. XXVI. urbis Gron. Art. XXXI. Oml. laudatis ex art. XXXII. demtis vocibus *insyner kluft*. Art. XXXIII. et XXXV. eadem prae-

(70) Titulus est: *Christlicke und Schriftmetige Kercken Ordenungh, om alle desorder voor te comen, und eenicheyt, rust und vrede in de Gereformeerde Kercke, in der Stadt und Omlanden van Groeningen toe mogen onderholden. Ghepubliceert ter ordonnantie des wolgebornen Graven und Heeren* Wilhelm Ludwich, *Graven to Nassou, Stadtholder etc. unde de Gedeputeerde Staten der Stadt und Omlanden voorsz.* Qui Ordo primum editus Franequerae, a. 1595. iterumque Groningae, a. 1699. denuo lucem vidit in Bruchери libro laud. p. 471-502. Conf. de eo scripta, cum in hoc libro, p. 285-292. tum in libro *Gedenkboek van Stad en Lande*, Gron. 1792. p. 254, 255.

praescribunt, quae mandantur art. XXXIII. et XXXV. urbis. Similis ratio est articuli XLI. in hoc atque illo Ordine, demtis tamen in Omlandico, quae in fine Ordinis urbani sunt addita: *ende op dat de Olderlingen*, caet.

§. 25.

8.) *in Drenthia.*

In Drenthia sacrorum repurgatio instituta fuit à Guilielmo Ludovico, Gubernatore, a. 1596. Nec diu post Ordo ecclesiasticus Haganus a. 1586. in Drenthinos coetus fuit invectus, at negligenter habitus. Quandoquidem vero a. 1603. Groningani et Drenthini ad unam coibant Synodum, verisimile est, eundem etiam aut similem Ordinem ecclesiasticum in Ecclesiam huius atque illius regionis fuisse invectum. (71)

§. 26.

Synodus Nationalis Dordracena, a. 1618 *et* 1619.

Ex iis, quae §§. 17—25. scripsimus, constat,

(71) Conf. Beucheri liber saepius laud. p. 311-324.

ftat, diu magnam exſtitisſe in reformatis Belgii Ecclesiis varietatem, ſive legum, ſive morum, quos ſequerentur coetuum antiſtites in viſitationis domesticae cura. Cui quidem varietati tandem finis imponendus erat a Synodo Nationali, quae Dordraci fuit habita, annis 1618 et 1619.

Postquam igitur, cauſa Remonſtrantium peracta, exteri Theologi erant dimisſi, ſesſione CLV. die 13 Maii, a. 1619. ante meridiem, *propoſitum fuit, hanc esſe Illustrisſ. DD.* ab Ordinibus Belgii Generalibus *Delegatorum voluntatem, ut Canones Regiminis Eccleſiastici in postrema Synodo Nationali*, quae fuerat Hagana, a. 1586. *ab hac Synodo revideantur atque examinentur.* Itaque *praelecti fuerunt* hi *Canones*, eodemque die post meridiem, *quod ad ſubſtantiam eorum attinet, ab omnibus ſingularum Provinciarum Deputatis Pastoribus et ſenioribus approbati. Nonnalli declarabant in Provinciis ſuis habere ſe peculiares Canones Regiminis Eccleſiastici autoritate Ordinum ſuarum Provinciarum ſtabilitos, qui in ſubſtantia cum hisce Canonibus conſentiant. Statutum fuit rogandos esſe Illuſtres ac Praepotentes DD. Ordines Generales, ut placeat Illuſtrisſimae ipſorum Amplitudini autoritate atque approbatione ſua hosce Canones ſtabi-*

bilire, quo passim in Ecclesiis Belgicis vigorem legum publicarum obtinere, et tanto strictius ad Ecclesiarum pacem atque aedificationem observari queant. Haec habentur in *Actis Synodi Nationalis Dordrechti habitae, a.* 1618. *et* 1619. *post dimissionem Theologorum exterorum*, editis Hagae Com. 1668. in 4. Ex iisdem vero Actis constat, quod et docere potest collatio Canonum, in Hagana et Dordracena Synodo scriptorum, nonnulla fuisse mutata, maxime in iis, quae pertinent ad vocationem ministrorum et ius, quod dicitur, patronatus, ad mutua magistratus et Ecclesiae praefectorum officia, ad visitationem ecclesiarum et scholarum quotannis a Classium Deputatis instituendam, ad commercium Synodorum Provincialium, ad harum Deputatos, ad baptismum adultorum, ad festa Christianorum anniversaria, ad cantica sacra, alia. Sed quae a Synodo Hagana, art. XIV. et XXI. fuerant constituta, de partibus, Euangelii interpretibus et Senioribus, in visitatione domestica et disciplina ecclesiastica, tribuendis, ea a Patribus Dordracenis, ne minima quidem parte, fuere mutata, sed iisdem omnino verbis repetita, art. XVI. et XXIII. Quae cuiusmodi sint, supra §. 16. retulimus.

Itaque Synodus Dordracena, cuius auctoritas, per duo fere secula, in reformatis Belgii Ec-

cle-

clesiis valuit, officium adeundi singulorum sociorum aedes noluit imponere Euangelii interpretibus; verum nominatim Seniores iussit convenire sodales, *(besoekinge te doen) quoad id pro temporis locorumque opportunitate, ad Ecclesiae aedificationem, cum antequam S. Coena celebretur, tum postea, liceat.* Praeterea Synodus hoc instituto non praecipue curare voluit, ut socii Ecclesiae ad legitimam S. Coenae celebrationem praeparentur, sed universe prospexit, ut Seniores hos consolarentur et docerent, alios vero ad religionem Christianam pnofitendam admonerent.

Sessione CLXXVII. die 28 Maii, Synodus quatuor Delegatos iussit adire Ordines Generales libello supplice, in quo, praeter alia, haec quoque memoratu sunt digna. *Quandoquidem haec Synodi decreta in Ecclesiis harum Provinciarum non possunt, uti neque debent, executioni dari ut observentur, sine placito, approbatione, atque ἐπικρίσει, Illustrisf. DD. Vestrarum, supremi Magistratus nostri harum Provinciarum, Synodus haec cum omni subjectione rogat, ac petit, ut Illustrisf. DD. VV. placeat Acta hujus Synodi, postquam ea perspexerint atque examinaverint, Christiana sua approbatione atque ἐπικρίσει constabilire, atque autoritate sua ad pacem atque aedificationem*

nem Ecclesiarum harum regionum, ubique, ut observentur, mandare. — Praeterea ut Illustrisſ. DD. Vestris placeat approbare, et Ecclesiis mandare, ut Canones Regiminis Ecclesiastici, prout iidem in hac Synodo examinati, et in nonnullis Articulis ad majorem pacem atque aedificationem aucti sunt, ubique in Ecclesiis harum regionum, quoad ejus fieri potest, unanimiter observentur.

Sed, quod petiit Synodus, non omnino obtinuit. Ordines enim Generales sententiam quidem de controversis doctrinae capitibus, quorum dirimendorum caussa Synodus fuerat convocata, pronunciatam, probarunt, Canones vero Regiminis Ecclesiastici non item. (72) Nimirum iudicium de iis erat penes singularum Provinciarum Ordines, quorum alii aliam profitebantur sententiam. Gelri eos, cum aliqua tamen mutatione et interpretatione canonum XL. XIII. et XLI. *ad tempus* (73) probarunt, die

(72) Conf. decretum Ordinum Generalium, d. 2 Iulii, a. 1619. in *Kerkelyk Plakaat-boek*, Vol. I. p. 170, 171.

(73) Verba decreti haec sunt: *alles by provisie ter tyt ende tot dat anders over de selve Kercken-Ordeninge by de samentlicke Unieerde Provintien off by ons naerder ende speciaelder geordonneert syn sal, oock mede ongekrencket deser Landtschaps resolutie voor desen op 't stuck*

die 21 Iulii, a. 1620. Hollandi et Westfrisii, post plures disceptationes ea de caussa institutas, primum quidem hunc Ordinem probarunt, (74) deinde vero, tergiversantibus aliarum Provinciarum Ordinibus, sancire eum noluerunt, nisi mutatis nonnullis canonibus. Quae mutatio cum displiceret Synodis Hollandiae australis et septentrionalis, res infecta mansit. (75) Quocirca etiam non pauca deinceps in Hollandia facta sunt contraria Ordini ecclesiastico, a Patribus Dordracenis probato. (76) Zelandi Ordinem Ecclesiasticum, a. 1591. constitutum, de quo dixi-

stuck ende beleyt der kercken genomen. Vid. W. van Loon, *Groot Gelders Placaat-boeck*, Part. III. col. 188.

(74) Recte id colligitur e decretis, d. 2 Iulii, 1619. in *Kerkel. Placaat-boek*, Vol. III. p. 6. et d. 18 Dec. eiusdem anni, ibid. p. 273, 274. monente Viro Docto, qui huic volumini praefatus est.

(75) Hoc constat e decretis, a. 5 Iulii, 1621. in *Kerkel. Placaat-boek*, Vol. III. p. 549. et d. 19 Iulii, 1624. Vol. II. p. 304, 305. amplius vero ex iis, quae adiecta sunt Petri Borrii libro, (*Byvoegsel van authentyke Stukken*) *Nederl. Historien*, Vol. III. p. 16-24. Conf. IJpeij et Dermout, lib. I. Vol. II. *Annot.* p. 162-165.

(76) Alia ne commemorem, videantur, quae de electione Ministrorum Ecclesiae Dordracense acta sunt, in Decreto Ordinum Hollandiae, d. 22 Iunii, 1691. quod refertur in *Kerkel. Placaat-boek*, Vol. I. p. 70-74.

diximus §. 20. retinere maluerunt, quam Dordracenum admittere. (77) Rheno-Traiectini hunc, cum aliqua interpretatione articulorum IV, V. et XXII. probarunt, ea tamen conditione, ut, si quae de eo oriretur dissensio magistratum inter et ecclesiam, iudicium foret penes Ordines et Gubernatorem Provinciae. (78) Frisii Ordinem Dordracenum noluerunt sancire, et Ecclesiasticos, eum sequi cupientes, reprehenderunt. (79) Transisalani eum admiserunt, cum aliquo temperamento. (80) Groningani Ordinem ecclesiasticum, a. 1595. statutum, de quo dixi §. 24.

(77) Conf. W. et J. W. te Water, *Historisch Berigt wegens de Kerken-ordeninge van Zeeland*, adiectum libro: *Kort Verhaal der Reformatie van Zeeland*, p. 444-480.

(78) Conf. Johan van de Water, *Groot Utrechts Placaatboek*, Vol. I. p. 380-382. et Brandt, lib. I, Vol. III. p. 959. 960. 974-976.

(79) Conf. Brandt, lib. I. Vol. IV. p. 17-23. 284, 285. 764-778. et IJpeij et Dermout, lib. I. Vol. II, *Annot.* p. 165-169.

(80) Decreverunt certe Ordines Transisalaniae, d. 30 Iulii, 1619. *dat de Ghedeputeerden deser Landtschap, ter Vergaderinge van de Heeren Staten Generaal residerende, sullen moghen verklaren, dat in de Provintie van Overijssel de voorsz. Kerken-ordening geobserveert sal worden, voor soo veele deselve niet teghens die Privilegien ende Gherechtichedeu van deselve Provintie in 't generaal, en van de Leden ofte Particulieren van dien, is strijden-de.*

§. 24. Dordraceno praetulerunt. (81) Nec denique Drenthini hunc receperunt, sed canones, a Guilielmo Ludovico, a. 1596. de quibus dictum est §. 25. cum Dordracenis ita coniunxerunt, ut ex his ortus sit pedetentim singularis Ordo ecclesiasticus, diu scripto conservatus, tandem a. 1730. typis editus. (82)

§. 27.

de. Haec cognovi ex editione Ordinis Ecclesiastici, facta Zwollae, 1636. in 4.

(81) Conf. Brucheri *Gedenkboek van Stad en Lande*, p. 315.

(82) *Kerkenordre der Landschap Drenthe; gearresteert en geapprobeert op de ordinaris Landsdag gehouden binnen Asfen, den* 14. *Marty* 1730. Meppel, 1730. in 8. In hoc Ordine Ecclesiastico, art. XIX. visitatio domestica Senioribus una cum Euangelii interpretibus iniungitur hunc in modum. *Der Ouderlingen Ampt is niet alleen, met de Dienaren des Woords de Kerkelyke discipline te oeffenen, en te bezorgen, dat alles eerlyk, en met goede ordre geschiede; maar ook opzigt te hebben, dat de Predikanten, mitsgaders hare andere medehelpers, en Diakenen, haar Ampt getrouwelyk bedienen; en de bezoekinge te doen* met den Predikant, *na dat de gelegenheit des tyds, en der Plaatse, tot stigtinge der Gemeinte, zo voor als na het Avondmaal, kan lyden.* — Ministris vero doctrinae, art. VI. haec iniunguntur. *De Dienaren des Woords zullen, in den Gebede en de Bedieninge des H. Euangelii, zo met het voordragen van de reyne Leere der Waarheit, als overtuiginge en wederlegginge der tegensprekers aanhouden: de Sacramenten na Christi instellinge uitreiken, en*

voor-

§. 27.

Vis, sive legis, sive consuetudinis, post Synodum Dordracenam, a. 1618 *et* 1619.

Ex antea dictis consequitur, inde a Synodo Dordracena a. 1619. usque ad praesentem rectionis

vooral hare Toehoorders tot het gebruik des H. Avondmaals vlytig vermanen: *Op haar zelven en hare medebroederen, zo Ouderlingen als Diakenen, en de gehele Gemeinte, goede agt hebben: met de Ouderlingen de Kerkelyke Discipline oeffenen: De Kranke, en andere aangevogtene bezoeken, troosten, en ten dien einde naukeurig onderzoek doen over de ziektens, en toestand van de personen in hunne respective Gemeinten; en, zodanige bevonden wordende, van zelfs, schoon daar toe niet expres mogten worden verzogt, pligts-halven dezelve bezoeken, om voor den welstand hunner zielen zorge te dragen, zonder daar in te mogen verzuimen, of te vertoeven tot den laatsten snik hares levens: Een voorbeeld der Godzaligheit, zo binnen als buiten 's huis, wezen: In somma, bezorgen, dat alles eerlyk en met goede order toega in de Gemeinte Christi. Dienvolgens zal een Predikant zig met geen Politike zaken vermengen; en op dat van zyn Dienst niet worde afgetrokken, zal hy zig van de exercitie van de Jagt, Visserye, of diens gereetschap ten enemaal moeten onthouden, zullende Clasfis en Visitatoren neerstig daar na vragen, en de Contraventeurs, daar het behoort, aangebragt en gecensureerd werden.*

nis ecclesiasticae formam, regia auctoritate anno 1816. invectam, aliud lege iniunctum fuisse Ecclesiae antistitibus in Gelria, Zelandia, regione Rheno-Traiectina et Transisalania, aliud Groninganis et Drenthinis. In regione enim Groningana et Drenthina servatae fuerunt, prouti modo §§. 24 et 25. diximus, veteres leges, quae Euangelii interpretes non minus quam Seniores iubebant, identidem instante S. Coena singulos adire Ecclesiae sodales, eosque ad legitimam huius convivii celebrationem, admonitione et consilio, praeparare. Contra, in Gelria, Zelandia, pago Rheno-Traiectino et Transisalania, non nisi Seniores iussi fuerunt singulos Ecclesiae addictos convenire, sive ante S. Coenam, sive postea, pro temporum locorumque opportunitate, et universe quidem docendi, monendi, hortandi, reprehendendi consolandique caussa. Haec enim, in Gelria, regione Rheno-Traiectina et Transisalania, praecipiebant canones Dordraceni anni 1619. ab Ordinibus harum Provinciarum sanciti; (§. 26.) in Zelandia vero iubebant canones Synodi Provincialis Medioburgensis anni 1591. (§. 20.) quos noluerunt mutatos huius Provinciae Ordines.

In Hollandia vero et Frisia, ubi, nec canones Dordraceni a Provinciarum Ordinibus fuerant

rant probari, neque alia decreta ecclesiastica vim legum consecuta erant, consuetudo, a Synodo Nationali anno 1578. vel invecta, vel probata, legis loco fuit, quam adeo communiter secuti fuere, cum Euangelii interpretes, tum etiam, si qui adessent, Seniores, identidem, instante S. Coenae celebratione, singulos sodales in eorum aedibus conveniendo, ad S. epulum invitando, et ad usum eius legitimum suadendo.

Hanc quoque consuetudinem secuti videntur coetuum Antistites in caeteris Provinciis, quarum tamen leges tam diligentem curam Euangelii interpretibus non imponebant. Neque in eo quicquam erat legi contrarium. Quod enim lex iniungebat Senioribus, propterea non interdicebat Christi doctrinam praedicantibus. Quod, pro locorum temporumque opportunitate, vel ante S. Coenam, vel postea, identidem faciendum erat ex lege, id ipsum poterant Antistites magis opportunum habere, si identidem fieret, instante S. Coenae celebratione. Et quod universe praestandum erat, docendo, monendo, reprehendendo, consolando, id ipsum praestari poterat ab iis, qui hoc imprimis agerent, ut sodales ad S. Coenam pie celebrandam invitarent et adhortarentur. Denique haec ipsa consuetudo multum habebat, quo commendaretur. Etenim

nim omnis illa visitationis domesticae cura nimis erat gravis et molesta, si, liberatis omnino Euangelii interpretibus, tota imponeretur Senioribus ecclesiae. Universa etiam disciplina ecclesiastica cunctis synedrii sociis erat mandata: cuius cum pars non minima esset in hac visitatione domestica, quidni et haec Doctoribus aeque ac Senioribus erat imponenda? Ne dicam, plures per omne id tempus, fuisse coetus rurales, in quibus nunquam electi fuere Seniores.

Quod de vi consuetudinis dixi, id manifestum fit e nonnullis relationibus fide dignis, quae mihi hoc loco commemorandae videntur.

Guilielmus Teelinck, Euangelii interpres Medioburgensis, anno 1621. libellum scripsit, *de praestantia ac salubritate S. Baptismi et S. Coenae*, (83) in quo epuli S. celebra-

(83) *Hemelsche Openinge, van de Zeghelen des Verbondts der ghenade: ons voorstellende de hoog-weerdigheyd, ende groote nuttigheydt des H. Doops, ende des H. Avondtmaels.* Amst. 1621. Quo in libello, p. 120. haec referuntur. *Ende hier toe werden sy des te meer gevordert, wantmen niet alleene eenighe weken te voore, de bedieninghe des H. Avontmaels af-kondight, tot hunder waerschouwinghe, maer alsdan plegen oock ghemeynlyck de Kerckendienaren, elck eene van de tafel-ghenooten te besoecken, ende aen te spreken, ende alsoo te vernemen, naa*

brationem propterea quoque valde proficuam dicit, quod singuli Ecclesiae socii, in aedibus suis admoniti ab Antistitibus, instante S. Coena, discant mores suos corrigere, pacem colere, et universe vitam emendare. Deinde vero, anno 1626. librum scripsit, *de tristi Ecclesiae conditione*, (84) in quo sumit, fideles Docto-

nae hare ghelegentheydt, ende haren dienst hun aen te bieden, tot verrichtinghe van het ghene, dat daer mochte oneffen wesen, by hun, tusschen andere menschen, ofte haer eygen conscientie. Ende dus werdt oock ter occasie van de bedieninge des H. Avondtmaels, de heele stadt, ofte plaetse, daer de selve voorhanden is, beroert, ende gaende ghemaeckt, in geestelijcke ende H. betrachtingen, soo datter naulijcx een huysghesin in de ghehcele plaetse te vinden is, welcke niet eenige bysondere opweckinge, ende aenporringhe tot Godsalige betrachtinge genietet, ter occasie van de bedieninghe des H. Avondtmaels.

(84) *Noodwendigh Vertoogh, aengaende den tegenwoordigen bedroefden Staet van Gods volck.* Midd. 1627. p. 150, 151. et p. 338. ubi memoratu digna sunt haec: *Wat aangaet de bysondere toesicht over de lidtmaten, — hier toe behoort noch sonderlinghe, de besoeckinghe der lidtmaten der Ghemeynte, die van huyse te huyse, teghen elcke bedieninge des heyligen Avontmaels, in vele welghestelde Kercken slichtelijck betracht werdt.* Add. p. 92. ubi queritur, *dat men ter occasie van d' aengroyende weelde, in eenighe plaetsen, de* Visitatie *ende het besoecken vande Lidt-maten van de Kercke, oock selve teghen de*

tores et Seniores, inſtante S. Coena, Eccleſiae ſocios convenire, et de rite celebrando epulo S. monere, laudatque Antiſtites, hoc officio diligenter fungentes; ſimul vero queritur de aliis, negligenter in eo verſantibus.

Ioannes Uytenbogaert, cuius liber posthumus, *de Historia Eccleſiae*, maxime Belgicae, editus a. 1646. ſcriptus, certe abſolutus est, post a. 1623. indicare videtur, (85) in reformatis coetibus ſolere Antiſtites, nominatim Euangelii interpretes, ſingulos coetus ſui ſocios convenire, monendi et hortandi cauſſa.

Iohannes Hoornbeek, inde ab anno 1645 usque ad 1654. Theologiae Profesſor et Sacrorum Antiſtes Rheno-Traiectinus, ita laudatur a cura in viſendis Eccleſiae ſociis adhibita, ut facile coniicias, eum officii ſui partem non negligendam in viſitatione domestica poſuisſe. (86)

Gis-

de bedieninghe des H. Avontmaels, *heeft begonnen t' onderlaten, tot on-uyt-ſprekelijcke ſchade van den bouw vande Kercken waer ſulcx gheſchiet is.*

(85) Vid. locum ſupra, p. 73. not. 57. laudatum.

(86) Hoornbeekii Vita ab *Amico* (Davide Stuarto, teste Casp. Burmanno, *Traiect. erudit.* p. 155.) praepoſita est libro eius posthumo, *de converſione Indorum et Gentilium*, Amſt. 1669. In ea laudatur his verbis. *Membra eccleſiae frequenter inviſebat, pios*

Gisbertus Voetius, in *Politicae Ecclesiasticae Parte prima*, Lib. II. edito anno 1663. ſcribit, (87) S. Coenae adminiſtrationem praeire in Eccleſia Belgica, 1. promulgationes ſeu praemonitiones publicas, 2. viſitationes, 3. conciones de Coena Domini, tum *excitatorias* et invitatorias, tum *confesſionales*, 4. inſtructiones privatas eorum, qui primum ad edendam fidei ſuae confesſionem et adnexam Coenae perceptionem ſint admittendi. *Viſitationes* dicit *privata ſingulorum fidelium alloquia per Concionatorem et Seniorem: in quibus eos hortentur ad inſtantis Coenae debitam praeparationem ad pietatis ac justitiae incrementum, ad zeli in frequentando cultu divino excitationem; et, ſi peculiariter quis monendus aut fraterne corripiendus, id peragant; dividia etiam et liticulas inter ipſos et proximum ſive intra ſive extra Eccleſiam exortas componant, aut metuendas praeveniant; ſi negotium inveniant, quod per ſe abſolvere aut nolint aut nequeant, de*

pios animabat, ignaros docebat, malos corrigebat, haereticos confutabat, afflictos ſolabatur, aegros recreabat, infirmos roborabat, dejectos erigebat, pauperibus ſubveniebat, omnes denique juvabat pro eorum ſtatu et conditione.

(87) Vol. I. p. 793, 794.

de eo ad Synedrium referant. Parte vero tertia, edita anno 1676. de visitatione membrorum et auditorum in ecclesia parochiali aut topica agens, (88) distinguit visitationem *occasionatam* ab *ordinaria* vel stata. De hac tria quaerit. 1. *A quibus fieri debeat?* Respondet autem: *a ministro et seniore conjunctim.* 2. *Quinam sint visitandi? Primo*, inquit, *membra ecclesiae, deinde auditores, aut omnes, aut aliqui*, si numerus membrorum maior sit, quam ut omnes conveniri possint. 3. *Quid agendum in visitatione?* Respondet, 1. *Ad coenam domini ejusque praeparationem sunt invitandi, adhortandi.* 2. *Sunt excitandi ad continuationem et frequentiam exercitii religionis in ecclesia et in praxi pietatis domesticae ac privatae.* 3. *Si quae negligentia, aut quis tepor in iis visitatoribus innotuerit, specialiter adhortandi sunt ad resipiscentiam et zelum.* 4. *Si quae turbellae inter ipsum et aliquem ex domesticis ortae sint, aut inter ipsum aut aliquem aut aliquos, sive extraneos, sive domesticos fidei, ut ad compositionem et reconciliationem eum adhortentur, et consilio atque opera sua eam promoveant.* 5. *Quod si per ipsos fieri nequeat, ad synedrium de eo referatur, ut ejus autoritate hoc aga-*

(88) Vol. IV. p. 107, 108.

agatur, si fieri possit: sin minus, deliberetur, an et quando rebus sic stantibus, sine scandalo ecclesiae et extraneorum, si qui hujus turbationis conscii sunt, hac vice ad usum coenae admitti queat. In eadem denique Parte agens de ecclesiastica visitatione, a Classium deputatis quotannis instituenda apud singulos coetus, (89) *inquirendum* esse scribit, *de concionatore quidem*, praeterquam de aliis rebus, ita etiam nominatim, *an membra ecclesiae et auditores omnes domatim cum seniore ecclesiae visitet, ante coenae administrationem?* de senioribus autem, alia ne commemorem, *an concionatori aut concionatoribus assistant atque opitulentur consilio, inspectione, cura et directione ecclesiae; membra ecclesiae, quavis occasione, imprimis solenniter atque ordinario una cum concionatoribus ante celebrationem coenae domatim visitando: et de statu eorum ac praeparatione ad coenam quaerendo; ad incrementum pietatis, ad publica exercitia pietatis diligenter frequentanda hortando, etiam ad privata et domestica exercitia exstimulando?*

In Classe Edamensi, anno 1668. in coetu quopiam, cuius Pastori non licebat sacro mune-

(89) Vol. IV. p. 101.

neri fungi, visitatio domestica fuit procurata a vicino Pastore et illius coetus Seniore. (90).

Iacobus Koelman, Sacrorum Antistes Slusae in Flandria, in libellis, quos in lucem emisit, annis 1674. 1678. et 1685. (91) queritur de negligentia et festinatione, quibus eo tempore multi, cum Euangelii interpretes, tum Seniores, versabantur in visitatione domestica, quae fit instante S. Coenae celebratione.

Eduardus Meiners, cuius *Historia ecclesiastica Frisiae Orientalis* Belgice edita est a. 1738 et 1739. laudat consuetudinem ecclesiarum nostrarum, in quibus statutis temporibus salutentur coetuum sodales. (92).

Hen-

(90) Hoc intellexi e Compendio Legum, a Classe Edamensi edito, (supra ad §. 19. laudato,) p. 88,

(91) Vid. Praefatio libelli, quem ex Anglico sermone conversum edidit: *de Wekker der Leeraaren in tijden van verval*, Amst. 1674. 8. item liber, quem scripsit latens sub Christophili Eubuli nomine: *de Pointen van nodige Reformatie, ontrent de Kerk, en Kerkelijke en Belijders der Gereformeerde Kerke van Nederlandt*, Vlisſ. 1678. 8. p. 213, 214. 557-559. et Orationes binae hoc titulo in lucem emissae: *Neerlandts Pligt, en Voorbeeldt, de Reformatie der Kerke*, Amst. 1685, p. 15.

(92) *Oostvrieschlandts Kerkelyke Geschiedenis*, Vol. II. p. 647. *De gezette Huisbezoekingen op zekere tyden zyn nooit in deze* (Emdensche) *Gemeinte, gelyk in Neder-*

Henricus Ravesteyn, Ecclesiastes Zwollanus, a. 1743. primum edidit librum Belgice scriptum de muneris S. partibus, in quo docet, quomodo Euangelii interpreti versandum sit in visitatione domestica, quae quotannis ter vel quater institui soleat. (93)

His addi possent plures e recentioribus. Sed, quid post medium seculum XVIII. consuetudine fuerit receptum, id quaestio, a Vobis, Viri Clarissimi, proposita, testatur: neque de eo quisquam dubitabit.

Ipsa vero ea consuetudo pedetentim legis vim nacta est, ut adeo Antistites visitationem domesticam, instante S. Coenae celebratione, negligentes, in iis etiam provinciis, quae legem Synodalem ignorabant, censerentur suo deesse officio ac propterea reprehensione digni. Hinc singularum, vel Synodorum, vel Classium, decre-

denlandt, waargenomen. — Onlangs evenwel heeft men een besluit genomen, de zelve te verrichten en ik wensche met al myn hardt, dat dit zo nodig en heilzaam besluit ter uitvoeringe gesteld moge worden.

(93) *De Nafireer Gods tot den heiligen dienst toegerust.* Edit. III. Amst. 1756. Vol. I. p. 353. 354. *De Gezette Huysbezoekingen, die in zommige Gemeentens driemaal, en in zommige viermaal des jaars, by gelegenheit van de Bedieninge des H. Avontmaals, geschieden, en niet ligt mogen verzuimt worden.*

creta orta sunt, quibus censura ecclesiastica in negligentes statuebatur, et Visitatores Ecclesiarum iubebantur quotannis in curam singulorum Pastorum et Seniorum inquirere. His, quoad eius fieri possit, commemorandis huic disquisitionis parti finem imponam.

Gelriae Synodus, mense Augusto anni 1698. Ordinem sive Regulam Visitationis Ecclesiasticae instituit, (94) quae iubebat quotannis inquirere: *Aangaande de Predikanten of Predikant:* — III. *Of ter behoorlyker tyt en plaets, soo den H. Doop, als 't Avontmaal bedient na drie voorgaande Proclamatien?* IV. *Of se vooren ook de Ledematen besoekt, en tot het H. Avontmaal nodigt, 's Jaars ten minsten eens of tweemaal?* Similiter *Nopende de Ouderlingen.* —

III.

(94) *Ordre of Reglement, waarna alle de Kerken, onder de respective Classen der Christelyke Synodus van Gelderlant resorterende, sig sullen hebben te reguleren, soo veel een ieder mogelyk is, dat gepractiseert kan worden, volgens de resolutie van de welgemelte Synodus genomen A°. 1698. in Augusto.* Qui Ordo adiecta est Smetii libro, supra p. 63 laudato, facitque Additamentum, cuius pp. 1–5. Quaestiones quotannis proponendae exhibentur, deinde, p. 6. haec subiicitur admonitio. *Dit voorschrift sullen de Visitatores Classis, als sy de Visitatien doen, by sig hebben, getrouwelyk daar na vragen, als voor de oogen Godts, en van haar verrigtinge aan de Classis behoorlyk rapport doen.*

III. *Of de discipline nevens den Leeraar oeffenen tegen ergerlyke Ledematen, en voorts in alles behulpzaam zijn?* In Gelria igitur videtur Euangelii interpretibus licuisse, Seniorum auxilium ad visitandos Ecclesiae socios, pro arbitrio, vel adhibere, vel minus. Hinc, in Synodi Gelricae decreto, anni 1663. (95) quo remedia praescribuntur ad cohibendam nominis divini profanationem, visitatio domestica dicitur instituenda ab iis, qui *ecclesiis prospiciunt, provident*, non definita mentione facta, vel Doctorum, vel Seniorum.

Hollandiae australis Synodus, annis 1724 et 1730. (96) Regulam decrevit visitationis ecclesiasticae quotannis instituendae, iubentem quae-

(95) In laudato Additamento ad Smetii librum, p. 25. decretum illud exhibetur, quod, alia ne commemorem, praecipit, art. III. *dat ook de Opzienders van de Kerken in het bysonder sullen voordragen den schuldigen Pligt van de Schoolmeesters, Huys-vaders en alle die over andere gestelt zyn, en ten desen eynde in de besoekinge voor het Heylig Avontmaal, de Ouders in het bywesen van haare Familie, soo veel doenlyk sal zyn, met alle beweechelyke redenen, de heyligmakinge van de Name Godts sullen recommanderen.*

(96) Haec Regula mihi innotuit e libro, cui titulus: *Ordres en Gebruiken der E. Classis van 's Gravenhage.* 's Hage, 1771. 8. p. 69. 74, 75, 76.

quaerere, ex universo Synedrio: 3. *Of het H. Avondmaal viermaal des Jaars op behoorlyke tyd gehouden werd, na voorgaande Huisbezoekinge ende Proefpredikatie?* Porro e Synedrio, absente Euangelii interprete: 6. *Of hy* (de Predikant) — *de Ledematen voor de bedieninge des Avondmaals bezoekt?* et, absentibus Senioribus, *Of de Ouderlingen ook nevens de Dienaren zorge dragen over de Kudde des Heeren? goede ordre waarnemen; arbeiden om alle ergernisse van de Kerk des Heeren, zoo veel het doenelyk is, weg te nemen? de zwakke sterken, de gevallene tot bekeeringe vermanen, de ongeregelde bestraffen, en daar toe trachten om alle twist en oneenigheid onder de Ledematen ter neder te leggen?* Quae inquirendi ratio docere videtur, hanc Synodum, non Senioribus, sed Euangelii interpretibus; imposuisse onus identidem, instante S. Coena, visitandorum Ecclesiae sociorum. Similiter, in *remediis ecclesiasticis*, anno 1802. Hagae Com. editis, (97) cap. II. art. 10. praecipitur: *de Predi-*

(97) *Kerkelyke Middelen ter beteugeling van zedenloosheid, en bevoordering van stichting en goede zeden by de Hervormde Gemeenten, onder het resort der Christelyke Synodus van Zuid-Holland, tot Hoofdstukken en Artykelen gebragt naar het Ontwerp, 't welk door de De-*

dikanten alle *en* overal *zullen gezetheid betoonen in het doen, en nuttig inrichten van de Huisbezoekingen*, by allen, *die behooren tot de Gemeente.*

Synodus Hollandiae borealis, anno 1791. decrevit visitationis ecclesiasticae regulam, has quaestiones proponi iubentem: primum universo Synedrio: 14. *Of de Huisbezoeking behoorlyk geschiedt, en van de bevinding derzelver verslag gedaan wordt?* deinde etiam Pastoribus et Diaconis: *Of zij* (de Ouderlingen) *in de Huisbezoeking en de oeffening der Kerkelijke discipline den Predikant adsisteeren?* (98)

In Compendio legum, a Classe Edamensi, in Hollandia boreali, edito, supra p. 69. laudato, haec memoratu digna habentur. *Het is nuttig, dat een Ouderling den Predikant* (in de Huisbezoeking) *verzelt, als het geschieden kan, egter kan men geenen Ouderling of Kerk daar toe dwingen.* Cl. 1624. Jul. 29. §. 5. *Men is daar in aan geen Dag, Uur of Order, wie eerst of laest moet bezogt worden,* ver-

Deputaaten der Christelyke Synodus van Zuid-Holland vervaardigd, en door die hooge Kerkvergadering goedgekeurd is in Synodo Leidensi, 1800. p. 8.

(98) Haec inveni in *Byvoegzelen tot de Wetten der Classis van Haarlem*, ed. a. 1791.

verbonden. Cl. 1701. Febr. 7. §. 5. *Men mag daarin geene Leden, die niet onder de Censuure leggen, voorby gaan.* Cl. 1709. Febr. 18. §. 3.

Synodus Zelandiae, a. 1620. deliberans, de praeparandis ad fidei professionem baptizatis, consultum fore iudicavit, si Euangelii interpretes in visitando coetu suo neminem praetereant. (99) Quod decretum ab Ordinibus huius

(99) Conf. *Acta Synodalia of gearresteerde Kerkenordeningen van Zeelandt*, supra p. 70. not. 54. laudata. Ex Actis Synodi Goesanae, a. 1620. cap. II. art. IV. haec p. 52, 53. memoranda sunt: *Aengaende de Persoonen, die in haer kintsheyt, door den H. Doop der Gemeynte Jesu Christi syn ingelyft, wert gevraegt, wat middelen men sal aenleggen, om die in de kennisse des Heeren te onderwysen, ende allenghskens tot het gebruyck des Heyligen Avondmaels te brengen? Is eendraghtelyck verstaen, dat den schuldigen plight aller Predikanten is, naeuwe aght op de sulcken te nemen, ende die met alle neerstigheyt te Catechiseeren, ende door openbare ende particuliere Vermaningen, de Kinderen tot deze Heylige Oeffeninge te locken. -- -- Om nu dit Heylige Werck meer te bevoorderen: Is raetsaem gevonden, dat de Predicanten (hare Gemeynten besoeckende) geen Huysen ofte Persoonen soo veel doenlyck is, en sullen voorby gaen, immers als sy niet seker en syn, dat deselve eenige Secten hartneckelycken aanhangen.* Quod decretum repetitum est in Synodo Tholensi, a. 1638. Actorum c. II. Art. 3. p. 113, 114.

ius Provinciae probatum est, die 12 Novembris eiusdem anni.

Clasſis Rheno-Traiectina videtur quoque Antiſtitibus praecepiſſe viſitationem domesticam, identidem inſtante S. Coenae celebratione procurandam. Certe in *Enchiridio Clasſis Rheno-Traiectinae*, a Christiano de Kruyff, Eccleſiaste in coetu *Lopik* et *Cabauw*, collecto, et typis deſcripto a. 1793. huiusmodi mandatum, ex *Agendis Deputatorum*, cap. XV. §. 16. refertur. (100) Certe neminem ſodalium praeteriri Clasſis voluit. (101)

Synodus Friſiae quoque, cum Euangelii interpretes, tum Seniores, iusſit, identidem inſtante S. Coenae celebratione ſingulos convenire coetuum ſodales. Utriusque rei documentum est in *Compendio Legum Eccleſiasticarum Friſiae*, iterum edito Leovardiae, a. 1771. (102) Titulo enim XI. qui *de vita et mu-*

(100) *Utrechtsch Clasſicaal Handboekje of voornaamte hoofdſakelijke inhoud der Clasſicalia van de Clasſis van Utrecht van* 1619 *tot* 1791. p. 119. *En moet jaarlijks in Viſitatione gevraagt worden, of die* (Huijsbeſoeking) *voor elk Avondmaal gewoonlijk geſchied, en hoe?*

(101) E *Repertorio Clasſicali* hoc Clasſis decretum, factum menſe Iunio a. 1731. refertur in laudato *Enchiridio*, p. 118.

(102) *Compendium der Kerkelijke Wetten van Vriesland*,

munere Ministrorum agit, art. IX. haec praecipiuntur: *Een Dienaar des Goddelijken Woords zal gehouden zyn, ten minsten ééns of tweemaalen des Jaars het Avondmaal des Heeren te houden.* Quibus addantur, quae porro, de Ministrorum munere, art. X. et de Seniorum officio, Tit. XXI. art. I. scripta sunt, utraque iam a nobis laudata, p. 85. Verum, ineunte hoc seculo, ea lex consuetudini iam invectae ita fuit attemperata, ut illud officium omnibus imponeretur Euangelii interpretibus, Senioribus vero non nisi in iis coetibus, in quibus hoc usu receptum erat. Etenim, in *Codice legum ecclesiasticarum*, Ecclesiis Frisiae, a. 1804. impositarum, (103) Parte X. quae agit *de vita et munere Ministrorum*, haec mandantur Euangelii interpretibus: Art. 8. *Zy zullen, op gezette tijden, met de Gemeente het Heilig Avondmaal vieren.* Art. 9. *Zy zullen voor het vieren van het Heilig*

land, geëxtraheert uit 's Lands en Synodale Resolutien: Tweede druk, p. 41 et 78.

(103) *Wetboek en Kerken-Orde; als mede Manier van procederen voor Kerkenraden, Klassen en Sijnode, voor de Hervormde Kerk in Vriesland, gearresteerd ter Synodale Vergadering, gehouden op het Heerenveen, den 17 Julij 1804. en volgende dagen, en op last derzelver, in het licht gegeven, door de Deputaten der Synode.* Fran. 1806. 8. p. 34, 35. item 6.

lig Avondmaal huisbezoeking doen bij alle de Ledematen der Gemeente zonder onderſcheid, ten minſte eens in 't Jaar, en behoren ook, bij deze gelegenheid, hen die geene Ledematen zijn, aan te ſpreken, en aan te ſporen tot het waarnemen van den openbaren Godsdienst, en om bijzonder onderwijs in den Godsdienst te ontvangen. Art. 6. *Ieder Predikant zal in de huisbezoeking bij de Ouders ten ſterkſten aandringen, dat zij, uit kracht van gedane Doopbelofte, hunne kinders vroegtijdig laten onderwijzen in den Godsdienst.* Art. 10. *Zij zullen gevoegelijk in de Huisbezoeking door een Ouderling vergezeld worden, waar zulks gebruikelijk is.* Art. 11. *Zij, die in eenig gedeelte van hun werk, het zij — — — in het Huisbezoeken, enz. nalatig zijn, zullen daar over door de Klasſis aanſprekelijk zijn, en Cenſurabel, naar bevinding van zaken.* Partis autem II. Sectione II. quae *de Senioribus* agit, art. 2. horum partes deſcribuntur ſic: *De pligt der Ouderlingen vordert, opzigt te hebben op de Leere en het zedelijk gedrag der Leeraren, gelijk ook op dat der Gemeente; en waar zulks gebruikelijk is, met den Predikant voor het Avondmaal Huisbezoeking te doen.*

PARS

PARS POSTERIOR,

DE

VISITATIONE DOMESTICA PRUDENTER ET UTILITER INSTITUENDA.

Quaestionis propositae pars *posterior* huius est argumenti: *Posſuntne antistites hac opportunitate ad alias ſacri muneris partes rite adminiſtrandas prudenter uti? Quod ut fiat, quomodo univerſe hac in re iis verſandum erit? Quae tandem hinc utilitas ſperari poterit?*

Cum igitur tria quaerantur, posteriorem Commentationis partem tribus Sectionibus complectar. Quarum *prima* agit, *de viſitationis domesticae opportunitate, ad alias ſacri muneris partes rite adminiſtrandas prudenter adhibenda; ſecunda* exponet *probabilem modum, quo univerſe, hac in re, verſandum ſit; tertia* laudabit *utilitatem hinc ſperandam.*

SEC-

SECTIO PRIMA.

DE

VISITATIONIS DOMESTICAE OPPORTUNITATE, AD ALIAS SACRI MUNERIS PARTES RITE ADMINISTRANDAS, PRUDENTER ADHIBENDA.

---

§. 1.

Visitatio domestica, S. Coenae antecedens, vel seorsim fieri potest, vel coniunctim cum aliis sacri muneris partibus.

Quod in proposita Quaestione sumitis, Viri Clarissimi, ipsa rei ratio docet, nec de eo dubitare nos sinit usus et experientia. Qui enim Ecclesiae antistites identidem, instante S. Coenae celebratione, singulos sodales in eorum aedibus conveniunt, vel in eo subsistere possunt, ut hos ad sacrum invitent epulum, de eiusque usu moneant legitimo, vel simul etiam alias muneris

ris sui partes administrare posſunt. Nihil enim eos impedit, quominus ipſos illos ſodales, de aliis rebus ad religionem pertinentibus, moneant, ad alia fidei ac pietatis officia hortentur, in rebus adverſis conſolentur, cum iisque preces fundant. Praeterea posſunt Antiſtites, hac in viſitatione, vel tantummodo Eccleſiae ſocios curare, vel ſimul etiam rationem habere aliorum, ſive adultorum, ſive adolescentium, qui in eadem cum illis domo vivunt. Denique posſunt, vel non niſi eas intrare aedes, in quibus ſperant fore unum pluresve fidem profesſos et ad S. Coenam celebrandam admisſos, vel etiam eas adire, in quibus neminem Eccleſiae ſodalem inveniri certo ſciunt. Quae quidem agendi ratio valde disſimilis, ut locum habere poteſt, ita etiam reapſe deprehenditur, in aliis atque aliis coetibus, ab aliis atque aliis Eccleſiae Antiſtitibus probata. Eaque diverſitas oriri poteſt, non tantum e maiori minorive Antiſtitum cura et diligentia, in administrandis ſingulis muneris impoſiti partibus; ſed etiam ex iudicio, quod quisque fert de caeteris partibus, vel cum viſitatione domeſtica coniungendis, vel ab hac ſecernendis, et alia, ſive data, ſive quaeſita, opportunitate procurandis.

Quod igitur variis modis, et poteſt fieri, et reapſe fit, de eo, Viri Cl. quaeritis, quid *pruden-*

denter instituì possit. Quam equidem quaestionem ita mihi accipendam esse persuadeo, ut respondendum sit, quid prudentiae leges, non tantum sinant, sed etiam suadeant. Quod si recte iudico, mihi primum periculum faciendum erit indicandi nonnullas muneris sacri partes, quae, sive semper fere, sive aliquando, commode possint administrari, adhibita opportunitate visitationis, de qua disserimus, domesticae, §§. 2–8. *deinde* demonstrandum erit, *prudentius* plerumque eos agere, qui has curae, quae dicitur, pastoralis partes coniungunt cum invitatione et praeparatione ad S. Coenam celebrandam, quam qui eas omnino ab hac singulari parte seiungunt. §§. 9–11.

§. 2.

Qui ad S. Coenam invitantur et de usu eius legitimo monentur, possunt simul, de rebus aliis ad religionem et Christianorum officia pertinentibus, moneri.

Qui ad S. Coenam una cum universo coetu celebrandam legitime invitari, ad eamque Antistitum admonitione praeparari possunt, sunt adulti, S. lavatione Ecclesiae Christianae initiati,

fidem

fidem ſuam profesſi, ſociis coetus adſcripti, vitam inculpatam agentes, nec legitima causſa impediti, quo minus cum maxime huic epulo S. interesſe posſint.

Horum cura gregis Christiani Pastoribus a Christo impoſita est. Hi igitur, ſi inſcitia, vel iudicii vitio, errent, ſunt docendi; ſi dubitent, haeſitent, vacillent in fide, confirmandi; ſi tardi, ſegnes, pigri ſint in causſa religionis, excitandi ſunt, ſtimulandi, urgendi; ſi aperte delinquant et contra bonos civis Christiani mores peccent, corrigendi, et ad reſipiſcendum hortandi; ſi tristes, moesti, conturbati ſint, conſolandi, animandi, hilarandi; ſi qua parte modum excedant, cohibendi, moderandi et ad iustam mediocritatem reducendi.

Horum omnium nihil alienum est a cura Antistitum, ſocios Eccleſiae ad S. Coenam invitantium et praeparantium. Quo enim penitius his perſuadetur de erroribus et vitiis, quibus optimus quisque laborat, eo maiori modestia, animi ſubmisſione et peccatorum poenitentia, memoriam celebraturi ſunt Christi pro nobis pasſi ac mortui, ut nos ab omni vitio ac labe purgaret, poenarum remisſionem nobis procuraret, et ad aeternam eamque ſanctam ac beatam vitam adduceret. Quo magis proficiunt in fide Christo habita, eo maiori fiducia animique laetitia,

titia, in S. Convivio, celebrare posſunt laudes Dei, Filium ſuum mortis ſupplicio pro nobis tradentis, ipſiusque Soſpitatoris nostri, peccatorum nostrorum causſa in crucem acti, ac moriendo ſibi potestatem adepti, diſcipulos ſuos et amicos ad ſummam eamque aeternam felicitatem evehendi. Quo maiori conſtantia, animi tranquillitate et fortitudine, perſeverant in vita ad Christi legem et exemplum exacta, eo maiori fiducia et ſpe poterunt coram omnibus profiteri, Christum eſſe Conſervatorem ac Dominum ſuum, ſeſe vero ei ſubditos, eius beneficio e peccati ſervitute liberatos, Dei filios, Spiritu S. ductos, adventum Christi exſpectantes, vitaeque aeternae haeredes. Quo promtiores et paratiores fiunt, ad omnia humanitatis officia praeſtanda et ad fraternum Christianorum amorem colendum, eo etiam magis erunt idonei ad ſacrum illud convivium ingenuo hilarique animo una cum fratribus celebrandum, in quo unus panis, quem omnes edunt, et calix unus, e quo omnes bibunt, ſymbolum praebet Conſervatoris, cuius morte violenta vitae felicitatisque unicum praeſidium et adiumentum ad omnes redundat, ipſum una fide mutuoque amore accipientes et tenentes.

Ex his igitur quisque facile efficiat, Antiſtites, coetus ſui ſodales ad S. Coenam invitantes

tes et de usu eius legitimo monentes, simul perquam commode eos posse universe monere, de rebus ad religionem et Christianorum officia pertinentibus.

§. 3.

Quibus, per adversam valetudinem aliave de causa probabili, non continget S. celebrare Coenam, his admonitionis consolationisque medicina praeberi potest.

Ecclesiarum antistites, quoties, instante S. Coena, singulos adeunt socios, toties inveniunt nonnullos, qui praevident, sibi haud datum iri opportunitatem epuli sacri celebrandi. Inveniunt enim, aut aegrotantes, infirmos ac debiles, aut parturientes vel puerperas, aut negotiis necessariis, sive privatis, sive publicis, distentos. In his alii solent dolere damnum, quod patiuntur, quibus negatur opportunitas sacrum celebrandi epulum: alii hanc iacturam minus curant. In his, qui diuturno et insanabili morbo tenentur, nonnunquam desiderium existit, in aedibus suis, sacro Coenae ritu, adiuvantibus Ecclesiae antistitibus, Christi pro nobis mortui memoriam repetendi.

Quod

Quodsi igitur Antistitibus in visitatione domestica detur opportunitas colloquendi cum huiusmodi sociis, dubium non erit, quin admonitionis et consolationis medicina his commode adhiberi possit.

§. 4.

Censura ecclesiastica a S. Coena prohibiti ad resipiscendum admoneri possunt.

Nonnunquam Antistitibus in visitatione domestica occurrunt, qui fidem professi Ecclesiaeque sociis adscripti, tam turpiter et manifesto a fide vitaque cive Christiano digna deflexerunt, ut iis censurae ecclesiasticae medicina adhibenda fuerit. Hi, quamdiu, aut in ista animi vitaeque turpitudine perseverant, aut commissi flagitii poenitere nolunt, ad instantem S. Coenam non simpliciter sunt invitandi. Verum eo magis possunt ab Antistitibus admoneri, ad resipiscendum, ad culpam confitendam, ad vale dicendum erroribus, ad vitam emendandam, ad damnum, quod intulerint, quoad eius fieri possit, resarciendum, et ad redeundum in gratiam cum Ecclesia, cui fuerunt opprobrio, cum Antistitibus, quibus molestam crearunt curam, cum sociis, quos tristitia affecerunt, denique cum omnibus, quos offenderunt.

Haec

Haec igitur cura vere pastoralis, oves errantes ad gregem revocans et reducens, toties opportune adhiberi videtur, quoties genuini et inculpati sodales ad sacrum invitantur convivium. Quando enim fideles gregis Christiani pastores plurimis spem faciunt convivii honorifici et gratissimi, non possunt non misereri paucorum, sua culpa hoc beneficio destitutorum. Et quando isti, censura ecclesiastica notati, vident, se non negligi aut contemni ab antistitibus alios invitantibus, sed potius diligentius curari, et invitari adeo precibusque impelli ad resipiscendum, eumdemque cum caeteris sodalibus fructum salutarem e Christi morte et vita percipiendum, profecto, vel ad omnem humanitatem sunt obdurati, vel hoc amoris documento ad bonam frugem erunt reducendi.

§. 5.

Catechumeni, aliique nondum fidem professi, admoneri possunt.

In nullo non coetu Christiano Antistites multos inveniunt nondum fidem suam professos, sive quod nondum ad ingenii maturitatem pervenerint, sive alia de caussa.

Ex utroque genere erunt, qui, quod nondum asse-

assecuti sunt, discendo quaerunt, sive apud ipsum Euangelii interpretem, qui in sociis ad S. Coenam invitandis occupatus est, sive apud aliquem collegarum, sive apud catechetam legitime ad docendum admissum, sive apud quemcunque alium, sive denique proprio marte. Horum quidem nemo mihi Antistitum cura videtur excludendus. Certe, et adulti, et ex adolescentibus provectiores, data visitationis domesticae opportunitate, possunt moneri, de proposito strenue persequendo, de doctrina Christiana magni facienda, de fidei et virtutis praestantia et salubritate, de fide propediem sincere profitenda, de officiis, quae Ecclesiae alumnis et sociis incumbunt, de honorifica eorum conditione, qui ad S. Coenam admittuntur, et de fructu ex pia eius celebratione speranda. Qui ex catechumenis industria et assiduitate exemplum praebent, quod imitentur condiscipuli, laudari possunt, segnes contra et negligentes excitari et impelli. Quod si fiat, audientibus patre aut matre familias, his opportunitas praebetur liberos suos et famulos, pro cuiusque ratione, monendi et hortandi.

Nec minus attendere possunt Antistites ad eos, qui, sive adulti, sive adolescentes, nondum in disciplinam Christianam sunt traditi. Quod si neglectum sit parentum incuria,

vel dominorum inhumanitate, hi nunquam commodius posſunt reprehendi et ad officium ſuum impelli, quam ubi Eccleſiae ſocii invitantur ad beneficia et officia, cum honorifica ipſorum conditione iuncta. Sin autem culpa inſcitiae et tarditatis ad discendum in ipſis reſidet, ſive aetate provectioribus, ſive iunioribus, nonne his etiam, ipſa illa opportunitate data, prodesſe Antiſtes poterit, invitando, hortando, animum addendo, perſuadendo?

§. 6.

Sacra publica negligentes privatim admoneri posſunt.

In plerisque Belgii coetibus reformatis inveniuntur, qui ſacra publica, ſive ſemper, ſive plerumque negligunt. Quo fit, ut, vel nunquam, vel raro admodum, audiant, quae e ſuggesto ſacro docent Euangelii interpretes. Qui vero rarius publicam audiunt inſtitutionem, minus eam intelligunt, eiusque veritatem, auctoritatem et ſalubritatem, difficilius percipiunt: maius autem damnum faciunt, quando nec domi ſacros legunt libros, neque alia fidei ac pietatis adiumenta adhibent. Horum negligentia publice ab Oratoribus Sacris potest damnari, emendari non potest. Quemadmodum igitur fide-

delis pastor aberrantes quaerit oves, ut ad gregem eas reducat, ita etiam oportet gregis Pastorem Christiani hos privatim admonere, hortari, stimulare, ad conventus sacros celebrandos, Deum publice colendum, Iesum Christum Conservatorem ac Dominum una cum Ecclesiae sociis profitendum, eamque Euangelii admonitionem frequenter audiendam, cuius ope Sanctus Dei Spiritus mentes collustrat, animos emendat, et mortales ad vitam beatam praeparat. Quod quin commode fieri possit, data visitationis domesticae opportunitate, nemo facile dubitet.

§. 7.

Rixae et inimicitiae tolli lenirique possunt.

Christianos oportet sese invicem mutuo complecti amore, pacemque cum omnibus servare. Absque pace et tranquillitate, ut nulla civitas, ita nullus quoque Christianorum coetus, florere potest aut vigere. Iccirco Ecclesiae Doctoribus et Antistitibus opera est danda, ut, si quae inter socios ortae fuerint rixae et simultates, has tollant, aut certe leniant. Et pro concione quidem illi pacem, concordiam, lenita-

tem, patientiam, facilitatem ad condonandum, omniaque humanitatis fraternique amoris officia, laudare et rationibus gravissimis inculcare possunt. Verum privata admonitione plerumque etiam opus est, ad sedandas controversias et ad pacem conciliandam. Quae quidem admonitio vix abesse ab ea potest, qua Ecclesiae sodales ad S. Coenam celebrandam invitantur praeparanturque. Ubi enim irae, odia, iurgia dissociant animos, ibi disrumpitur amoris vinculum, quo fratres et sorores, Domini Coenam celebrantes, constringi oportet. Et quorum animus ab iracundia et inimicitia occupatur, hi ad memoriam Christi pro nobis mortui pie recolendam minime sunt idonei. Quocirca etiam quicunque deliberate ad convivium sacrum accedere amant, et ingenue cogitata sensusque aperiunt Antistiti invitanti, toties solent queri de animo minus parato ad epulum Christianorum celebrandum, quoties iis cum quopiam inimicitiae intercedunt. Itaque peropportune poterunt Antistites, in visitatione domestica, quae S. Coenae antecedit, id agere, ut rixas et inimicitias, quibus immixti sunt, sive ipsi Ecclesiae sodales, sive alii ab Ecclesia haud alieni, tollant; aut, si tolli omnino nequeant, eas certe leniant ac mitigent.

§. 8.

§. 8.

Preces cum admonitis fundi possunt.

Qui coetui Christiano praesunt Doctores et Antistites, hos precibus et gratiarum actionibus praeire oportet reliquis sociis, in conventibus sacris. Neque in eo subsistunt, qui nullam muneris sibi impositi partem negligere cupiunt. Nam, quoties, in Synedrio aut singulari conventu, de rebus alicuius momenti ad salutem publicam privatamve, deliberant, toties etiam Dei auxilium implorant cum fratribus, pro eoque gratias agunt. Neque preces et gratiarum actiones intermittunt, ante et post privatas institutiones. Et, honeste invitati, in conviviis et amicorum circulis, precando praeeunt, pro temporum locorumque opportunitate. Denique, in monendis consolandisque aegrotantibus, non minima pars officiorum, visitanti impositorum, cernitur in precibus. Audio praeterea, in non paucis coetibus, nominatim Hollandiae borealis, solere Antistites identidem precibus concludere admonitiones, quibus sodales, una in domo habitantes, ad S. Coenam invitant ac praeparant. Quae consuetudo, si non ubivis imitanda sit, nondum propterea festinanter abroganda videtur in coetibus, quorum socii pristino

mo-

mori adhaerent. Et, si preces, semper adhibitae, parum omnibus prosint, quis negaverit, has, aliquando iusto cum delectu et apte ad praesentem caussam institutas, insignem afferre posse utilitatem, iis maxime, qui sunt moesti, vel dubii et haesitantes, quibus singulari quadam admonitione, cohortatione ac consolatione, opus erat? Proinde igitur ausim quoque profiteri, nonnunquam Antistites, in visitatione domestica ante S. Coenam instituenda, opportune posse cum admonitis vel admonendis preces fundere.

§. 9.

Ad has sacri muneris partes rite administrandas, prudenter adhibenda est opportunitas visitationis domesticae, quae fit instante S. Coena.

Videor mihi §§. 2–8. indicasse nonnullas sacri muneris partes, quae, sive semper fere, sive aliquando, commode *possint* administrari, adhibita opportunitate visitationis domesticae, quae fit instante S. Coena. Superest, ut demonstremus, *prudenter* id ita institui, atque adeo *prudentius* plerumque eos agere, qui laudatas curae pastoralis partes coniungunt cum invitatione

et

et praeparatione ad convivium Domini celebrandum, quam qui eas omnino ab hac singulari parte seiungunt.

Quod antequam aggrediar, pauca videntur praemonenda, ad recte intelligendam, quam profiteor, sententiam.

1. Prudentiam laudo, non Antistitum, singulas, quas indicavi, muneris sacri partes, apud singulos coetus sui socios, administrantium, sed eorum, qui, in universa hac cura, delectum faciunt, ad singulorum sodalium necessitates accommodatum.

2. Neque eorum laudo prudentiam, qui omnem partium memoratarum administrationem ita coniungunt cum visitatione domestica, S. Coenae antecedente, ut nullas insuper iis fungendi opportunitates, aut adhibeant, aut quaerant; sed magni eos aestimandos puto, qui, quoties res id ferat eoque opus sit, opportunitate instantis S. Coenae utantur, nulla interim alia, quae iis datur, neglecta.

3. Nec mihi magnopere laudanda videtur eorum prudentia, qui, quod nonnullis Ecclesiae sociis prodesse vident, singulis adhibent, aut, quod aliquando proficit, id frequenter, quod plerumque, id semper tentandum esse sibi persuadent: sed prudentiae laus iis videtur tribuenda, qui, exploratis hominum ingenio, animo,

mo-

moribus, habitaque temporum, locorum, caeterorumque adiunctorum ratione, id experiuntur, quod singulis magis minusve profuturum videatur.

4. Fateor quoque, non omnes sacri muneris partes, ab omnibus, omnique tempore, aeque promte et feliciter administrari posse. Alia profecto ratio est Antistitum, diuturna muneris ecclesiastici administratione exercitatorum, alia parum in sacro munere versatorum: alia eorum, qui coetui suo aliquamdiu praefuerunt, hominumque ingenia et mores norunt, alia eorum, qui nuper coetus curam susceperunt. Quae viris expertis facilia sunt, nondum versatis molesta accidunt: maxime ubi quicquam repentinum inopinatumque accidit. Prudenter igitur in munere suo versari mihi videntur, qui, quoties sese imparatos sentiunt ad id in visitatione domestica agendum, quod sine detrimento differri possit, ab eo abstineant, deinceps promtius et deliberatius id procuraturi.

5. Denique Euangelii interpretibus, in visitatione domestica occupatis, ratio habenda videtur Seniorum, quibus una cum ipsis aliqua Ecclesiae et singulorum sodalium cura est imposita. Hi, aliis implicati occupationibus, subinde festinant, moramque aegre ferunt, quam affert Pastoris sedulitas, in iis curandis, quae a

pro-

propofita invitatione ac praeparatione ad inftantem S. Coenam videantur aliena: horum igitur in gratiam ea nonnunquam funt differenda ad id tempus, quo Euangelii interpres folus redire commode posfit. Facile quoque credo, hunc aliquando fructuofius cum Ecclefiae fociis colloqui posfe abfente Seniore, quam eo praefente: qua de re Sectione II. dicendum erit. Ex his vero, quae nunc attigi, confequitur, etiam laudandam esfe Homiletae prudentiam, in eligenda monendi opportunitate, quam afferat Senioris, vel praefentia, vel abfentia.

His praemisfis, videor mihi facilius et confidentius demonftraturus, quod probandum fumfi. Duobus igitur utar argumentis, quorum *unum* fuppeditat univerfa muneris ecclefiastici ratio; *alterum* ducitur e confilio inftitutae vifitationis domesticae, quae fit inftante S. Coena.

§. 10.

Hoc postulat univerfa muneris ecclefiastici ratio.

Vidimus, §§. 2–8. laudatas muneris ecclefiastici partes posfe commode administrari, data opportunitate

portunitate visitationis domesticae, quae fit instante S. Coena. Quae igitur officiorum pars commode praestari potest, non est praetermittenda, nisi alia detur, eaque commodior, illius praestandi opportunitas. Quae vero dabitur opportunitas universe et plerumque aptior, quam qua singuli Ecclesiae sodales invitantur ac praeparantur, ad memoriam Christi, pro nobis mortui, solenni ritu recolendam?

Euangelii interpretes, coetui non admodum parvo praefecti, si de singulis muneris sui partibus fideliter administrandis sint soliciti, quotidie habent, in quo vires suas exerceant tempusque sibi ad laborandum datum utiliter consumant. Itaque prudenter res suas instituunt, qui nullam perdunt horam, nec duas impendunt in id, quod una exsequi possunt. Haec enim iusta est et fructuosa parsimonia.

Ecclesiae antistites oportet singulis ipsorum curae commissis prospicere, nec quempiam negligere. Attamen facillime negligitur, qui procul habitat, nunquam aut raro conventui sacro interest, humilis est et abiectus, ipsumque monitorem fugit. Quod ut praecaveatur malum, nihil videtur convenientius, quam ita visitationem domesticam ante S. Coenam instituere, ut certus sis, neminem praetermitti posse, eiusque adhibere opportunitatem ad eas muneris sacri

par-

partes administrandas, quae tardatae en procrastinatae facile in oblivionem veniunt.

§. 11.

Hoc quoque flagitat consilium institutae visitationis domesticae, quae fit instante S. Coena.

Consilium institutae visitationis domesticae, quae fit instante S. Coena, non finit antistites in eo subsistere, ut indentidem coetus sui sodales ad S. Coenam, propediem celebrandam, invitent ac praeparent.

Quae maiores nostri in canonibus Synodorum praeceperunt, ea manifesto docent, visitationem domesticam fuisse ab iis institutam, non tantum hunc in finem, ut reipublicae Christianae cives invitarentur ac praepararentur ad rite celebrandum Domini convivium, sed etiam, ut universe prospiceretur eorum fidei ac pietati, atque adeo animorum salus proveheretur. Quod ne in dubium trahatur, liceat mihi in memoriam revocare, quae Part. I. adduximus, e canonibus Synodi Vesaliensis, anni 1568. (§. 5.) Dordracenae, a. 1578. (§. 13.) Haganae, 1586. (§. 14.) en Dordracenae, a. 1618, 1619. (§. 26.) uti et e legibus ecclesiasticis Zelandiae, §. 20. Frisiae,

siae, §. 22. Groningae et agri circumiacentis, §. 24. et Drenthiae, §. 25. quibuscum comparentur dicta §. 27.

Id ipsum iubet lex, nostra aetate lata, et Regis augustissimi auctoritate sancita, quam Part. I. §. 1. laudavimus. Hac enim lege iubentur Euangelii interpretes, coetus sui socios monere, non tantum ad celebrandam S. Coenam, sed etiam ad Deum solenniter cum Ecclesia colendum, ad utendum disciplina catechetica, denique ad omnem pietatem bonosque mores.

Ac profecto haec et quae plura, paulo ante, §§. 2-8. notavimus, ad munus ecclesiasticum pertinentia, pleraque tam arcte nexa sunt cum Christianorum praeparatione ad S. Coenam, ut divelli ab hac nequeant. Quo enim modo poterunt fidem suam professi rite celebrare Domini convivium, nisi ab erroribus vitiisque desistere discant, nisi animum vitamque omnem ad Christi legem componere gestiant, nisi in rebus adversis spem omnem in Deo collocent, nisi paci servandae aut restituendae dent operam? Praeterea, si laborandum est Antistitibus, ut, qui fidem suam fuerint professi, epulum sacrum pie celebrent, nonne aeque eos oportebit operam dare, ut qui nondum fidem fuerunt professi, ad id invitentur et praeparentur, et ut denuo admitti possint poenitentes ac resipiscentes, quibus

ali-

aliquamdiu Coenae S. celebratio in publico Ecclesiae conventu fuit interdicta?

Quid? quod in nonnullis coetibus, et Ecclesiae sociis non paucis, parum fructuosa futura sit visitatio domestica, ad unam adhibita invitationem ac praeparationem sociorum ad usum epuli sacri legitimum. Ea enim invitatio publice e suggesto sacro fit, non semel, sed iterum, atque tertium. Et Euangelii interpretes tenentur, identidem orationes sacras habere, quibus sodalium animi praeparentur ad S. Coenam celebrandam. Si igitur in hoc ipso toties subsistant Antistites, quoties in visitatione domestica fratres ac sorores suos salutent, poterunt, sine aliquo bonorum civium detrimento, hoc labore vacare. Itaque rectius non nisi illi essent adeundi, monendi ac hortandi, qui orationem praeparantem non audiverant, aut qui difficulter induci possunt ad obtemperandum Christi ipsius mandato.

SEC-

SECTIO SECUNDA,

DE

PROBABILI MODO, QUO UNIVERSE ANTISTITIBUS VERSANDUM SIT, IN VISITATIONE DOMESTICA, QUAE FIT INSTANTE S. COENAE CELEBRATIONE.

§. I.

Quaestionis propositae sententia.

Sectione prima probatum ivimus, prudentia esse Antistitis, opportunitatem visitationis domesticae, qua Ecclesiae sodales ad S. Coenam celebrandam invitentur et praeparentur, adhibere, ad alias nonnullas sacri muneris partes rite administrandas. Quodsi probabile visum fuerit, Vos, Viri Clarissimi! quaeritis: *quomodo universe hac in re Antistitibus versandum sit.*

Huius quaestionis sententiam si recte intelligam,

gam, dicendum mihi erit, de optimo modo visitationis domesticae, quae fit instante S. Coena, ita instituendae, ut haec duo apte coniungantur, quae a se invicem disiungenda esse negavimus: quorum *unum* est in singulis sodalibus ad sacrum epulum invitandis, et de usu eius legitimo monendis; *alterum* in aliis muneris sacri partibus ea opportunitate rite administrandis. Quod si recte viderim, non tantum disquirendum mihi erit, de optimo modo, quo aliae muneris sacri partes, data illa opportunitate, sint administrandae, sed etiam de ratione optima singulorum sodalium ad S. Coenam invitandorum et de usu eius legitimo monendorum.

Nec tamen de utroque illo fuse lateque mihi dicendum videtur, sed breviter potius strictimque. Vos enim, Viri Cl. quaeritis, quomodo *universe*, ea in re, Antistitibus sit versandum. Quo adiuncto moneri mihi videor, nolle vos *singulas* partes explicatius et enucleatius perscriptas.

Praeterea, nisi fallar, me liberare voluistis onere disputandi de visitatione domestica, utrum instante S. Coena identidem repetenda, an vero alio quocunque tempore commodo instituenda. Qua de caussa video in utramque partem disputari. Sed ab hac controversia revocat me argumentum quaestionis, in qua sumitur, singu-

gulos ſodales, iubente ſive lege ſive conſuetudine, identidem, *inſtante S. Coena, in aedibus* ſuis, ad ſacrum epulum esſe invitandos, et de uſu eius legitimo monendos.

Denique, ſi quid mihi conicere liceat, de conſilio Virorum Clarisſimorum, qui hanc quaeſtionem propoſuerunt, equidem credibile putem, reſpondentibus praecipuam rationem habendam esſe Antiſtitum, qui *docendi munere* funguntur. Etenim ſolet Ordo ſumme venerabilis, in proponenda quaeſtione ex ea disciplinae Theologicae parte, quae *Homiletica* et *Cura pastoralis* appellatur, nominatim ſpectare officia eorum, qui Eccleſiae praeficiuntur *Doctores* aeque ac Pastores. Praeterea lex hodierna his, magis quam Senioribus, viſitationis domesticae laborem impoſuit.

§. 2.

Quo antiſtitem animo esſe oporteat.

Quando Christus, in vitam reverſus, Petro gregis ſui curam denuo erat impoſiturus, antea audire voluit Apostolum, ſuum erga ipſum amorem ingenue profitentem. Itaque: Σίμων Ἰωνᾶ, inquit, ἀγαπᾷς με; *His verbis*, loquor cum

Cal-

Calvino, (1) *significat Christus, neminem posse fideliter servire Ecclesiae, et operam impendere gregi pascendo, nisi altius respiciat quam ad homines. Principio munus pascendi per se laboriosum est ac molestum: quando scilicet nihil difficilius est quam homines continere sub Dei jugo: quorum multi infirmi sunt, alii leves et protervi, alii tardi et segnes, alii duri et parum dociles. — Huc accedit multorum ingratitudo et alii taedii causae. Nunquam ergo in hoc officio constanter perget, nisi in cujus corde sic regnabit amor Christi, ut sui oblitus, totumque se illi addicens, impedimenta omnia superet. Ita se affectum fuisse declarat Paulus, quum dicit,* (2) charitas Christi constringit nos. — *Quamvis enim amorem intelligat, quo nos complexus est Christus, et cujus morte sua specimen praebuit, adjungit tamen mutuum affectum, qui ex tanti beneficii sensu nascitur. — Meminerint ergo, qui ad regendam Ecclesiam vocantur, si munus suum rite probeque exequi cupiunt, initium sibi esse faciendum a Christi amore. Interim luculente testatur Christus,* quan-

(1) Comm. in Euang. Ioann. c. XXI. 15. *Operum* Vol. VI. Part. 2. pag. 183.
(2) 2 Cor. V. 14.

quanti faciat ſalutem noſtram, dum ita ſingulariter paſtoribus eam commendat: atque hoc ſibi documentum fore aſſerit, quantopere ab illis ametur, ſi eam ſolicite curent. Nihil certe efficacius potuit dici ad animandos Euangelii miniſtros, quam dum audiunt, nullum Chriſto gratius officium eſſe, quam quod paſcendo ejus gregi impenditur. Quae Calvinus de Chriſtiani paſtoris munere ſcripſit univerſe, ea nominatim dicenda eſſe de viſitatione domeſtica, nemo facile negabit.

Cum hoc Chriſti amore oportet Eccleſiae Antiſtitem conſociare charitatem eorum, qui ipſius curae ſunt commiſſi. Charitatem dico, quae omnibus bene vult, et prodeſſe cupit, conſilio, admonitione, conſolatione, et, ubi opus fuerit, paterna fraternave reprehenſione; quae errantium, peccantium, omninoque miſerorum et triſtium, vicem dolet; quae porro e reſipiſcentium et in fide pietateque perſeverantium beatitate, omnique hominum proſperitate, gaudium percipit; quae nullum reformidat laborem, quo conſervari adiuvarique poſſint, quicunque Antiſtitis anxilio indigent; quae denique impiorum contumaciam et iniurias multa fert lenitate et clementia.

Cuius Antiſtitis animus hoc Chriſti gregisque Chriſtiani amore inflammatus eſt, hic alacer

cer erit et promtus ad ſalutandos, invitandos, monendos, hortandos, coetus ſui ſocios et alumnos; hic fortis erit et animoſus, in rebus difficilibus et pericoloſis gerendis; hic auctoritatem gravitatemque ſuavitate et hilaritate poterit temperare. (3)

§. 2.

Varii modi probabiles.

Ut, in bene multis rebus procurandis, variis modis bene fit, ita etiam in viſitatione domestica,

(3) Conf. Oliveri Bowles *de Pastore Euangelico Tractatus*, Gron. 1739. Lib. I. cap. 21. et Lib. II. cap. VII. *Eenige Bedenkingen over de Huisbezoeking*, in *Magazijn voor den openlijken Godsdienst*, I. Deel, Sneek, 1804. p. 383. G. Benthem Reddingius, *Gedachten over het Leeraars-ambt*, Amſt. 1809. §§. 103. 105. 107. H. W. le Sage ten Broek, *Eenige Bedenkingen over de Huisbezoekingen.* In *Nieuwe Bijdragen ter bevordering van de kennis en verbetering van den Eeredienst, het Leeraarsambt en Kerkelijk Beſtuur.* II. Deel. Zutph. 1817. p. 102, 103. B. H. S. K(uiper,) *Welke zijn de beste middelen, om de gewone huisbezoeking wezenlijk nuttig te maken?* Ibid. p. 384, 385. Heringa, *Kerkelijke Raadvrager en Raadgever*, Vol. I. p. 112, 113.

ca, de qua agimus, non unus modus caeteris omnibus universe praestare dicendus est.

Est enim multiplex varietas ingeniorum et animorum in iis, qui ab Antistite sunt monendi. Et variae sunt rerum prosperarum et adversarum, laetarum ac tristium, vicissitudines, quibus affici singulorum solet animus. Accedit varietas vitae, cultus, conditionis civilis, morum, aetatis, sexus et vinculorum, quibus alii aliis iuncti sunt. Hinc igitur alia ratio aliis magis erit apta et utilis: quin et *singulis alia*, in aliis rerum, temporum locorumque adiunctis.

Quae in singulis sociis est differentia, cernitur etiam in universis coetibus. Alii enim aliis praestant, sodalium et discipulorum numero, pietate, humanitate, temperantia, docilitate, obedientia, observantia, comitate, omninoque morum honestate. Unde ad singulorum coetuum rationem etiam universe accommodanda erit Antistitum cura.

Oportet etiam Antistitem rationem habere aetatis suae, valetudinis, exercitationis et coniunctionis, quae ipsi cum iis intercedit, quibuscum colloquendum est.

Nec negligenda est consuetudo, quae a longo inde tempore in coetu invaluit, et cui adhaerent, vel cuncti, vel praestantiores, vel hono-

ra-

ratiores, dummodo ea legi conveniat neque omnino improbabilis sit. (4)

Hac de caussa videntur mihi leges ecclesiasticae, cum antiquiores, (5) tum etiam hodierna, (6) non plene perfecteque modum definivisse, quo visitatio domestica semper et ubique sit instituenda, sed nonnulla Antistitum prudentiae ad eligendum reliquisse.

§. 4.

Seniorum auxilium tempestive adhibendum.

Vidimus, Commentationis Part. I. quam varia fuerit lex et consuetudo, in visitationis domesticae la-

(4) Conf. (Foeko Liefsting) *Gedachten over het Predikampt in de Gereformeerde Kerk, en deszelfs rechte waarneming, naar de gesteldheid van dezen tijd.* (Leeuw. 1794.) p. 264-266. 269-276. *Magazijn voor den openl. Godsd.* Vol. I. p. 382, 383. Carolus Boers, *Handboek voor jonge Predikanten*, Leijd. 1807. II. Deel, III. Hoofdst. Afd. 1. in qua disquiritur de quaestione: *hoedanig moet het Herderlijk gedrag des Dienaars van het Evangelium zijn in het plegtig Bezoeken der Gemeente?* §§. 8, 9. Reddingius, lib. I. §. 104.

(5) Conf. dicta de decretis *Synodi Nationalis Haganae, a.* 1586. Commentationis nostrae Part. I. §. 16. et *Synodi Provinc. Zeland.* a. 1591. ibid. §. 20. et de canonibus *Synodi Nationalis Dordracenae, a.* 1618 *et* 1619. ibid. §. 26.

(6) Conf. dicta de hodierna lege, Part. I. §§. 1, 2.

labore Senioribus imponendo. Synodus Vesaliensis, a. 1568. solos Seniores in eo occupatos voluit. (§. 5.) Eaque mens fuit Synodis Nationalibus Medioburgensi, a. 1581. (§. 14.) et Haganae, a. 1586. (§. 16.) item Provinciali Zelandiae, a. 1591. (§. 20.) Sed Synodus Provinciarum Hollandiae et Zelandiae, a. 1574. hanc curam Senioribus communem cum Euangelii interpretibus esse maluit. (§. 12.) In eadem sententia fuere Patres Synodi Dordracenae, a. 1578. (§. 13.) et, ut videtur, ante Synodum Nationalem a. 1619. Gelri, (§. 8.) Frisii, (§. 22.) Groningani (§. 24.) et Drenthini. (§§. 25, 26.) Eaque sententia, post celeberrimam illam Synodum, passim praevaluit. (§. 27.) Verum tamen, in Gelria et Frisia, Senioribus, in nonnullis certe coetibus, licuisse videtur, hoc labore supersedere. (ibid.) Et, ubicunque Seniores nondum lecti fuerant, oportuit Euangelii interpretes solos hanc muneris ecclesiastici partem administrare. Denique, si qui Seniores minus idonei aut parati, sive essent, sive viderentur, hos nonnulli Doctores haud aegre dimiserunt. In hac igitur sententiarum et institutorum diversitate, Synodus Ecclesiae Repurgatae in Belgii regno, a. 1824. visitationis domesticae partes Senioribus non dedit, nisi invitatis, ab Euangelii, ut videtur, interpretibus. (§§. 1, 2.)

Hac

Hac autem facultate, Euangelii interpretibus concessa, Seniorem pro arbitrio, aut ad laboris societatem invitandi, aut eo laxandi, quomodo utendum sit, quaeritur. Qua in caussa universe quidem prudenter mihi versari videntur, qui Seniorum auxilio utuntur. Horum enim ordo, perpetua lege, in repurgatis Belgii coetibus, eum quoque in finem est institutus et conservatus, ut Euangelii interpretes habeant socios et adiutores in cura ac disciplina ecclesiastica. Horum igitur auxilium, in communi onere sustinendo, non est repudiandum aut negligendum. Quoties Seniores muneri suo, sive primum, sive denuo admoventur, toties solenni ac publico ritu inaugurandi sancte promittunt, se una cum Doctoribus coetum utrisque commissum esse gubernaturos, diligenterque provisuros, ut singuli sodales ipsique Antistites Euangelio obtemperent: quod ut ab iis fiat, universa concio Spiritus divini dona supplex expetit. Quapropter haud probari poterit, sive segnitia Seniorum, ab hac administratione sponte vacantium, aut insolentia Doctorum, eos sine iusta caussa excludentium. Neque universe inutiles censendi sunt Seniores, qui sese Doctoribus in visitatione domestica adiungunt. Qui enim ex illo Antistitum ordine hoc munere fungi merentur, Euangelii interpretibus, in monendo, increpando,

con-

consolando, auxilium ferre possunt haud contemnendum. Praeterea auctoritas conciliatur disciplinae ecclesiasticae, si duo Synedrii nomine moneant, aut quod experti fuerint ad Synedrium referant. Et, si quam Euangelii interpres molestiam aut iniuriam patitur ab iniquis et contumacibus, si certandum litigandumque ei est cum contradicentibus et iniuriosis, multum ei prodesse poterit Senioris praesentia, sive ad malum illud depellendum mitigandumve, sive ad testimonium de dictis factisque deinceps dandum. Solent quoque Ecclesiae socii et alumni Senioribus notiores esse, quam Euangelii interpretibus, praesertim iunioribus et nuper suo coetui praefectis: quo fit, ut Doctores, si soli conveniant sodales, multo facilius circumveniri possint et in errorem induci, mendaciis, praetextis columniis, falsis narrationibus, quaesitis excusationibus, et innocentiae probitatisque specie simulata, quam si socium comitemque habeant Seniorem idoneum.

Equidem non nego, saepius ingenuos Ecclesiae socios et alumnos adspectu Senioris impediri, quo minus aperte animi sui sententiam profiteantur, curarumque suarum et solicitudinum caussas cum Doctore communicent. Verum hanc timiditatem facile odorabitur Antistitis sagacitas: poteritque ei benigne succur-

currere repetita salutatione, nemine comitante.

Credo etiam, Senioris parum idonei ignorantiam, imprudentiam ac dissensionem, nonnunquam esse molestam doctrinae Christianae interpreti. Quae si perpetua sit molestia, neque evitari superarive aliter possit, expediet forte, vale dicto Seniori, solum suscipere visitandi opus. Quodsi vero inde maius detrimentum sit exstiturum, quam emolumentum, poteritne Euangelii interpres festinantius una cum Seniore sodales ante S. Coenam salutare, deinde vero solus paulo diutius apud eos commorari, quibus id utile nec prorsus ingratum sit futurum?

Caeterum, quo magis boni Seniores prodesse possunt, mali nocere, eo plus curae et diligentiae erit adhibendum, ad Viros idoneos eligendos, exercendos, et honorandos. (7)

(7) Conf. Scriptor in Horreo laudato, (*Magazijn etc.*) p. 375-377. Boers, loc. l. §. 4. le Sage ten Broek, loc. l. p. 95-97. et K(uiper,) loc. l. p. 386, 387.

§. 5.

§. 5.

Temporis et opportunitatis ratio habenda.

Euangelii interpreti opus est singulari prudentia, in tempore opportuno eligendo et adhibendo ad visitationem domesticam. Qua in re, commoditatem, non tantum suam et adiutoris sui, sed vel maxime monendorum, spectare eum oportet.

Qui coetui admodum parvo praefecti sunt, poterunt facillime uno die omnes monendos adire, atque adeo identidem ante S. Coenae celebrationem visitandi munere fungi. Sed quo maior sodalium et alumnorum est numerus, eo plures consumendi erunt dies, maxime quando illi in vicis longius disiunctis habitant. Quo fit, ut in gregibus valde magnis, quibus unus praeest Pastor, vel in urbibus maioribus, quarum vici inter plures sunt distributi, ne decem quidem aut viginti dies sufficiant. Quapropter integer coetus vel vicus non, nisi semel quotannis, vel sesquianno, vel biennio, commode ab Antistitibus visitari potest.

Visitationi domesticae non quodlibet anni tempus ubique convenit. Sic, ubi magna pars hominum navigando vel piscando victum sibi comparat, Antistes paucos viros et iuvenes aestate domi

domi inveniet: hos igitur hyeme conveniat, quando a navigatione et piscatu requiescunt, quamvis hyems ipsi minus sit commoda. Id ipsum valet de diebus, e quibus nemo prudens eos ad visitandum eliget, qui publice destinati sunt, vel negotiis gerendis, vel nundinis agendis, vel festis celebrandis. Nec visitantem convenire oportet homines, qua hora solent prandere aut coenare. Nonnulli quidem Antistites, ruralibus praefecti coetibus, antequam solennem visitationem instituant, e suggesto sacro promulgare solent dies, ad id destinatos, ut singulos, quoad eius fieri possit, et domi inveniant, et ad excipiendum Antistitem paratos. Quod quidem institutum mihi videtur laudandum, quamvis alii malint inexspectati venire, ut eo melius videre possint, quomodo domi res suas agere soleant sodales.

Quando Antistes animadvertit, res sociorum domesticas, hoc quidem temporis articulo, differri aegre posse, visitationem adeo intempestivam iis esse et molestam, aut animos eorum perturbatos esse ebrietate, iracundia, aliave affectione vehementiori, expediet salutationem differre in aliud tempus. (8)

§. 6.

(8) Conf. Liefsting, lib. I. p. 268, 269. Scriptor in *Horreo* laud. p. 364. Boers, lib. I. §. 5. ten Broek, loc. l. p. 90, 91, 97, 98.

§. 6.

Index eorum scribendus, qui Antistitis curae sunt commendati.

Lex ecclesiastica iubet singulorum coetuum Synedria, et, ubi Synedria non adsunt, Euangelii interpretes, nomina eorum, qui, vel fidem profitentur, vel fidem professi aliunde adveniunt, inscribere libro diligenter custodiendo, cui par alio loco sit asservandus. His in libris et ii notandi sunt, qui alio proficiscuntur. Sedulo etiam curandum est, ut habeatur par librorum, quibus nomina baptizatorum et sacro ritu coniugatorum inscribantur. (9) Ex his libris legitime constare potest de identidem baptizatis, fidem professis et testimonio ecclesiastico, sive aliunde admissis, sive alio commendatis, uti et de coniugibus, quorum matrimonium sacro ritu fuit inauguratum. Verum ex his libris Antistes recens coetui praefectus, cognoscere nequit, quantus sociorum et alumnorum numerus sit superstes, ubinam singuli habi-

(9) Videatur canon XIV. Legis *de Synedriis Ecclesiasticis*, in *Handboek voor Hervormde Predikanten en Kerkenraadsleden*, *Derde stuk*, p. 247.

bitent, quibus ſint moribus, quo vitae genere. Etenim, nec morientium in his libris vulgo fit mentio, neque advenientium aut proficiſcentium, niſi fuerint Eccleſiae ſociis adſcripti, ipſique curam habeant testimonii accipiendi et tradendi. Ne dicam de diverſis urbium vicis, quorum aliis alii praefecti ſunt antistites, et quorum incolae, mox advenientes, mox abeuntes, libri eccleſiastici ope, dignoſci nequeunt.

Itaque Antistiti, ad coetum paulo maiorem accurate cognoſcendum, opus est ſingulari indice, quem exarare poterit, primum ſingulos conveniens, qui ipſius curae ſunt commendati. Huic indici inſcribantur ſuis ſingulae numeris distinctae aedes, et aedium diverſa domicilia, in quibus habitant ſacri coetus ſodales aut alumni; ſingularum item nomina et aetatis anni; qui coniugio ſint iuncti, qui vidui aut viduae, qui caelibes; porro, qui fidem ſint profesſi, qui catechumeni, qui in ſchola discipuli; denique, qui domini, qui ſubditi, qui diaconorum cura ſustentati. In libelli, hunc indicem continentis, ſingulis paginis chartae pars nuda relinquatur, in qua identidem ea posſint adſcribi, quibus ad accuratam coetus integri notitiam opus est. Denique Antiſtes, ut rite memoria teneat, quae obliviſci eum non oportet, poterit, adhibitis ſcribendi compendiis, vel certis ſignis ad

id

id factis, notare indolem singulorum, sive laudandam, sive vituperandam, uti et quaecunque, vel ipse promiserit ac decreverit, vel spoponderint admoniti. (10)

§. 7.

Nemo eorum, qui Antistitis curae sunt crediti, praetereundus.

Ex iis, quae Sect. I. diximus, constat, in visitatione domestica salutandos esse, non tantum fidem suam professos, sed omnes Antistitum curae commissos, si quidem eo aetatis provecti sint, ut eum monentem intelligere possint. Dubitatum aliquando est de iure, quo intrare possint Antistites aedes eorum, qui coetus ipsis commissi sodalibus non sunt adscripti. Verum hoc ius sponte ducitur ex vinculo, quo cum coetu reformato iungi sese patiuntur. Quodsi vero quis Antistitem, vi legis ecclesiasticae monentem, nolit admittere, ipse hoc vinculum disrumpere censendus est. (11)

Ita-

(10) Conf. Scriptor, in *Horreo* laud. p. 379, 380, Boers, lib. I. annot. ad §. 5. K(uiper;) loc. l. p. 379-384. 389.

(11) Conf. quae dubitanter scripsit Ven. B. H. S. K(ui-

Itaque, nec adolefcentes, nec pueri puellaeque adeo, negligendi funt. Hos blanda voce appellans, de nomine, aetate, difcendi ardore et progresfibus, interrogans, parce laudans, fuaviter monens de pietate et obedientia erga parentes et magistros, his bene precans, poterit quaedam veluti fidei virtutisque femina in teneros fpargere animos; eosque allicere ad difcendum, ad amandum venerandumque monitorem.

Famuli et famulae, in dominorum vel herarum domo habitantes et pernoctantes, operarii item, ubi diem in laborando confumentes inveniuntur, falutandi funt et monendi: five, praefentibus patre aut matre familias, five feparatim. Qui enim minus funt fortunati, faepe etiam neglecti a parentibus, rudes et inculti, laborando quotidie defatigati, eo magis indigent admonitione, hortatione, confolatione, ad ea quaerenda bona, quae animo circumferuntur, aeternum duratura.

Haec, quae commemoravimus, pertinent ad omnes, qui coetui repurgato, cui praeest Antistes, five baptismo, five etiam fidei profesfione, funt adfcripti. Similis etiam ratio habenda

K(uiper.) in *Novis Symbolis* faepius laudatis, p. 373, 374. not. *b.* et quae, hac de causfa, ab aliis disputata funt, in duplici annotatione, p. 374.

da est eorum, qui, e Christianis Protestantibus, non quidem Reformatorum Belgicorum formulae sunt addicti, attamen, suae confessionis doctorem non habentes, Deum in conventibus sacris una cum Reformatis colunt, seseque pastorali Antistitum nostrorum curae ultro committunt. Hoc enim mutuus Christianorum amor postulat: hoc insuper praecipere videntur decreta, a Synodo repurgatae in Belgio Ecclesiae anno 1817 et 1819 facta. (12)

Si

(12) Decretum, die 16 Iulii, a. 1817. factum, huius est argumenti: Het algemeen Christelijk Synode der Nederlandsche Hervormde Kerk *heeft besloten: dat leden van andere Protestantsche Kerkgenootschappen, die dit begeeren mogten, indien er naar het oordeel van den Kerkenraad geene redenen ter contrarie bestaan, mits onergerlijk zijnde van leven, en bewijs gevende van hun lidmaatschap, in de Hervormde Gemeenten ten Avondmaal kunnen worden toegelaten.* Decretum, die 20 Iulii a. 1819. factum, praecipit singulis Synedriis, *om de Kerkelijke attestatiën van Protestanten uit andere Godsdienstige genootschappen, ter plaatse, waar dezelve geene bijzondere Gemeenten hebben, en, indien zulks door hen begeerd wordt, aan te nemen, in het Register der Lidmaten in te schrijven, met bijvoeging van het Kerkgenootschap, tot het welke de vertooners behooren, — en dezelve, bij vertrek, met het getuigenis van onberispelijkheid in den wandel, indien er geene redenen van het tegendeel bestaan, weder aan hen uit te leveren.* Conf. *Handboek*

Si vero, praeter hos, alii quoque Protestantes, vel Romano-Catholici, vel quicunque a religione Christiana alieni, occurrant Antistiti, in visitatione domestica occupato, hi, ut non studiose quaerendi, ita nec fugiendi videntur. Oportet enim Doctorem Euangelii erga omnes humanitatis et comitatis officia praestare: oportet praeterea Christianae doctrinae interpretem verbis factisque palam facere, quo sit erga fratres et religionem sanctissimam professos animo. Itaque cum huiusmodi hominibus, nisi ipsi tergiversentur, videtur ita colloquendum, ut convenit viro bono, nihil humani a se alienum putanti, et Christiano, quem minime pudeat Euangelii, denique viro docto ac pio, omnibus prodesse, nemini nocere cupienti. (13)

boek voor Hervormde Predikanten en Kerkenraadsleden, Leeuw. 1820. (Vol. I.) p. 163, 164. et Jacob Wijs, Jac. Corn. Zoon, *Bedenking over de toelating van Leden der andere Protestantsche Kerkgenootschappen tot de viering van het H. Avondmaal, in de Hervormde Gemeenten der Nederlanden*, quae tradita est a Cl. I. Heringa, E. F. in *Kerkelijke Raadvrager en Raadgever*, Vol. I. p. 498-503.

(13) Conf. Ravesteyn, lib. l. p. 309, 310. Scriptor in *Horreo* laud. p. 377. Boers, lib. l. §. 5. Ten Broek, loc. l. p. 99. et K(uiper,) loc. l. p. 379.

§. 8.

Ecclesiae socii ad S. Coenam celebrandam invitandi et hortandi.

Sumitis, viri Clarissimi! in proposita quaestione, *singulos sodales ad sacrum epulum esse invitandos.* Plerique sane Antistites hoc sibi negotii datum esse putant. Dissentiunt tamen alii: (14) alios de eo dubitare video. (15) Utrisque supervacanea videtur ea invitatio: quorsum enim, inquiunt, illi ad S. Coenam *invitantur*, quos Christus iussit eam celebrare, qui publice moniti sciunt tempus et locum Convivii sacri, quibus non licet ab eo abesse? His equidem respondeam: alia esse necessaria, alia utilia; quae non omnino sint necessaria, propterea nondum esse supervacanea, dummodo aliquam ab utilitate habeant commendationem. Quodsi igitur haec invitatio admonitionis vim habeat, ipsique admonitioni suavitatem addat, et sodalium gratiam Antistitibus conciliet, quidni eam utilem fore speremus? Oportet sane Euan-

(14) In his Scriptor Commentationis, in *Horreo* laud. p. 377, 378.

(15) His accensendus videtur Doct. Reddingius, lib. I. §. 111.

Euangelii interpretem, non tantum ignaros semel monere, sed in monendo constanter perseverare. Convenit ei, ad Paulli Apostoli exemplum, Christi nomine, non tantum praecipere, iubere, hortari, sed etiam invitare, orare, obsecrare. Sed, qui a nobis dissentiunt, verentur, ne ea invitatio magis etiam noceat, quam prosit. Alii enim, inquiunt, in hac invitatione fundamentum ponunt celebrandae S. Coenae; alii ex ea disputandi ansam captant; alii, tam honorifice invitati, se insolenter efferunt. Verum haec, ut damnanda sunt, ita proficiscuntur, non ex invitatione, sed ex ingenii animique perversitate, quae facit, ut optima quaevis et saluberrima interdum noceant. Sed et huic malo medicina paratur, prudenter instituta invitatione, cum eaque iuncta admonitione.

Etenim admonendi sunt, qui Christum profitentur Dominum ac Conservatorem ad S. Coenam una cum fidei sociis rite celebrandam. Qua quidem admonitione opus est, cum negligentibus epulum Sacrum, tum perverse illud celebrantibus.

In coetibus reformatis non pauci deprehenduntur, qui Sacram Coenam, vel nunquam, vel raro celebrant, quamvis Ecclesiae sociis sint adscripti, nec probabili causa impediantur: quorum alii publica sacra parum curant, alii a religio-

ligione prorſus abhorrent, alii verecundia et pudore cohibentur, alii rerum domesticarum et civilium cura retardantur, alii denique falſis opinionibus avocantur. Proinde opera Antistiti est danda, ut his perſuadeat, homini Christiano non licere culpa ſua aut errore ſacrum convivium praetermittere. Iusſit enim Conſervator noster et Dominus Ieſus Christus omnes ipſi addictos S. Coenam celebrare, cui iubenti non obedire turpe est et periculoſum. Omnis autem hac in causſa commisſus error magis etiam damnandus est, propterea quod iusta epuli ſacri celebratio convivis proſit, ad excitandam augendamque animi modestiam, verecundiam, fortitudinem, fidem, pietatem, humanitatem, omnemque virtutem Christianam; ad magni aestimanda gratoque animo percipienda Dei, Patris coelestis, et Soſpitatoris nostri Ieſu Christi pro nobis mortui, beneficia, favore gratuito promisſa ac concesſa; ad conſociandos Christianorum animos mutuumque amorem fovendum; denique ad alendam fiduciam ac ſpem, quibus res adverſas animoſe feramus, iniurias religionis causſa illatas placide toleremus, ipſamque mortem non reformidemus. Accedit utilitas e frequenti S. Coenae celebratione redundans, ad religionem Christianam aliis commendandam, eiusque veritatem comprobandam. Utilitati par est ho-

honos, quo Christus eos afficit, quibus in S. Coena distribui iubet symbola corporis sui pro iis fracti, suiqve sanguinis pro iis effusi; quos certiores facit de favore suo et auxilio nunquam non sperando; et quibus opportunitatem praebet renovandi palamque profitendi fidem ipsi praestandam. Haec, et quae plura facere possunt ad persuadendum sodalibus, adhibere prudens poterit Antistes, in monendis et hortandis tardis, eunctantibus, haesitantibus, et qualicunque tandem animi morbo impeditis.

Si quidem invitati et admoniti soliciti sint de eo, utrum sibi liceat ad tam sanctum accedere convivium, huiusmodi scrupulus bonorum ex animis omni cura est evellendus. Itaque, si de iure dubitent, docendi sunt, omne ius fruendi S. Coena proficisci e promisso mandatoque divino, quo hominibus peccando miseris Dei Christique, pro nobis mortui, offeruntur beneficia, fidenti gratoque animo accipienda. Si tanto se beneficio indignos dicant ac proinde vereantur, ne sibi accidat, quod Paullus Apostolus scribit: (16) ὃς ἂν ἐσθίῃ τὸν ἄρτον ἢ πίνῃ τὸ ποτήριον τοῦ κυρίου ἀναξίως, ἔνοχος ἔσται τοῦ σώματος καὶ τοῦ αἵματος τοῦ κυρίου· — ὁ γαρ ἐσθίων καὶ πίνων ἀναξίως, κρίμα ἑαυτῷ ἐσθίει καὶ

(16) 1 Cor. XI: 27, 29. ex edit. Griesb.

καὶ πίνει, μὴ διακρίνων τὸ σῶμα τοῦ κυρίου. horum dictorum sententia explicanda est e scribentis mente et consilio: ut intelligant, sermonem esse, non de convivis hoc beneficium *nullo modo merentibus*, sed de Corinthiis, convivium sacrum a communi *non discernentibus*, eoque ad satietatem et ebrietatem usque abutentibus, atque ita sacrum panem vinumque *indigne* habentibus ac profanantibus. Si ad se accommodent ipsius Christi (17) dictum, quo opem suam negare visus est matri, de filiae vita solicitae: *οὐκ ἔστι καλὸν λαβεῖν τὸν ἄρτον τῶν τέκνων, καὶ βαλεῖν τοῖς κυναρίοις·* adiuvari poterunt bona huius dicti interpretatione, et adhibito matris responso, quod Christus elicere voluit et honorifice laudavit ac probavit: *ναὶ κύριε· καὶ γὰρ τὰ κυνάρια ἐσθίει ἀπὸ τῶν ψιχίων τῶν πιπτόντων ἀπὸ τῆς τραπέζης τῶν κυρίων αὐτῶν.* Quo audito, mox imploratum auxilium tulit mirifice. Si quae, Antistitum invitationi contraria, sibi invenire videantur, sive in *Catechismo Heidelbergensi*, quaest. et resp. 75, 76, 77, 81, 82. sive in *Formula S. Coenae celebrandae*, sive in Confessionis formula, a Synodo reformatae in Belgio Ecclesiae, anno 1817. constituta, succurrendum iis erit, partim ac-

(17) Matth. XV: 26, 27. Marc. VII: 27.

accurata verborum interpretatione, (18) partim etiam admonitione, de Formulis nostris S. Librorum auctoritati submittendis. Si querantur, de exiguo vel nullo fructu, e S. Coena antea percepto, nec plus emolumenti ex instante eius celebratione sperare ausint, monendi sunt, de necessitate obediendi Conservatoris nostri mandato, et de utilitate, nunquam non ex hac obedientia ad convivas redundante. Si verecundia et pudore cohibeantur, ne in publico Ecclesiae conventu assideant Domini mensae, ad quam alii, iique aetate provectiores et in vita Christiana exercitatiores, non sine tremore accedant, primum excitandi sunt ad audendum, quod Dominus noster facere iussit, deinde etiam avocandi sunt, ab imitatione eorum, qui exemplum prae-

(18) Conferri merentur Dirk Corn. van Voorst, *de XXI. Vraag en Antwoord van den Heidelbergschen Catechismus, en het Formulier van het Nachtmaal, ter bepaling van het ware denkbeeld van een' gelovigen, en ter wegneming der zwarigheden bij het gebruik maken van het Avondmaal, opgehelderd.* Amst. S. van Emdre, *twee Leerredenen over de Formulieren van den H. Doop en 't H. Avondmaal; benevens een berigt van 't gevoelen onzer oude beroemde Godgeleerden over deze beide Sacramenten.* Utr. 1794. M. Jorissen, *de Evangelische wijsheid onzer Vaderen in het Formulier des Heiligen Avondmaals, nog in gezegend gebruik bij de Hervormden in Nederland.* 's Hage, 1821.

praebent haud laudandum, denique reprehendenda est horum timiditas, qui iniquum hominum iudicium reformidant. Si aliquando parentibus vel magistris promiserint, se S. Coenam non ante esse celebraturos, quam certum sibi fuerit de παλιγγενεσία sua et σωτηρία, et si forte, hac interposita conditione, coetus ecclesiastici sociis adscripti sint, oportet Antistites istam postulationem damnare, iniustam pactionem sua rescindere auctoritate, certe docere, neminem teneri promisso aperte Christi legi contrario. Si denique propter egestatem eos pudeat male vestitos accedere ad S. Convivium, hortandi sunt ad pellendam nimiam solicitudinem: quodsi vero ea fuerit iusta, auxilium honestis sodalibus erit ferendum a Diaconis, aut aliorum liberalitas erit imploranda, ut miseri isti hac leventur cura.

Mitto alias difficultates, ne *singulas* causſas mihi pertractandas sumam, apud Vos, Iudices clarissimi! quaerentes, quomodo, in invitandis ad S. Coenam sodalibus, *universe* Antistiti versandum sit. (19)

§. 9.

(19) Conf. Boers, §§. 15-24. Reddingius, §§. 106, 111.

§. 9.

Ecclesiae socii de usu S. Coenae legitimo monendi.

Qui Ecclesiae socios ad S. Coenam celebrandam monent et hortantur, (§. 8.) dimidia duntaxat officii sui parte funguntur, nisi eosdem etiam de usu eius *legitimo* moneant. Quid enim iuvat, Christi doctrinam professos urgere ad ritum epuli sacri celebrandum, multosque adeo convivas numerare, nisi hos etiam admoneas de convivarum officiis pie ac fructuose praestandis? Haec enim si negligantur, S. Coenae celebratio in inanem abit religionis ostentationem, quae nec Deo Christoque placere possit, nec celebrantibus prodesse, et in quam id ipsum convenit, quod Paullus Apostolus de Corinthiis scripsit: (20) *οὐκ εἰς τὸ κρεῖττον, ἀλλ᾽ εἰς τὸ ἧττον συνέρχεσθε· συνερχομένων ὑμῶν ἐπὶ τὸ αὐτὸ, οὐκ ἔστι κυριακὸν δεῖπνον φαγεῖν.* Iccirco etiam a Viris Clarissimis, de invitatione et admonitione, distincte quaeritur.

Euangelii interpretes, iubente lege ecclesiasti-

(20) 1 Cor. XI: 17. 20.

tica, ſolent quidem, inſtante S. Coena, pro concione pronunciare orationem praeparantem ad legitimum eius uſum, in eaque de induſtria docere, quid in celebrando hoc feſto a convivis ſit praeſtandum, quo eos animo eſſe oporteat, qua iis opus ſit exploratione et praeparatione. Inſuper convivis mox ad S. menſam acceſſuris, praelegi ſolet Formula, qua de his ipſis rebus admonentur. Proinde ſupervacanea videri poteſt induſtria Antiſtitum, de iis privatim ſodales admonentium. Nec profecto ea apud ſingulos opus eſt: et quo quis in fide et pietate eſt magis exercitatus, eo minus repetitis huiusmodi monitis indigebit. Vel ſic tamen haud raro Antiſtiti occurrent, quibus iterata admonitione opus eſt, ſive quod orationem praeparantem non audierint aut mente perceperint, ſive quod perverſas de S. Coena eiusque uſu legitimo opiniones imbiberint. Quod ſi animadvertat Antiſtes, ſuccurrat ignorantiae ſodalium et errori, non prolixa oratione, non litigioſa diſputatione, ſed admonitione brevi, perſpicua, ſuavitate non minus quam gravitate aſſenſionem captante. Et alii quidem aliis de rebus erunt monendi. Qui ignorant vel non ſatis cogitant, quid in S. Coena fiat ab Antiſtite, convivatoris partes ſuſtinente, qua auctoritate, et quem in finem, horum ignorantia pellen-

da

da est. Qui nesciunt, quid convivas oporteat agere, meditari, confiteri, precari, grato animo celebrare, aut quomodo panis sit accipiendus et edendus, quomodo e calice bibendum, de his rebus monendi sunt. Qui non perspiciunt, quid sacra symbola, Christi nomine oblata, significent, quae iis insit vis ad repraesentandam Christi nobis mortui memoriam, et ad nos certiores reddendos de vi salutari illius mortis, in qua luculentum nobis praebetur documentum divinae in nos benevolentiae, uti et amoris, quo nos complectitur Sospitator, his singula demonstranda sunt. Qui non satis attendunt ad officia, quae convivas suscipere oportet, praestanda, tum erga Deum Patrem, qui Filium suum pro nobis tradidit cum eoque omnia nobis salutaria est daturus, tum erga Christum, Dominum nostrum, qui vitam suam coelestem in nostram impendit salutem, tum erga fidei Christianae omnesque naturae humanae socios, hi ad ea hortandi sunt. Qui de fructu e S. Coena celebratione percipiendo, vel parum sunt soliciti, vel nimium sperant, vel minus etiam quam par est sperandum putant, hi in eo ad iustam legem sunt moderandi. Haec igitur, et quae plura sunt ex hoc genere, doceat et praecipiat Antistes; ad haec cogitanda et agenda moneat et incitet; tardos segnesque impellat,

pro-

propositis Euangelii promissis ac minis; cunctis, ad haec feliciter tentanda ac perficienda, Dei Christique auxilium, submisse ac fidenter implorandum, precetur.

Quandoquidem vero multi ad se ipsi parum attendunt, alii in aestimanda fide sua ac pietate in alterutram partem peccant, monendi sunt singuli, ut animi sui motus sensusque diligenter observent, errores suos explorent, delicta sua et crimina in memoriam revocent, sine mora resipiscant, ad Deum condonantem confugiant, fiduciam in Christo unico Conservatore ponant, sanctum Dei Spiritum implorent, fidei ac virtutis adminicula adhibeant, seseque adeo componant ad rite celebrandam Domini Coenam. Ut autem certam sequantur animi sui excutiendi normam, proderit plerumque eam sequi, quae a Synodo Belgica, a. 1817. est praescripta, propterea etiam Ecclesiae nostrae sociis commendanda, quod e libris sacris est ducta, accommodata ad huiusmodi formulas, cum in patriae nostrae coetibus nonnullis, tum alibi, inde a sacris publice repurgatis, usitatas, et conveniens notissimis formulis consensus scriptisque liturgicis, in Ecclesia Belgica receptis. (21) Quod-

(21) Conf. Jorissen, lib. I. Prologi p. XXV-XXXIX.

Quodsi vero has quaestiones minoris habeant, adhibere poterunt normam, praescriptam in Catechismo Heidelbergensi, resp. 81, 82. et in Formulis Baptismi adultis administrandi et S. Coenae celebrandae. Fatendum tamen est, plerisque, in adhibenda huiusmodi norma, opus esse monitore et gubernatore, ne dicendi formulas in alienam sententiam interpretentur. Itaque tutissimam inibit viam, qui, et ipse adhibeat, et aliis commendet dicta summi nostri Magistri Iesu Christi et Legatorum, quos mentis suae interpretes esse voluit, quibus genuinorum discipulorum indoles describitur. Cuiusmodi sunt Matth. V: 3-10. 44-48. VI. 24, 33, 35. VII. 12, 17, 18, 21. XVI: 24. XXIV: 13. Marc. XVI: 16. Ioh. VI: 28, 29, 35. 56. VIII: 34. 36. X: 27, 28. XIII: 35. XIV: 15. 21. 23, 24. XV: 8, 10, 14. Rom. VIII. 5-9. Gal. V: 16-24. VI: 15, 16. Eph. IV: 4-7. V: 8, 9. 2 Tim: II: 11-13. 19. Hebr. III: 14. XII: 14. Iac. I: 21-27. III. 13-18. 1 Petr. II: 6-9. 24, 25. 1 Ioh. I: 6-9. II: 3-6. 9-11. 29. III: 3-10. 14, 15. 18-24. IV: 7, 8. 12-20. V: 1-5. 10-12. 18.

Caeterum poterunt Antistites, ni fallar, sodalibus, S. Coenam celebraturis, commendare lectionem libellorum, de S. Coena, ad

ad popularem captum accommodate scriptorum. (22)

§. 10.

Impii, perfidi, malitiosi, hypocritae, iique pertinaces, a S. Coenae profanatione deterrendi.

Quod praesignificavit Christus, fore ut, non tantum in mundo, sed etiam in Ecclesia, semper mali cum bonis sint commixti, (23) nullo non

(22) Ex hoc genere laudandi mihi videntur tres libelli: unus a Societate Belgica, quae doctrinae Christianae interpretes ad gentes Euangelii ignaras mittendos curat, editus: *Iets over het gebruik van het Heilig Avondmaal, bijzonder voor mingeoefenden.* Rott. 1812. alter scriptus a Ven. Bern. Verwey, *Evangelisch Avondmaals-boekje voor Protestantsche Christenen.* 's Hage, 1823. tertius a Ven. Guil. Dav. Grommé, *Handleiding tot regte viering van het Heilig Avondmaal, bestaande in Overdenkingen en Gebeden, met aanwijzing van eenige Psalmen en Gezangen bij die gelegenheid, ten gebruike voor mingeoefenden.* Amst. 1723. Fructuose etiam ea adhiberi poterunt, quae scripserunt Jac. Hinlópen, in *Leerredenen*, Utr. 1781. p. 340-361. et J. Heringa, E. F. in annot. ad H. C. Bergen, *Gedenkwaardigheden uit het leven van Jezus*, Vol. II. ed. IV. Leyd. 1819. p. 450-458.

(23) Matth. XIII: 24-30 37-43. 47-50.

non tempore docuit eventus. Iccirco non mirandum est, quamvis sit dolendum, inter eos, qui, fidem Christianam professi, ad legitimam S. Coenae celebrationem essent invitandi, non raro eos deprehendi, quorum increpanda est impietas, perfidia, malitia et simulatio, qui ad resipiscendum sunt monendi et hortandi, et, nisi resipiscant, a S. Coena sunt arcendi, certe ab eius profanatione deterrendi.

Difficilis sane cura Antistiti est imposita, quando, in visitatione domestica, cum huiusmodi hominibus colloquendum est. Plerique enim reprehensionem fugiunt et monitorem aegre ferunt. Alii excusationes afferunt quaesitas neque ullo modo accipiendas. Alii denique insolenter de vitiis suis gloriantur, contumeliosas voces in Antistitem emittunt, eum derident aut abire iubent. Praeterea multa sunt, quae aequum Antistitis iudicium de hominum animo ac moribus impedire possunt. Quae cum ita sint, non sine multa circumspectione sententia in aliquem erit dicenda: quicunque autem non immerito Antistiti suspecti libere sunt monendi, de conscientiae voce audienda et simulatione fugienda. Qui igitur impietatis, perfidiae, malitiae aut simulationis convicti non resipiscunt, disciplina ecclesiae adhibita, arcendi sunt a S. Coena: de quibus non satis constat, hi

mo-

monendi sunt, ut, si conscientia sua istorum criminum sint convicti nec resipiscant, a Domini mensa abstineant, ne Sacram Coenam profanent, et turpissimae simulationis poenas subeant.

Haec vero severitas ita mitiganda est humanitate et misericordia, ut sceleratis etiam et nefariis via monstretur, qua liceat in gratiam cum Deo redire, interveniente Iesu Christo, atque adeo a commeritis liberari poenis. Proinde fidus Euangelii interpres nunquam negliget, quod de munere ipsi imposito scripsit Paullus: (24) *ὑπὲρ Χριστοῦ πρεσβεύομεν, ὡς τοῦ Θεοῦ παρακαλοῦντος δι' ἡμῶν· δεόμεθα ὑπὲρ Χριστοῦ, καταλλάγητε τῷ Θεῷ· τὸν γὰρ μὴ γνόντα ἁμαρτίαν ὑπὲρ ἡμῶν ἁμαρτίαν ἐποίησεν, ἵνα ἡμεῖς γινώμεθα δικαιοσύνη Θεοῦ ἐν αὐτῷ.*

Haec, universe dicta, de iis, quae absterrendi sunt a S. Coenae profanatione, sufficere mihi videntur ad praesentem caussam. Longum sane foret et a proposita quaestione, ut mihi quidem videtur, alienum, disserere singulatim, de optima ratione admonendi et in viam reducendi alios atque alios tam turpiter errantes. Aliter enim agendum erit cum impiis, qui, vel omnem religionem, vel Christi doctrinam, repudiant; ali-

(24) 2 Cor. V; 20, 21.

aliter cum iis, qui sceleribus et flagitiis sunt dediti; aliter cum contumacibus, insolenter se efferentibus, rempublicam civilem vel ecclesiasticam turbantibus; aliter cum litigiosis et crudele odium in innocuos sodales, aut in parentes, uxorem, liberos, consanguineos, foventibus; aliter cum simulatoribus, fraudem et fallaciam adhibentibus ad circumveniendos simplices et fideles; aliter cum iis, qui, caeteroquin inculpati, uno aliquo gravi delicto in hominum reprehensionem incurrunt, coetumque Christianum dedecore maculant. (25)

§. 11.

Pax inter sodales concilianda.

Qui rite et fructuose S. Coenam sunt celebraturi, hos mutuo eoque fraterno amore sese complecti oportet. Omnes enim se profitentur Christi discipulos, ad quos pertinet Magistri amantissimi vox: *ἐν τούτῳ γνώσονται πάντες, ὅτι ἐμοὶ μαθηταί ἐστε, ἐὰν ἀγάπην ἔχητε ἐν ἀλλήλοις.* (26) Sui autem amoris excellentissimi perpetuum esse voluit documentum

(25) Conf. Boers, lib. I. §§. 10-13. 28.
(26) Ioh. XIII: 35.

tum in convivio, ad quod coëunt, quibus Domini mors vitam affert beatam. Cuius beneficii, cunctis convivis destinati, signa sunt in pane et vino inter omnes communicandis. Etenim, iudice Paullo, (27) *τὸ ποτήριον τῆς εὐλογίας κοινωνία τοῦ σώματος τοῦ Χριστοῦ ἐστι· ὁ ἄρτος κοινωνία τοῦ σώματος τοῦ Χριστοῦ ἐστιν· ὅτι εἷς ἄρτος, ἓν σῶμα οἱ πολλοί ἐσμεν· οἱ γὰρ πάντες ἐκ τοῦ ἑνὸς ἄρτου μετέχομεν.* Quocirca et Corinthios propterea increpat, quod in contrarias partes distraherentur, etiamsi in coetum sacrum convenirent ad Domini coenam celebrandam: (28) quo fieri scribit, ut plus detrimenti quam emolumenti ex eo caperent conventu.

Itaque, ne S. Coenae a Christo institutae celebratio magis convivis noceat quam prosit, discordiae, quoad eius fieri possit, sunt prohibendae, et, si quae ortae fuerint, sedandae. Quae res, in Ecclesia Belgica, et est, et habetur, digna Antistitum, sodales ad S. Coenam invitantium et praeparantium, cura ac providentia. Iccirco iam anno 1578. Synodus Nationalis Dordracena *Ministros et Seniores* iussit *Ecclesiam* ipsis commissam ad S. Coenam praeparare, *simultates*

(27) 1 Cor. X: 16, 17.
(28) 1 Cor. XI: 17, 18.

tes obortas componendo. (29) In eaque cura non minima cernitur pars admonitionis, quam adhibere solent fideles coetuum Antistites. Quin et, si vera sint ea, quae fama et auditione accepi, nonnulli doctrinae Christianae interpretes, aliquando, in visitatione domestica ante S. Coenam instituta, non nisi in id inquisiverunt, utrum in aedibus sociorum existerent lites et contentiones, an pax et concordia.

Frustra quidem laborabunt Ecclesiae moderatores, in tollendis omnibus dissensionibus ac dissidiis, de caussis, sive sacris, sive civilibus, sive domesticis. Opera iis potius danda est, ut absint a disputationibus iracundia et offensio, ut deponentur inimicitiae, et pax inter discordes concilietur. Quod universe monitis praeceptisque, interdum prece et obsecratione, rarius obiurgatione et comminatione, tentandum est. Si quidem litigantes utrinque Antistiti suasori auscultare velint, pacificatoris partes ab eo poterunt suscipi: quibus qui feliciter funguntur *οἱ εἰρηνοποιοὶ*, hi *μακάριοι* a Christo dicuntur, *ὅτι αὐτοὶ υἱοὶ Θεοῦ κληθήσονται.* (31)

Quod-

(29) Conf. dicta de huius Synodi decretis, Part. I. §. 13. uti et Gisb. Voetii monita, laudata *Commentationis* nostrae p. 107, 108. item Liefstingii lib. I. p. 256.

(30) Matth. V: 9.

Quodsi quis semel iterumque admonitus in odio perseveret, iniurias facere non desistat, pacificari nolit, is ingenuo animo S. Coenam una cum Ecclesiae sociis celebrare nequit: atque adeo graviter hortandus est; ut, aut resipiscat, aut a S. Coena abstineat. Qui vero iniuriam fert, in gratiam cum adversante redire cupit, aequam pacis conditionem offert aut accipit, ad ignoscendum condonandumque paratus est, qui adeo non nisi invitus et coactus disceptat, is contra invitandus est et hortandus, ad Domini convivium libere et modeste celebrandum. (31)

(31) Conf. Boers, lib. I. §. 29.

SEC.

SECTIO TERTIA,

DE

UTILITATE, QUAE EX HAC VISITATIONE DOMESTICA SPERARI POTERIT.

---

§. 1.

Iudicium de varia visitationis domesticae utilitate recte faciendum.

Quae, de visitatione domestica, Sectionibus I. et II. scripsimus, ea nobis persuadent, laborem, ei impendendum, saepenumero molestum esse et operosum. Iccirco mirum non videtur, si quis hanc subterfugiat molestiam. Equidem certe fateor, meam imperitiam et imbecillitatem reformidaturam esse tam difficilem laborem, nisi animum mihi addat exspectatio utilita-

ta-

tatis, quae ex visitatione domestica, rite instituta, sperari possit. Mihi enim persuadeo, neque unum, neque exiguum fructum, ex hac curae pastoralis parte, Dei beneficio, esse redundaturum, dummodo ea rite et ad Euangelii legem adhibeatur. Nec dubito, quin plerique eorum, qui inutile et fere noxium dixerunt omne hoc salutationis domesticae negotium, benignius, ne dicam aequius, de eo fuissent iudicaturi, si talem ante oculos positam habuissent visitandorum sodalium rationem, qualem prudentior quisque Antistes sequi solet. Quamquam igitur non nego, parum fructuosam esse operam, quam consumunt Antistites, in nuda invitatione, admonitione et salutatione, ad certam verborum formulam identidem repetita, (32) tamen nihilo minus spero et confido, minime frustra esse laboraturos, qui prudenter et fideliter versentur in hoc sancto negotio, ad cuiusque sodalis ingenium et animum, rerum item et temporum, locorumque adiuncta, accommodando.

Equidem non credo, Antistitum curam singulis admonitis fore fructuosam, aut toties esse profuturam,

(32) Conf. Liefsting, lib. I. p. 265, 266. Scriptor in *Horreo* saepius laud. p. 364-368. 379, 380. Boers, lib. I. §. 2. Reddingius, lib. I. §. 103. Ten Broek, l. l. p. 87, 88. K(uiper,) l. l. p. 375, 376.

ram, quoties ea adhibeatur. Si enim coelestis ille mentis divinae interpres, Iesus Christus, sanctus Dei Filius, saepe frustra monuerit, cum alios permultos, tum etiam discipulos suos, et si primi eius legati, Spiritus S. donis instructi, saepe parum profecerint docendo monendoque, temerarium foret, operis, a nostrorum temporum doctoribus suscepti, exitum divinare magis prosperum. Sed sperare tamen ausim fore, ut diligens et assidua Antistitum cura, non raro, nec paucis, prosit. Τὸ γὰρ εὐαγγέλιον τοῦ Χριστοῦ, ut scribit Paullus Apostolus, (33) δύναμις Θεοῦ ἐστιν εἰς σωτηρίαν παντὶ τῷ πιστεύοντι. Et coelestis Ecclesiae Dominus, teste eodem, (34) ἔδωκε ποιμένας καὶ διδασκάλους πρὸς τὸν καταρτισμὸν τῶν ἁγίων, εἰς ἔργον διακονίας, εἰς οἰκοδομὴν τοῦ σώματος τοῦ Χριστοῦ. Qui quidem fructus salutaris si sperari possit ex Euangelii praedicatione publica, quidni ex admonitionibus, quae privatim fiunt, ad singulorum conditionem et usum accommodatis?

(33) Rom. I: 16.
(34) Eph. IV: 11, 12.

§. 2.

Utilitas, ex hac consuetudine Antistitis cum Ecclesiae sociis et alumnis, speranda.

In rite aestimando fructu, quem e bene instituta visitatione domestica sperare liceat, primum quidem ratio habenda est honestae consuetudinis, quae Antistiti salutanti cum Ecclesiae sociis et alumnis ab eo salutatis intercedit. Haec enim consuetudo admodum utilis est, cum Euangelii interpreti, tum omnibus, quorum cura ei est imposita.

Ipse sacrorum Antistes, ex hac consuetudine, non exiguum capiet fructum, ad hominum ipsius curae commissorum animos moresque cognoscendos. Etenim, cum iis colloquendo de rebus ad religionem pertinentibus, veluti de Dei erga nos amore in Filii morte conspicuo, de memoria Iesu Christi pro nobis mortui renovanda, de fide Euangelio habenda, de vita ad Sospitatoris nostri doctrinam et exemplum agenda, et quae eiusmodi sunt alia, necessariam sibi comparabit notitiam hominum ab ipso docendorum et monendorum. Hac certe opportunitate, si qua alia, poterit cognoscere, qua singuli sint intelligentia, iudicio, perspicacitate, me-

memoria, docilitate; qua exculti doctrina; quibus imbuti opinionibus et erroribus; quibus laborent vitiis animique morbis; quibus praemantur aerumnis; quibus crucientur curis et sollicitudinibus; quibus praediti sint virtutibus; quae iis sint, sive laetandi et sperandi, sive dolendi metuendique caussae; quibus expositi sint peccandi illecebris; quibus eorum fides et pietas retardentur impedimentis. Quae quidem omnia quo penitius cognoverit Euangelii interpres, eo certius iudicare poterit, quae apud singulos adhibenda sit, vel institutio et admonitio, vel refutatio et reprehensio, vel hortatio et incitatio, vel denique moderatio et consolatio. Quemadmodum enim medicus morbos corporis humani sanare haud potest, nisi cognito aegrotante, intellectisque morborum caussis ac viribus, ita, qui hominum animis curandis operam dant, frustra laborabunt, nisi eorum noverint indolem, vitiorumque et errorum fontem ac habitum perspexerint. (35)

Coe-

(35) Conf. Everh. Bornaeus, *de getrouwe Harder*. Leeuw. 1669. p. 601, 602. Liefsting, lib. I. p. 279-282. eiusdemque, ut fertur, liber, cui titulus: *Verzameling van aanmerkingen over de nuttigheid van het opmerken van de verscheidenheid der menschelijke gemoederen bij de beoeffening der Godgeleerdheid.* Leeuw. 1798.

Coetui sacro non minus utilis erit consuetudo, quae Ecclesiastae salutanti intercedit, cum Ecclesiae sociis et alumnis ab eo salutatis. Primum enim ipse ille fructus, quem Antistes percipit e colloquiis in visitatione domestica factis, ad coetum, cui praeest, redundat. Deinde quoque ea consuetudo facit, ut quicunque colloquuntur cum Antistite, huius prudentiam, humanitatem, comitatem, facilitatem, lenitatem et misericordiam, cognoscant, et multo quidem facilius et certius, quam cognosci hae possint virtutes ex orationibus in concione auditis, ex quibus gravitas, doctrina et eloquentia, docentis monentisque magis intelliguntur. Ea vero sermonis in Antistite affabilitas magnopere hominum, maxime plebeiorum, mulierum porro et puerorum, animos conciliat, nimium pudorem et timiditatem, quae cum reverentia saepe iuncta est, pellit, facitque, ut, quem suspiciant, hunc et ament, et cui se submittant, huic quoque confidant. Quae res vicissim valde proficua est Euangelii interpreti, ad augendam vitae publicae privataeque iucunditatem et salubritatem.

Sed erunt fortasse, qui dicant, omnem hanc utilitatem minus sperandam esse e singulari illa visi-

1798. Scriptor in *Horreo* laud. p. 370, 371. Boers, loc. l. §. 1.

visitatione domestica, de qua disserimus, quam ex universa Antistitis consuetudine cum Ecclesiae sociis et alumnis. His igitur contradicentibus nonnulla habeo, quae respondeam. Primum quidem minime nego, communem hanc consuetudinem saepius fore aeque fructuosam, atque illam, quae identidem fit instante S. Coenae celebratione, aliquando etiam fore fructuosiorem: verum de eo nunc non disquirimus; in eo enim sumus, ut quaeramus de utilitate e visitatione illa singulari sperando; hoc igitur nunc agentes contendimus, universe laudanda esse illius emolumenta, quae memoravimus. Deinde verendum mihi videtur, ne Antistites, communi illa ac liberiori consuetudine contenti, sodales alios frequentius salutent, alios praetereant, magis suae consulentes commoditati et utilitati, quam omnium sociorum et alumnorum saluti. Porro, in ea liberiori consuetudine, Antistites, maxime iuniores et nondum exercitati, ad singulos docendos monendosque minus erunt prompti et parati, quam in visitatione domestica, solenniter et hunc in finem instituta: similiter, qui salutantur, minus lubenter excepturi sunt docentem et monentem. Quin, neglecta visitatione solenni, communis illa consuetudo facile abitura est in familiaritatem, quae docentis monentisque personae vix conveniat. Denique, cum

cum utilitate, quam primo loco laudavimus, coniunctae sunt aliae, minus etiam e vulgari illa consuetudine sperandae: de quibus age nunc pauca addamus.

§. 3.

Utilitas ex invitatione ad S. Coenam celebrandam speranda.

Utilitas non exigua speranda est e *solenni invitatione* sociorum ad celebrandam S. Coenam, si quidem ea invitatio prudenter et tempestive fiat, adiunctamque habeat admonitionem de legitima et fructuosa huius epuli celebratione.

Primum enim sperare licet, ex eorum numero, qui S. Coenam, vel negligunt, vel non admodum curant, vel celebrare non audent, fore, quibus invitatio et admonitio Antistitis persuadeat de necessitate et utilitate huius festi celebrandi, quos adeo moveat ad memoriam Christi pro nobis mortui solenniter pieque repetendam. Scilicet, vel omnis invitatio et admonitio, quae fit ab Euangelii interpretibus, inutilis erit habenda, vel ex hac certe, tam honorifica, tam iusta, aliquis sperandus est fructus. Nec raro huic spei eventum respondere, profitentur viri venerabiles, longo rerum sacrorum

usu

usu edocti. (36) Iidem asseverant, neglecta aut praetermissa invitatione, saepius minui convivarum frequentiam.

Deinde etiam dubium non est, quin Antistitum admonitio, de S. Coena recte et utiliter celebranda, multis profutura sit convivis. Aliorum enim ex animis falsas evellet de Domini Coena opiniones molestosque scrupulos. Alios excitabit ad peccatorum confessionem vitaeque correctionem, quo facto possint legitime ad hoc admitti convivium. Aliorum fiduciam et spem corroborabit, quibus tranquillo laetoque animo interesse possint sacro huic epulo. Alios inflammabit ad Dei Christique amorem, ad pacem cum sodalibus habendam, uti et ad caeteras animi affectiones ac virtutes, quae Christianos, S. Coenam celebrantes, ornant et commendant.

Denique, si qui sint ea impietate, malitia et perfidia, quae adhibita admonitionum remedia contemnant, Antistites hos a profanatione S. Coenae dehortando poterunt cohibere, atque adeo curare, ne isti sibi magis noceant, Domini convi-

(36) Ven. Ten Broek, loc. l. p. 94. hoc ipsum profitetur de visitationibus minus prudenter factis. Ex iis igitur, quae rectius instituuntur, plus etiam utilitatis erit sperandum.

vivium sua praesentia maculent, Christique Ecclesiae sint dedecori.

§. 4.

Utilitas, ex aliis admonitionibus, hortationibus, reprehensionibus et consolationibus, speranda.

Si quidem visitationis domesticae opportunitas adhibeatur, ad alias muneris ecclesiastici partes rite administrandas, sperare nobis licet, eam hactenus quoque coetus Christiani sociis et alumnis, cunctisque salutatis, fore utilem et fructuosam.

Primum igitur genuinis Ecclesiae sociis profutura videtur omnis illa Antistitis cura, quae non necessario iuncta est cum invitatione et admonitione de S. Coena celebranda. Etenim nulla non institutio prodesse potest, ad pellendam qualemcunque ignorantiam, ad eripiendos errores, ad augendam confirmandamque fidem. Nulla non admonitio et hortatio tardioribus excitandis et stimulandis apta est. Nulla non reprehensio, si aequa sit et benigna, idonea est ad corrigenda qualiacunque vitia. Nulla non consolatio vim habet ad tristes erigendos moestosque hilarandos. Quae cum universe dicenda sint de

ge-

generalis Eccleſiae ſociis, nominatim Antiſtitis admonitio et conſolatio cenſenda est proficua aegrotantibus et infirmis, omninoque iis, qui probabili cauſſa impediuntur, quominus S. Coenam celebrare poſſint.

Tum etiam plurimum valebit industria Antistitis ad ſalutem eorum provehendam, qui nondum Eccleſiae ſociis ſunt adſcripti. Catechumenis enim, ſive industriis, ſive pigris, profutura videtur admonitio, ad ſingulorum indolem et aetatem adaptata. Caeteros, ſive adultos, ſive adoleſcentes, Antiſtitis invitatio et admonitio, prudenter et conſtanter facta, alliciet, ad Deum Christumque publice cum Eccleſia colendum, et ad utendum inſtitutione doctrinae ac religionis Christianae, ut aliquando fidem Euangelio habitam profiteri et Eccleſiae ſociis publice accenſeri poſſint. Puerorum et puellarum quoque ſaluti proſpicietur, hortando parentes et tutores, ad procurandam liberorum et alumnorum educationem, tum domesticam, tum ſcholasticam, tum denique eccleſiasticam.

Porro ſpes est, fore, ut, qui cenſura eccleſiastica a S. Coenae uſu ſint prohibiti, ab Euangelii interprete etiam atque etiam admoniti, inducantur ad poenitendum et reſipiſcendum, ad peccata confitenda moresque corrigendos, ad redeundum in gratiam cum Eccleſiae Antiſtitibus

et

et sociis, et ad resarciendum, quod intulerint, damnum.

Denique prodesse poterit qualiscunque honesta salutatio et admonitio aliis, non quidem coetui reformatorum addictis, attamen fidei Christianae affinitate cum eo iunctis, si quidem hi Antistiti salutanti, admonenti beneque precanti, faciles praebeant aures.

Quodsi vero quis credat, fructus, hac §. et superiori laudatos, non minus sperari posse ex institutione, admonitione, hortatione et consolatione, quae in conventu S. fit ab Euangelii interprete, is profecto non animadvertit, quam dispar sit ratio admonitionis publicae et privatae. Nam, in orationibus sacris pro concione pronunciatis, potest quidem Doctor Christianus agere de virtutum vitiorumque generibus, verum singulas formas, quae in aliis atque aliis hominibus sunt laudandae aut vituperandae, tamquam digito indicare eum non oportet; multa quoque turpia et foeda ne nominari quidem honeste possunt coram hominibus diversi sexus et aetatis: utrumque vero privatim fieri, et potest, et nonnunquam debet. Praeterea publicam admonitionem saepe ii non audiunt aut attendunt, ad quos ea proxime pertinet; et qui audiunt omnibus promiscue aut certo hominum generi dicta, non tamen omnes ea sibi dicta putant,

quo

quo fit, ut neque ea sibi adhibere, suosque in usus convertere possint: utrumque vero illud aliter sese habet in admonitionibus privatis. Qui denique privatim monentur, possunt mentis suae cogitata eloqui, animi sensa et consilia, verbis, vultu, factis, aperire, monenti aut contradicere aut consensum profiteri, scrupulos et dubitationes afferre, argumenta argumentis opponere, atque adeo monenti ansam praebere, aut a proposito desistendi, aut pergendi in docendo, refellendo, persuadendo, hortando, increpando, consolando, omninoque monita sua, ad singulorum animum, universam vitae rationem, conditionem praesentem rerumque adiuncta, propius et accuratius, accommodandi, quam fieri possit in oratione publica. (37)

Haec universe dicta, de utilitate, e privatis admonitionibus redundatura, nominatim valere de pace inter dissociatos concilianda, quisque facile intelligit, ut adeo non opus sit repetitione aut explicatione eorum, quae Sect. I. §. 7. monuimus.

(37) Conf. Scriptor in *Horreo* laud. p. 371-373, Reddingius, lib. I. §. 102. Ten Broek, loc. l. p. 85-87. K(uiper,) loc. l. p. 377, 378.

§. 5.

Alii nonnulli fructus, e visitatione domestica sperandi.

Corollarii loco, lubet paucis commemorare fructus nonnullos, aliquando e visitatione domestica sperandos.

Prodesse potest haec curae pastoralis pars Senioribus non paucis, qui sese Euangelii interpretibus adiungunt in ea socios et adiutores. Horum enim alii sunt peritiores et exercitati in ecclesia regunda: alii minus periti necdum usu edocti. Prouti illi prodesse possunt Doctoribus consilio et auxilio, ita hi plurimum possunt discere e Doctorum consuetudine et exemplo, quorum adeo cura multum est conductura ad formandos et exercendos Seniores, qui deinceps, sive soli, sive consociata cum collegis opera, docendo monendoque prosint coetui, ipsorum curae commisso.

Deinde etiam Antistites, hac providentiae pastoralis parte fideliter administanda, haud parum conferent, ad Societatis, cum sacrae, tum civilis, pacem et tranquillitatem conservandam aut restituendam. Quoties enim, in visitatione domestica, id agunt, ut rixarum et controversiarum scintillas exstinguant, toties non tantum

sin-

ſingulorum ſaluti et incolumitati proſpiciunt, ſed provident etiam quieti coetus Christiani, diſcordias domesticas tollunt, lites forenſes praeveniunt et ſeditiones aliquando civiles cohibent.

Tum etiam omni hac cura pastorali, in aedibus ſingulorum coetui ſacro addictorum, conſocianda cum publico docendi monendique munerè, Antistites nostri muneri eccleſiastico decus conciliabunt, cum apud domesticos, tum etiam apud extraneos, nominatim apud eos, qui nimis abiecte de eo ſentiunt, quorum nostra aetate non exiguus est numerus.

Denique haec Antistitum diligentia et cura, in cunctis muneris pastoralis partibus, in privatis etiam aedibus, circumſpecte et prudenter administrandis, non exiguam habitura est vim, ad commendandam religionem, a ſuperſtitione et hierarchia vindicatam, et ad tuendos coetuum repurgatorum ſocios et alumnos, ab artibus et fraudibus eorum, qui callide incautos nec bene custoditos circumveniunt, nullique parcunt operae, qua oves, Pastorum nostrorum curae commiſſas, ad ſuas alliciant partes.

SYMBOLUM:

HISTORIA SAPIENTIAE MAGISTRA.

EMENDANDA.

Pag. 23	lin. 2	*Eaque*	Leg.	*Iique*
— —	— 3	*fcripta.*	—	*fcripti.*
— 64	— 1	§. 18.	—	§. 19.
— 147	— 7	§. 2.	—	§. 3.

GUILIELMI VAN LYNDEN,

NEOMAGO-GELRI,

JUR. ROM. ET HOD. IN ACAD. RHENO-TRAJECTINA CAND.

RESPONSIO

AD

QUAESTIONEM JURIDICAM,

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA

ANNO MDCCCXXVII. PROPOSITAM:

„ *Dotis origo apud Romanos, ac jus, quod*
„ *eo nomine conjugibus, et per mortem*
„ *soluto matrimonio, constitutum est, e suis*
„ *caussis historica disquisitione illustretur.*"

PRAEMIO ORNATA.

„ *Dos est magna parentum virtus.*"

HORATIUS.

INTRODUCTIO.

Ad jurisprudentiam alicujus gentis rite intelligendam, nemo est, qui affirmare recusset, historiae facem esse adhibendam, ac ea praelucente ad veras rerum causas et origines inquirendas esse procedendum. Quum enim plerumque mores habentur fundamenta, quibus leges dein superstrui solent, ratio inprimis est habenda conditionis gentis, de qua sermo est; barbara enim conditio, aucta dein humanitas, imperii forma mutata, religio, luxus, mores corrupti, haec omnia alia postulant jura, alia inducunt instituta.

 Quo-

Quomodo igitur, nisi rite adumbratam teneamus omnem populi conditionem et indolem, legum vim ac efficaciam perspiciemus?

Haud parvam quoque jucunditatem habet, historicum alicujus scientiae progressum considerare, observare primam ejus originem, attendere sensim paullatimque rerum mutatarum rationem, perspicere scientiae jam excultae perfectam plane et consummatam conditionem: sic licet animadvertere, quomodo paullatim sponte sua ingenium humanum progressum fit. Nec minus valet hujusmodi observatio ad accurate percipiendam ipsam, de qua agitur, disciplinam. Imprimis autem hoc de jurisprudentia valet; juris enim primum constituendi optima ratio unice cognoscitur ex historica legum, hac de re latarum, notitia, et juris jam constituti, vel dein immutati vera causa percipi nequit, nisi historica ratione procedatur.

Quemadmodum enim verus historiarum fructus non ex sola et nuda rerum gestarum memoria nascitur; nec exempla recta, quae sequamur, vel prava, quae vitemus, undenam desumenda sint, cuilibet perspicuum est, nisi occasiones, causae, rationesque ipsi innotuerint,

ita

sta sine similibus subsidiis vera ac genuina legum juriumque mens, explicatio et usus facile nos fugiunt; quae vero omnia, ubi haec adfuerint, rectissime ac commodissime poterimus assequi. Quisque porro, qui aliqua diligentia juris Romani historiae intelligendae operam dederit, ultro fatebitur, leges et mores et civilem populi rationem arctissimo vinculo inter se contineri: „ Nam" ut recte scripsit Noodtius (1) „ haec ars (jurisprudentia Romana) „ non nata est uno alterove die, neque ab unius „ ingenio eâdemve opportunitate est profecta, „ sed pro reipublicae moribus, commodis, „ difficultatibus, sensim est exculta, ut morum „ majorum tenacissimi Romani jus suum civile, „ servato charactere antiquo, commodarint ad „ rationem civitatis praesentem."

Quaestio hoc anno a Nobilissima facultate juridica Rheno-Trajectina ad certamen litterarium proposita, hoc conspectu magnopere mihi placebat, quippe quae juris Romani caput conti-

(1) Oratio, de civili prudentia t. 1. p. 609.

tinet, quod antiquum jus plane ignorabat, idemque ad antiquos mores fere compositum, et ad cujus responsionem historica ratione erit procedendum. Diu haesitavi, an ea adgrederer, quae viribus meis juvenilibus tam imparia videbantur; tandem vero mecum reputans, vos, viri Clarissimi, non ea a juvene exacturos, quae virilis magis sunt aetatis, animum confirmavi meum, ac vestro benigno judicio fretus, disquisitionis hujus vela pependi.

Hisce universe praemissis, ad ipsam propositam quaestionem accedamus, quae sponte in tria potissimum capita dividi posse mihi videtur, in quorum primo agendum erit: *De dotis origine apud Romanos*. In secundo: *de jure conjugum stante matrimonio dotis nomine*. In tertio: *de jure, quod, per mortem soluto matrimonio, dotis nomine constitutum est.*

CAPUT PRIMUM.

DE DOTIS ORIGINE APUD ROMANOS.

SECTIO PRIMA.

DOS OLIM APUD ROMANOS INCOGNITA.

§. 1.

Conditio feminarum Romanarum primis temporibus.

Apud omnes fere gentes incultas miserrimam reperimus feminarum conditionem. In summa enim barbarie jus viget fortioris, qui, ceteras ignorans virtutes, solam existimat fortitudinem et sequitur. Itaque facile sibi submittit feminam, quam ut imbecilliorem contemnit, atque sibi servam habet: quod in rerum na-

natura adeo fundatum esse videtur (1), ut in populorum infantia, qua vis et arma magis quam jura valent, sexus imbellis, quippe qui crebris infirmitatibus obnoxius, deteriori jure utatur quam masculi, qui foris rem publicam et familiam tuentur, domi durissimo labore perpetiendo alunt atque sustentant.

Quod si historiae Romanae annales evolvamus, veritas hujus dicti plane nobis probata apparebit. Neque est, quod miremur, si attendamus, apud Romanos, uti hoc apud plerosque populos incultos accidere videmus, imprimis valuisse patriarchalem, quae dicitur, rationem. Paterfamilias enim Romanus patriarchae instar, summus erat imperans suae familiae, adeo quidem, ut in omnes, qui ad suam pertinerent familiam ejusque partem constituerent, plenissimam exerceret potestatem (2). Hinc igitur repetendum videtur, maritum eodem jure, quo in liberos, etiam in uxorem uti, ac patriam veluti in eam exercere potestatem, quippe quae nubendo etiam in suam familiam transierat.

Si modo ritus spectemus, quibus nuptiae apud

(1) Cf. Iselin, Geschiedenis der menschheid, Tom. I, pag. 240.

(2) Cf. v. d. Gronden, Spec. observ. de vestig. vitae errat. in quibusdam instit. jur. Rom. pag. 35 seqq.

apud Romanos celebrari solebant, haec clariora nobis fient. Sive enim confarreatione, sive coëmtione, sive usu nuptias iniret mulier, semper conveniebat in manum mariti; quod si nuptura in patria esset potestate, rationi erat consentaneum, ut haec mulier e patris sui potestate liberaretur, simul ac in mariti potestatem transiret, cum nemo simul in duorum potestate esse possit.

Neque ficta haec erat mariti veluti patria potestas, sed vera, adeo quidem, ut filiae loco haberetur, omnia ejus bona marito acquirerentur, et quaecunque ipsa adipiscebatur, haec omnia ad virum pertinerent, tanquam patrem (1); ut filia haberet jus sui heredis in bona mariti ex caussa intestati; maritus autem uxori non succederet, quum omnia ejus bona patrio jure sibi obvenirent. (2) Ex eadem hac potestate sponte fluunt alia jura mariti in uxorem, quae explicare non est hujus loci.

(1) Ulp. fragm. tit. 19. §. 18. ibique notae Cannegieteri.

(2) Cf. doctiss. Dorn Seiffen, Diss. de jure femin. ap. Romanos, c. 3. §. 4.

§. 2.

§. 2.

Ratio, quare dos olim apud Romanos incognita fuisse videatur.

Si rationem quaeramus, quare apud Romanos olim nulla dotis mentio occurrat, imprimis attendere debemus ipsam *dotis* (1) naturam, qualem in fragmentis Jure Consultorum eam deprehendimus; quo facto, continuo nobis patebit, in ea rerum conditione, qualem §. praecedenti antiquitus obtinuisse vidimus, dotandi morem nondum invaluisse. „ Est enim," definiente Pothier, viro summo, „ dos contractus, quo „ mulier aliusve pro ea, viro ad sustinenda one„ ra matrimonii aliquid dat aut promitttit, quod „ vir, soluto matrimonio his casibus, qui lege „ aut conventione sunt praescripti, obligatur res„ tituere." (2) Scilicet, si filia post mortem patris nuptias inivisset, habebat quidem bona, unde dotem marito dare poterat; nam lege decemvirali ad successionem omnes agnati, sine ullo sexus dis-

(1) Si verbi originem spectemus, notandum id deduci a Graeco δὼς quod idem est ac δόμα, sive δόσις: ab eo *doti* nomen esse scribit Varro. qui lib. 4. de lingua Latina sic ait: „ *dos erit pecunia, si nuptiarum causa da„ ta sit.*"

(2) Ad ff. de Jure dotium, initio.

discrimine, admittebantur (1): quod Justinianus ipse confirmat: „Lex," inquit, „XII. Tabb. „ simplicitatem legibus amicam amplexa, om„nes agnatos, sive masculos, sive feminas cu„juscunque gradus ad successionem vocat." (2) Quomodo vero ipsa mulier unquam censeri potuit quidquam de suo ad certum quemdam finem marito dedisse, cum constet, omnia bona uxoris, statim ac nuptias iniret, ipso jure marito competere (3)? Qualis porro contractus de parte quadam sui patrimonii iniri potest cum eo, qui sponte omnia illius bona ita acquirit, ut nullius ad id consensu indigeat? Denique, cum eum in finem dos dari soleat, ut inde sustineantur onera matrimonii, passim in jure dicitur, penes maritum dos esse ex causa onerosa (4); quae sane non conveniunt acquirenti ex jure patrisfamilias, qui magis acquirere videtur ex titulo lucrativo.

Deinde, neque dos (5), quae a patre vel ab alio

(1) Paull. Sent. lib. 4. T. 8. §. 22. in fine Ulp. fragm. tit. 26. §. 3. J. de Leg. agn. succ.

(2) L. pen. et ult. Cod. de Leg. her.

(3) Conf. Schenk, das Recht der Dos vor Justinian, p. 27. qui in adversas abiit partes.

(4) L. 5. ff. de Oblig. et act.

(5) L. 4. §. 22. ff. de Doli et metus except. l. 47. ff. mand. — l. 9. ff. de Condict. causa data.

illo pro muliere datur, hisce rerum momentis locum habere potuit; quoniam naturae dotis convenit, ut eam haberet filia ex titulo lucrativo. At vero nemo erit, qui caussam lucrativam filiae adesse affirmare auderet, ubi haec donata statim fiunt mariti, sine lege ea restituendi matrimonio soluto; quo fit, ut, nondum introducto jure dotis, licet etiam nonnihil a patre filiae suae sit donatum, illud tamen non acquiratur filiae, sed soli marito. Antiquissimis itaque temporibus vera dos Romanis incognita fuisse videtur. Atque ex hac causa etiam repetendum est, quod in antiquis legibus tam Regiis (1), quam Decemviralibus (2), nulla de dote mentio occurrat; quamobrem Cicero (3), minus accurate scripsisse videtur, cum dicat: „Cum mulier viro in manum convenit, omnia, quae mulieris fuerunt, viri fiunt, dotis „nomine." Nisi forte Ciceronem ex usu sui tem-

(1) Dionys. Hal. II. c. 25. Edit. Hudson Oxon. 1704. quare minus recte vir. ampl. Carion-Nisas Numam primum dixit auctorem aequalitatis inter sexum propter institutam dotem, Motifs du Cod. Nap. T. V. p. 394.

(2) Cf. Wieling, Lectiones jur. civ. lib. II. c. 23. Zimmern, Geschichte des R. privatr. p. 574.

(3) In Topicis c. 4. §. 23.

temporis loquentem intelligamus, doribus quippe tum fatis ufitatis. (1)

§. 3.

Rationes, ob quas nonnulli antiquitus dotem apud Romanos extitisse putent, refutantur.

Sunt tamen, qui, quanquam fententiam fupra propofitam non prorfus veritate destitutam pronunciant, tamen quaestionem moveant, anne, fi quidem vera dos antiquisfimo tempore nota non fuerit, tamen ejus quafi imago apud Romanos adfuerit, quatenus fcilicet pater largiri quaedam potuit filiae nubenti, qui mos anfam praebere potuit juri dein circa dotem introducto: adeo ut dicant, re ipfa dotem obtinuisfe prisca aetate, fed eo fenfu, quo vetus Horatii interpres (2) eam definit: *donum puellarum nubentium*, legibus et jure non circumfcriptam.

Sa-

(1) Cf. Jo. Christian Hasfe, das Gutterecht der Ehegatten, pag 221. Contrariam fequitur fententiam Schenk, qui verba Ciceronis et hoc loco et in Oratione pro Flacco c. 34 et 35. ftricte accipienda esfe defendit. Conf. van Lynden, in Top. Ciceron. p. 31.

(2) Od. lib. 3. od. 24.

Sane, si ad alias antiquitatis gentes oculos convertamus, earumque mores attendamus, non occurrunt dotes datae, nec a muliere, nec ipsius contemplatione, marito futuro. Hae dotes videntur antiqui aevi populis ignoratae, donec salus publica suaderet ut introducerentur (1). Nonnulli etiam populi, docente eorum historia, dotes plane improbarunt. Sic de Lacedaemoniis narratur Lycurgus virgines sine dote nubere jussisse, teste Justino, Historiae Philippicae *lib.* 3. *c.* 3. Et quidem, uti scribit, „ ut uxores eligerentur, non pecuniae, severiusque matrimonia sua viri coërcerent, cum „ nullis dotis fraenis tenerentur." (2)

De Atheniensibus simile quid a Plutarcho narratur; Solon enim nuptiis dotes ademit, ita ut tria tantum vestimenta ac parvi pretii instrumenta a sponsa in sponsum conferri voluerit. Apud plerasque tamen gentes dotem maritus uxori, non uxor marito offerebat. — Ista sane consuetudo viguit inter Germanos, Assyrios, Babylonios et Armenios (3). Diutissime tamen re-

(1) Cf. laud. a Wielingio, op. l. lib. 2. c. 23.

(2) Cf. Aelianus, variae hist. 6.

(3) Cf. de Germanis, Tacitus de mor. Germ. c. 18. De Assyriis, Aelianus, Op. l. lib. 4. c. 1. de Babyloniis, Herodotus, lib. 1. cap. 196. De Armeniis, Nov. 21.

remansit apud Germanos ejusque originis gentes (1). Et quamvis his populorum moribus vim negare nolimus, non tamen tanti videntur esse ponderis, quin ab his recedere potuerint Romani. Neque videri potest plane deësse ratio peculiaris, ab quam Romani dici possunt descivisse a moribus aliarum gentium. Etenim apud plerasque gentes, apud quas maritus sponsae dotem offert, in successione paterna masculis postponuntur feminae, quae adeo nullum habent jus in bona paterna, si filii adsint; sed apud Romanos, quod supra jam observavimus, aequali jure succedunt mares et feminae sine discrimine sexus.

Accedit, Romano juri antiquo proprium esse, filias per nuptias ita transire in potestatem mariti, ut patria solutae potestate, jus etiam patri succedendi amittant: non enim succedunt agnatae emancipatae, quippe quae capitis diminutionem patiuntur. (2)

Ex hisce causis videri potest, justam adesse rationem tempore nuptiarum illius liberalitatis exercendae, ne filia turpiter egere aut inhoneste vitam agere cogeretur, quia nuptias ineundo des-

(1) Cf. Perizonius, Diss. de lege Voconia, pag. 132.

(2) Cf. Ulpiani, fr. tit. XI. §. 13. tit. XXII. §. 14.

destituebatur jure fuccedendi, cujus particeps esfet fi nuptias non iniret.

Afferuntur denique verba Perizonii (1), qui, „ dotis, inquit, non alia est origio, quam „ ut, cum filii penes patrem manerent domini „ omnium quae ille reliquisfet, filiae contra, „ ficuti quamdiu innuptae erant debebant „ ali ex bonis paternis, fic, quum nuberent, „ una cum iis dotibus in perpetuum ex fami„ lia et domo paterna veluti dimitterentur, ne „ expertes plane esfent paternae hereditatis;" quod fane ab antiqui juris ratione non omnino est alienum. (2)

Omnia haec argumenta, licet fpeciem quandam probabilitatis prae fe ferant, non tamen ejus esfe ponderis mihi videntur, ut perfuadendi vim iis tribuam. Etenim quod de ratione peculiari diximus, ob quam deflectere de moribus gentium potuerint Romani, illud facile agnoscimus; fed aliud est, an revera deflexerint?

Afferri certe posfunt multae rationes in contrarium. Hac enim liberalitate nil effecisfet pater erga filiam, propter jus marito competens, quo omnia bona uxoris fiunt fua. Deinde, ne turpiter

(1) Disf. de l. Voconia, pag. 130. et Heineec. Antiq. ad Inft. lib. 2. tit. 8. §. 2.

(2) Cf. Schenk, Disf. laud. p. 17.

ter egere viderentur filiae, ipsis innuptis data est successio, una cum fratribus, in bona parentum; nuptis vero in bona mariti, cui tanquam filiae erant heredes ab intestato. Porro tanta hujus liberalitatis ratio non videbatur in paupertate antiquorum Romanorum, aut, ut haberent, quod marito offerrent, in sobria et parca vivendi ratione, quae tum obtinebat (1). Neque videntur Romani ejusmodi largitione bona ex una in aliam familiam voluisse transferre; quod ex jure antiquo non potuit evitari, cum haec cederent marito. Quin, teste Plauto, Roma adhuc infante et paupercula, nupturientes mulieres, virgines viduaeve, nihil fere praeter vestem et vestis fartum ad viros adferebant (2). Quod autem Perizonius de origine dotium exposuit, videtur utique inter homines rei naturae convenire, et apud Romanos quoque locum habuisse eâ tempestate, qua sunt dotes introductae; non vero tantam vim habet haec ratio, ut putemus, eas jam antiquitus ideo obtinuisse revera, quia talia tum erant jura, ut quum filia vi conventionis in manum in aliam transiret familiam, et exueretur hereditate paterna, ex dote habere non possit remunerationem ejus, quod per nuptias vi-

(1) Conf. omnino Schenk, Diss. laud. p. 15.
(2) Wieling., Lect. j. civ., pag. 202.

videbatur amittere. Quidquid autem hujus rei sit, certum est ex iis quae supra observavimus, eam dotem, qualem Romani per leges constituerunt, sive jus illud dotium, antiquitus non obtinuisse. (1).

SECTIO ALTERA.

DOS APUD ROMANOS INTRODUCTA.

§. 1.

Observatio generalis.

Si juris alicujus mutationem spectamus, raro invenimus unam causam, quae sola juri mutato ansam praebuisse videtur. Multae concurrere solent opportunitates, quae non uno quidem impetu, sed sensim sensimque populi jura mutant, augent, excolunt. Id bene animadvertendum est nobis, si dotis originem indagare cupimus: varia enim concurrebant, quae dotium jura reddebant necessaria. Proponemus idcirco causas tantum praecipuas, et ad eas nostrum juris argumentum referemus, cujus immutatio ex una alterave earum inprimis repetenda videtur.

§. 2.

(1) Cf. Dorn Seiffen, Diss. I. §. 5.

§. 2.

Prima dotis apud Romanos introductae causa: mores mulierum.

Si primam dotis apud Romanos introducendae causam quaeramus, haud imprudenter agere nobis videmur, si illam in luxu et dominandi mulierum cupidine positam putemus. Hac in re nobis Clar. Wielingium habemus consentientem, cujus verba hic apponere liceat (1): „Luxu, inquit, cum imperio populi opibusque privatorum, in dies augescente, virisque stivam regere desuetis, luculentis mox dotibus opus videbatur, ad matrimoniorum longe sumptuosiorum onera sustinenda." Ne autem nimis hujus viri auctoritati tribuere videamur, historiae lumine adjuti accurate explicabimus, saltem explicare conabimur, primam dotis introducendae causam haud immerito, nostra quidem sententia, e luxu mulierum earumque imperiosa indole, qua maritorum juga ferre detrectarent, deduci posse.

Primam igitur dotis originem repetendam esse diximus a moribus mulierum Romanarum: nam quae olim imperio auctoritatique maritorum subjectae erant mulieres, rerum domesticarum

(1) Lect. j. civ. pag. 203.

rum curis intentae, mox post bellum Punicum ſecundum (563–583. U. C.) apparuerunt domesticarum rerum curam aliis relinquentes, maritorum potestatem fugientes, luxui et ornatui valde deditae (1). Si exempla luxuriae, inſolentiae fastusque muliebris quaeramus, quam plurima apud veteres nobis occurrunt. Aderant ipſis eunuchi, ancillae, et qui plures longa ſerie recenſentur a Plauto (2). Quantopere luxui deditae fuerint mulieres, etiam apparet ex lege, quam tulit Oppius, Tribunus plebis, de cultu mulierum (3); et patuit ſane, cum de hac lege abroganda ageretur, quantum fuerit matronarum in ornatu ſtudium: „Res," inquit Livius (4), „in magnum certamen receſſit. „Matronae nulla nec auctoritate, nec verecun„dia, nec imperio virorum contineri limine „poterant; omnes vias urbis aditusque in fo„rum obſidebant, viros descendentes in forum „orantes, ut, florente republica, crescente in „dies privata omnium fortuna, matronis quo„que pristinum ornatum reddi paterentur."

Quid

(1) Conf. Schenk, Diſſ. laud. p. 65 ſeqq.

(2) Aul. Act. III. Scen. 5. vs. 34 ſeqq.

(3) Haec lex. A°. 539. U. C. Q. Fabio et T. Sempronio, Coſſ. ſuff. rogata est: abrogata 20 annis post, multum diſſuadente Catone. Cf. Bachii, Hist. juris. pr. Rom. pag. 151. ibique notae Stockmanni.

(4) Hist. lib. 34. cap. 1.

Quid mirum, si causam tantae insolentiae et audaciae muliebris inquirere cupiamus?

Egregie hic valent verba M. Porci Catonis in eleganti illa oratione, quam ei tribuit Livius (1), pro lege Oppia verba facienti. „Si in sua „ quisque nostrum matrefamilias, Quirites, „ jus et majestatem viri retinere instituisset, „ minus cum universis feminis negotii habere- „ mus; nunc domi victa libertas nostra impo- „ tentia muliebri, hic quoque in foro obteritur „ et calcatur: et quia singulas sustinere non „ possumus, universas horremus. — Date frenos „ impotenti naturae, et indomito animali, et spe- „ rate ipsas modum licentiae facturas, nisi vos fa- „ ciatis. Minimum hoc eorum est, quae iniquo „ animo foeminae sibi, aut moribus aut legibus „ injuncta patiuntur. Omnium rerum libertatem, „ imo licentiam (si vera dicere volumus) deside- „ rant. Quid enim, si hoc expugnaverint, non „ tentabunt?" Ex omnibus hisce non immerito concludere licet, jacuisse plane potestatem maritalem. Quidni enim in re privata ausurae sunt mulieres, quae tanta audacia rebus publicis se immiscent?

Si jam modos nuptias ineundi animadvertamus, videntur hi in tollendam mariti potestatem et mores feminarum magnam vim habuisse (2). Modi maxi-

(1) Hist. lib, 34. cap. 2.
(2) Cf. Hasse, Dissert. I. §. 21.

maxime usitati erant *confarreatio* et *coëmtio*, quorum rituum hic erat effectus, ut idest in manum mariti in ejus potestatem plane transiret mulier. (1)

Sensim vero pristini hi nuptias contrahendi modi in desuetudinem abierunt, et alia nuptiarum contrahendarum invaluit ratio sine conventione in manum; cum enim nulla lex, nulla constitutio Romanos obligaret nuptias inire per confarreationem aut coëmtionem, multi solo usu habebant uxores, ita, ut relictis pristinis solennitatibus earumque effectibus, solo consensu nuptiae inirentur (2). Nuptiis hoc modo incertis factis, Decemviri legem tulerunt, qua constitutum fuit, ut, si quae femina per annum matrimonii causa apud virum fuisset, *nisi trinoctium ab eo usurpandi causâ abescit*, usu sive usucapione nuptiae essent initae, hoc effectu, ut in manum et mancipium viri per annuam possessionem mulier transiret (3). Multum autem probabilitatis habet, mulieres ex hac lege ansam

(3) Hein. antiq. ad Inst. lib. 1. tit. 10.

(1) Cf. Hasse, Diss. I. §. 22.

(2) Initio si hoc modo nuptias contraxissent virgines, conditionem suam non mutabant; manebant enim res mancipi, et usucapi poterant, quod dein absolevit, trium noctium absentia, quotannis mulieris usucapionem interrumpente, introducta. Cf. hac de re Aul. Gellius, Noct. Att. lib. 3. c. 2. Sigonius, de jure civ. Rom. lib. 4. c. 9. Cicero pro Flacco, cap. 34.

sam cepisse se imperio maritorum subtrahendi; quo fiebat, ut, interrupta usucapione, conventio in manum quoque deësset, nec mulieres potestati maritorum legitimae submitterentur; facilius vero hunc morem nubendi mutare mulieres potuerunt, quoniam adstipulabantur adgnati; nam si in mariti potestatem transirent, is etiam bonorum suae uxoris dominus fiebat, atque ita non raro, crescentibus jam divitiis, alicujus gentis opes in aliam transferebantur; maluerunt igitur agnati, ut nuptiae ita inirentur, ut bonorum dominium nubentibus salvum maneret. Cum vero sensim paullatimque hic mos invalesceret, haud vanum augurem fuisse Catonem apparuit, qui in oratione jamjam laudata mulieres superiores fore pronuntiaverat, simulac pares esse coepissent; nam cum olim ex potestate lege marito concessa, per conventionem in manum omnia mulieris bona essent in dominio mariti, jam, cum illa in manum conventio obsoleverat, partem bonorum marito dabat ad sustinenda onera matrimonii; reliqua sibi servabat bona, quibus utebatur mulier, ut imperio maritali sese subtraheret, et ad nutum suum flecteret maritum, cui ante suberat. Cato etiam, legem Voconiam suadens (1). „Principio," inquit, „vobis mulier magnam dotem attulit, tum mag-

„nam

(1) Cf. Gellius, l. l. lib. 17. cap. 6.

„ nam pecuniam recipit, quam in viri potestatem
„ non committit: eam pecuniam viro mutuam
„ dat; postea, ubi irata facta est, servum re-
„ ceptitium sectari atque flagitare virum jubet."

Quam dominandi cupidae fuerint matronae divites vel ex Juvenali (1), patebit, et pluribus locis Plautinis. (2) Quibus efficere licet, divites mulieres hoc remedio usas esse, ut viros ad nuptias sine conventione in manum ineundas adducerent, ac ita majorem sibi summam largirentur; ut ita liberius viverent ipsae, et maritis imperarent, cum pauperiores maritis subessent, deficiente quippe medio, quo iis ad nuptias hoc modo ineundas persuadere possent. Huc saltem referri possunt verba Megadori apud Plautum (3).

„ *Nam quae indotata est, ea est in potestate viri;*
„ *Dotatae mactant et malo et damno viros.*"

„ *Malo* viros in servitutem redigendo, *dam-*
„ *no*, quia sunt sumptuosae." —

Hisce igitur de moribus feminarum, atque de potestate maritali observatis, transeundum est ad alteram dotis introducendae causam, ex ipsis hujus nuptias contrahendi modi effectibus oriundam.

§. 3.

(1) Satyr. 6.

(2) Aul. Act. 3. Scen. 5. Miles Glor., Act. 3. Scen. 1. vs. 92.

(3) Aul. Act. 3. Scen. 5. vs. 60.

§. 3.

Altera causa: matrimonium conventione in manum.

Paragrapho praecedenti vidimus feminas Romanas, moribus paullatim corruptis, tantam maritorum potestatem fastidientes, majorem sibi acquirere auctoritatem cupivisse; jam pristinis nuptias contrahendi modis neglectis, alia invaluit ratio sine conventione in manum, ita ut relictis pristinis solennitatibus earumque effectibus, *solo consensu* nuptiae inirentur. Habuit hic nuptias ineundi mos longe diversos effectus ab illis, quos conventio in manum producebat, qui effectus deinde videntur necesse reddidisse, ut parens partem bonorum futuro marito, dotis nomine et jure, concederet.

Si enim comparemus nuptias per conventionem in manum et sine ea initas, apparet, per conventionem in manum, maritum fieri veluti patrem uxoris, quae in ejus potestatem et familiam transiret; nuptiis autem sine conventione in manum initis, mulier nupta manebat in potestate sui patris, aut in tutela eorum, quorum ante fuerat. Nam si mulier ante nuptias fuerat in tutela muliebri, per has nuptias conditionem non mutabat: si fuisset in patria po-

potestate, ea per has nuptias non solvebatur (1); huic erat consequens, ut maritus nil acquireret de bonis uxoris, nisi quod ei speciatim ad onera matrimonii esset concessum; reliqua suo jure sibi retinebat uxor, nisi marito in nonnullis, secundum repertorium datorum, concessisset administrationem (2), hac tamen conditione ut mulier ea obligare et alienare posset (3).

Maximus autem effectus, qui ad dotem introducendam multum contulit, erat in jure succedendi in bona paterna, nam cum nuptae manerent in patria potestate, hae quoque patri suo legitimi debebant esse heredes ab intestato, neque amplius ab ea hereditate excludi poterant, quam legg. XII tabularum feminis aeque ac masculis concedebant. Ratio autem, quare filiae elocatae patri non succederent, erat, quod per conventionem in manum subirent capitis deminutionem (4), qua tollebatur ratione patris jus sui heredis, et adeo succedendi (5); quoniam non in

(1) Cf. Doct. Dorn Seiffen, l. l. pag. 12.

(2) Cf L. 9. §. 3. de Jure dot. et L. pen. ff. ad l. Falcid.

(3) Cf. L. 12. Cod. de pign. et hyp.

(4) Cf. Ulp. Fragm. tit. XI, §. 13.

(5) Cf, L. 11. ff. de Suis et leg. hered.

in matrimonium tantum, sed in familiam quoque mariti, et in sui heredis locum venirent apud maritum (1). Hinc Ulpianus (2) inter suos heredes enumerat, *uxorem, quae in manu est.* (3.)

At vero in nuptiis sine conventione in manum initis, locum non habet illa capitis diminutio: cessante igitur causa, ob quam ab hac successione privabantur feminae, cessavit etiam effectus, et plenissimam vim habebant XII tabb. legg. Cujus rei necessario is debuit esse effectus, ut feminae succedentes mortuo patri fierent ditiores, et haberent, unde genio indulgere possent, et in omne genus luxuriae proruere, post abrogatam legem Oppiam. His tamen moribus stare civitas non posse videbatur. Opus itaque erat remediis, ad salutem pristinam instaurandam; et missis legibus sumptuariis (4), visum fuit arctioribus circumscribere limitibus opes feminarum, hujus mali unicum fere fontem. Ne-

(1) Gellius, Noct. Att. lib. 13. cap. 10.

(2) Fragm. tit. 22. §. 14, ibique Cannegieter in notis.

(3) Cf. Collatio leg. Mosaicar. et Rom. tit. 22. §. 14. Dion. Halic. Rom. antiq. pag. 95. Grupen, de uxore Rom. cap. 3. §. 14.

(4) De legg. hisce vid. Platneri exercit. 2. de legg. sumpt. Rom.

Negare ipsis omne commodum ex successione, idem esset ac impedire earum nuptias, quas certo non affectarent mariti sine spe lucri, multis oneribus obnoxias. Visum ergo fuit, ut parens, cum nuberet filia, aliquam patrimonii sui partem ad sustinenda onera matrimonii daret futuro marito, iis legibus atque conditionibus, quas dein jure dotium contineri videbimus; aut, ne vivus pater bonis suis exueretur, eam promitteret post mortem solvendam, unde quoque *dotis dictio* originem habere videtur. Hujus rei in secunda uxore Lucii Pauli et filiabus Africani majoris occurrunt exempla jam ante legem Voconiam (1). Hoc semel introducto, filia, cui dos esset constituta, facile ab ulteriori hereditate excludi potuit, et feminis negari omnis successio ab intestato et testamentaria (2), *ne, quae in manu oportebant esse virorum, supra modum ditescerent, atque ex ea re insolenter se gererent;* qua ratione in suadenda lege Voconia usus est

(1) Vid. Perizonius, l. l. pag. 155 ibique loca Polybii citata.

(2) Vid. Periz. Diss. l. pag. 221, et Schulting ad Paulli sent pag. 412, n°. 55, qui hoc per leg. Voconiam factum esse affirmant. Aliam sententiam sequitur Wieling, lect. j. c. pag. 201. disputatione fori hoc factum esse statuens.

est Cato (1); quin et ipsa lege Voconia dotis summam quantitatem esse definitam conjicit Wieling (2).

Legis enim hujus (3) introductae ratio vulgo haec proponitur, quod reipublicae intererat, ut familiae conservarentur. Itaque cum hae non per mares uti per feminas intereant, statutum volunt, ut ad masculos potius avita bona pervenirent, quam ut alienis familiis per feminas inferrentur (4), atque ita saepissime fieri, ut nobilissimarum familiarum bona ad extraneos transferrentur. At non tantum omni historico argumento destituta haec ratio videtur, verum etiam ipsi rei minime convenire; nam si verum fuisset, studium familiarum conservandarum, eo tempore, tam ardens fuisse Romanis, lex potius superflua videretur, quia tum quisque paterfamilias ac testator ipse quidem perfici curaret, quidquid ad nominis sui familiaeque gloriam afferre posset, studio quippe hoc familiae ex regula magis familiae principi, quam reipublicae incumbente. Magis vero probanda eorum videtur sententia, qui rationes hujus legis latae in

(1) Gellius, Noct. Att. l. l. 17. c. 6.
(2) l. l. pag. 205 seqq.
(3) De hac lege vid. omnino Schenk, Diss. l. c. 7.
(4) Wieling, l. l. pag. 201.

in relaxata tutela et rariori in manum conventione positam dicant. Ne longiori autem disquisitione totum hocce argumentum persequamur, facit egregia Hermanni Schultzii commentatio juridica A. 1825, in academia Rheno-Trajectina praemio ornata, cujus auctor totam hanc legem Voconiam, ejus aetatem rationesque eam ferendi, magna sagacitate tractavit (1).

Ita saltem, dotibus introductis, videntur patres patrimonium suum cum filiabus partiti (2); quia hae neque ab intestato, neque ex testamento, vigente lege Voconia, ad hereditatem parentis admittebantur. Dotibus amplis porro videntur prospexisse filiabus, ut nulla iis fieret injuria, praesertim si filios praeterea relinquerent: quin patres instrumentis dotalibus, post quam admissae iterum essent ad successionem filiae, aliquando ex veteri more addidisse videntur, se ita dotem dedisse, ne quid amplius ex hereditate paterna speraret; quod aetate Papiniani ansam praebuit quaestioni, an ea scriptura mutaret successionem? Quam negando decidit JCtus (3), quia privatorum cautio non mu-

(1) Inprimis hic consulenda sunt quae inveniuntur in §. 15 seqq. hujus Dissert.

(2) Cic. in Verrem, Or. I. c. 44.

(3) Cf. L. 16. ff. de suis et leg. hered.

mutat legum auctoritatem. Atque hinc facile intelligimus, quomodo factum sit, ut dotes apud Romanos initio tenues, postea tam amplae fuerint; cum dotis ratio fere habitum patrimoniorum apud Romanos indicet (1). Ita altera dotium apud Romanos introducendarum causa exstitit modus nuptias ineundi. Ad aliam jam pergamus.

§. 4.

Tertia causa: dos esca ad nuptias ineundas.

Aliam etiam causam dotium introducendarum inde, quod dotes amplae veluti esca essent invitandi cives ad nuptias legitimas ineundas, cum Wielingio repetimus (2). „ Accedebat propria velut Martiae civitatis indoles, „ quae assiduis bellis implicita, novo quotannis supplemento civium indigere videbatur, „ servis olim et peregrinis a militia prohibitis, „ nuptiis vero plurimum frequentandis amplae „ dotes erant inveniendae, qua velut esca viri „ re-

(1) De tenuitate dotum vid. Val. Maximus, lib. 4. c. 4. De amplitudine Lipsius ad Tacitum, Ann. lib. [illegible] c. 88. cf. qui a Wieling citantur, pag. 204. L. J. C.
(2) Lect. J. c. pag. 203.

„ reginarum jugum ſubirent ultro." Nimis longum eſt ſingula ex hiſtoria proponere, quae a Romanis ad frequentandas nuptias adhibita ſunt remedia; tantum obſervamus, probare annales Romae, ingenti coelibum numero et olim et poſtea ſaepe laboraſſe urbem, non tantum, quia per bella continua multi cives pro patria pugnantes cadebant, ſed etiam, quia ad nuptias tardi erant cives, qui bellis frequentibus, reipublicae ſalutis cauſa ſuſcipiendis, ſaepisſime ab aris et focis exſulare jubebantur: etenim, devaſtandis aliis populis Romani ſuo ipſi regno interitum dederunt. (1) Bella gerebant cum exteris nationibus, finitimis non tantum, ſed ſaepe etiam remotisſimis; atque ita civibus ſuis in longinquas regiones mittendis, rempublicam debilem reddiderunt; nam legiones illae, non minus rapiendi et praedandi, quam gloriae ſtudio ductae, domum reverſae placida ac tranquilla vita uti non potuerunt. Docuerunt hoc ultima reipublicae tempora, cum revertentes ac furori ſuo effrenataeque cupiditati nihil relictum videntes, arma in ipſam patriam ferre non dubitarent (2). Hinc diſcordiae illae civiles et pro-

(1) Monteſquieu, Eſpr. des Loix, lib. 23. cap. 20.

(2) Herder, Ideën zur geſch. der philoſoph. der menschheit.

proſcriptiones exſtiterunt, quae reipublicae Romanae majores pararunt calamitates, quam ullum aliud, quod gesſerunt, bellum (1). Hi cum ſolent esſe bellorum continuorum effectus, non est quod miremur, paucos exſtitisſe cives, et quam plurimos coelibes. Si testimonium hac in re quaeramus, hoc unum ſufficiet, Cenſores id egisſe, ut coelibatum coërcendo, civium numerum augerent; ſic Camillus et Posthumius Cenſores jam ſaeculo quarto coelibatui vectigal impoſuisſe leguntur. Metellus Numidicus in Cenſura de ducendis uxoribus orationem habuit ad populum, et his verbis cives ad matrimonia ~~ineunda est hortatus.~~ „ Si ſine „ uxore, Quirites esſe posſemus, omnes ea mo„ lestia careremus; ſed quoniam ita natura tra„ didit, ut nec cum illis ſatis commode, nec „ ſine illis ullo modo vivi posſit, ſaluti perpe„ tuae potius, quam brevi. voluptati conſulen„ dum (2)." Post bellum Punicum primum (A. 543. U. C.) Cenſores, ad ingentem numerum coelibum respicientes, ratum duxerunt, omnes illos jurejurando obſtringere, ut promitterent, ſe uxores liberorum quaerendorum gra-

(1) Cf. Montesquieu, Esprit des Loix, Lib. 23. cap. 11.

(2) Vid. Gellius, l. l. Lib. I. cap. 6.

tia esse habituros. Quodsi jam ante variis remediis ad nuptias essent exhortandi Romani, multo magis, invalescente foeminarum luxu, ab iis abstinuisse credendum est; simplicitas enim miorum et austeritas, qua antea tantopere valebant Romani, sensim sensimque evanuerat (1). Noluerunt domi alere reginas, patrimonii voragines, certissimas fundi calamitates futuras. Malebant sane, insigni rei familiaris compendio, cum concubina frugali ac modesta aetatem agere, quam quotidianam illam devorare aegritudinem (2). Accedebat, divortia Romae fieri frequentiora, quo magis mores, inprimis mulierum, corrumperentur (3); nec tantum a parte maritorum, uxores expellentium, sed etiam uxorum, maritos, quorum imperio non amplius suberant, deserentium; maxime cum nuptiae, interrupta usucapione per trium noctium absentiam, magis coepissent frequentari (4).

Aliae hujus rei causae fuisse videntur amores fur-

(1) Vid. Salustius, B. J. cap. 38, et 41. B. C. cap. 11.

(2) Cf. Heineccius, ad l. Papiam. Pop. lib. I. cap. 2. pag 35.

(3) Millot, Hist. univ., Tom. 3. pag. 41.

(4) Cf. Pilati de Tassulo, Loix politiques des Romains, cap. 14.

furtivi, luxuria matronarum, et praecipue illa orbitatis praemia quae toties celebrant veteres. Colebantur enim ejusmodo μίσογαμοι ab omnibus, viaque ipsis ad honores et commoda patebat, nemine illis negante suffragium, ob hereditatem, quam sperarent. Jam Plinius, (1) queritur „ coepisse orbitatem in auctoritate „ summa et potentia esse, captationem in quae„ stu maximo;" et Seneca, (2) „ In ci„ vitate nostra, inquit, plus gratiae orbitas „ confert, quam eripit; adeoque senectutem „ solitudo, quae solebat destruere, ad potentiam „ ducit, ut quidam odia filiorum simulent, et „ liberos ejurent, et orbitatem manu faciant." Erant etiam, qui philosophiae causa a matrimonio abstinebant, exemplo veterum, Thaletis, Pythagorae, Democriti, Platonis, Zenonis, Epicuri: quae cum ita sese haberent, non mirum est profecto, adeo abhorruisse Romanos a nuptiis contrahendis.

Causas, ob quas a nuptiis abstinuerint, et remedia huic malo, quod pessumdare civitatem debuit, opposita, ulterius persequi, non est hujus loci; quae nominavimus, sufficiunt ad intel-

(1) Hist. nat. Lib. 14. prooem.

(2) Cons. ad Marc., Cap. 19. Cf. Petronius, Sat. pag. 106 Tacitus, Ann. Lib. 13. cap. 52. et de moribus Germ. cap. 20.

telligendum, in *dote* fuisse remedium sane efficax ad onera illa matrimonii sustinenda, in quo situm esse dotis criterium fragmenta Jureconsultorum plurima evincunt (1); et sane quantum sit onus honestae familiae sustentatio, et quantum impedimenti illa afferat in re angusta, expressit ille Menandri servus de domus suae miseria exponens,

— „ *Is demum infortunatus est homo,*
„ *Pauper, qui educit in egestate liberos:*
„ *Fortuna et res est, ut continuo pareat.*
„ *Nam opulento famam facile occultat factio* (2)."

Hanc saltem causam dotis introductae suadet Paulus, qui (3) scribit; *dotes salvas habere mulieres, propter quas nubere possunt, reipublicae interest.* Hinc dos dicitur *necessaria ad prolem procreandam* (4). Jam Plauti tempore dotes ad filias nuptum locandas tam necessariae fuerunt, ut indotatae virgines fere illocabiles dicerentur ab Euclione (5),

Vir-

(1) L. 16. ff. de Cast. peculio. L. 65. §. ult. Pro socio. L. 56. §. 1. ff. de J. dotium L. 76. ff. eodem.
(2) Gellius, l. l. lib. 2. cap. 23.
(3) L. 2. ff. de J. dotis.
(4) L. 1. ff. Soluto matrim.
(5) Plautus, Aul. Act. 2. Scen. 2. vs. 14.

„ *Virginem habeo grandem, dote cassam atque illocabilem,*
„ *Neque eam queo locare cuiquam.*"

Quae omnia evincunt, dotem semper in matrimonio locum habuisse, et fere sine dote nuptias non esse contractas; imo his solis se a concubinis sejunxisse matronas; uti apud Plautum (1):

„ *Sed, ut inops, infamis ne sim: ne mihi hanc famam differant,*
„ *Me germanam meam sororem in concubinatum tibi*
„ *Sic sine dote dedisse, magis quam in matrimonium.*

Dotis etiam appellatio ad ea matrimonia non refertur, quae jure consistere non possunt (2); sine nuptiis enim nulla est dos. (3). Quin viden-

(1) Trin., Act. III. Scen. 2. vs. 63. Cf. quoque Hein., Antiq. lib. II. tit. 8. n°. 3.
(2) Vid. §. 12. J. de Nuptiis.
(3) L. 43. ff. de Nuptiis. Nec potuit exsistere jure civili dos, nisi nuptiis rite contractis; Hasse, das Guterrecht der Ehegatten, p. 242–245 et 266. adeo ut dos data non nisi nuptiis secutis praebeat effectus. Paulus, Recept. Sent. 11. 21. 31. L. 43. pr. L. 48. pr. L. 68. L. 80. ff. de J. D.

dantur de dote condita instrumenta, aut saltem solennitates in dote constituenda adhibendae nuptiarum veritatem probasse, cum in his nuptiis, ubi maritus et uxor solo consensu secum habitabant, maritalis affectus aliunde vix posset distingui. — Si jam tres hasce causas dotes introducendi, quas satis explicasse mihi videor, rite perpendamus, facile quoque fugiet difficultas, quae ceteroquin ex mutata dein feminarum successione oriri possit. Si enim tantum inventae dotes essent, ut feminae a successione destitutae, aliquid caperent ex patrimonio paterno (1), cessare debuissent dotes, postquam

(1) Hanc dotis originem defendit Clar. Perizonius, qui Diss. triade, pag. 130, ita scribit. „ Praeterea dotes „ filiarum, quam originem, quam causam habuerunt? nem„ pe non aliam, quam ut, quum filii manerent penes „ patrem domini omnium quae ille reliquisset, filiae „ contra, sicuti quamdiu innuptae erant, debebant „ ali ex paternis bonis, sic quum nuberent, una cum „ iis dotibus in perpetuum ex familia et domo patrum „ velmi dimitterentur, ne expertes plane essent paternae „ hereditatis." Huic assentitur Heinecc., Antiq. ad I. lib. II. tit. VIII. §. 2. „ Quum scilicet filii apud pleras„ que gentes in domo paterna manerent, domini ac he„ redes omnium, quae parentes reliquissent, bonorum fu„ turi, filiae contra per nuptias in perpetuum dimitte„ bantur e domo paterna; hinc innuptae debebant ali ex „ bonis parentis, nuptae vero instrui dote, ne plane „ exsortes essent hereditatis paternae."

quam vel ex edicto Praetoris, vel lege publica ad successionem iterum admitterentur (1): sed nihilominus manserunt ex prisca consuetudine, ut ita facilius invenirent maritum, quia sine dote uxorem fere ducebat nemo (2). Quodsi mutata mulierum successione quaedam inaequalitas oriri debuit inde, quod dotatae filiae cum fratribus ad bona paterna vocarentur, haec correcta fuit per introductam dotis collationem (3); qua introducta, dos imputata fuit in legitimam filiae (4); quod olim secus obtinuisse videtur, cum ita rescriberet Alexander (5): „ Dos, quae a „ patre nubenti filiae data est, in quarta, quam „ e bonis patris habere debet, ne inofficiosum „ testamentum accusari possit, non computatur, „ quoniam vivente patre bonis ejus separata „ est;" ut adeo legitima fuerit antiquo jure considerandam demum tempore mortis. — De hoc feminarum jure succedendi, videatur Schulzii commentatio laud. cap. 1. et 2, ubi fusius ea tractatur materia.

§. 5.

(1) §. 3. de J. Leg. agn. succ. et Dorn Seiffen, l. l. pag. 39.)

(2) Perizon. l. l., pag. 131.

(3) Vinnius, de Collation., cap. 7.

(4) L. 29. Cod. de Inoffi. test.

(5) L. 1. Cod. Gregor. de Inoffic. test. in Schultingii, jurispr. ante Just. p. 690.

§. 5.

De dotium introductarum tempore.

Dotis epocham, etsi accurate determinare non liceat, incidere saeculo prope sexto U. C. non male suspicari nobis videmur, siquidem huc usque rei uxoriae actiones, et cautiones Romae ignotas fuisse memoriae traditum est apud Gellium, l. l. lib. 4. cap. 3., easque demum necessarias visas, postquam Sp. Carvilius primum cum uxore divortium fecerat, anno U. C. 523, (1) secundum Serv. Sulpicium in commentario de dotibus, cujus meminit Gellius l. l., quae non improbabile nobis suppeditant argumentum, dotes non diu antea receptas fuisse. Hisce namque introductis, rei uxoriae actiones quam primum fuerunt necessariae ad res dotales soluto matrimonio repetendas, cum earum restitutionem a cujusque fide, religione, probitate, atque arbitrio diu pependisse non existimaremus: quin imo reipublicae interest, dotes mulieribus conservari ac restitui, cum dotatas esse feminas, ad sobolem procreandam replendamque liberis civitatem, maxime sit neces-

sa-

(1) De anno dissentiunt scriptores. Vid. Hugo, R. Regtsgesch. § 58.

sarium. Favet praeterea, Romam eo tempore, (maxime vero deleta Carthagine) opibus atque divitiis affluere quodammodo coepisse, quod quisque rerum Romanarum non plane inscius, non ignorat. Neque temporis ratio quidquam hisce obstat, quoniam prima, quae scio, dotium exempla, licet et antea eas usitatas fuisse priora satis evincant, sub bello Punico II. demum in historia occurrunt; et quidem, cum Senatus ipse Cn. Scipionis filiae, ne ipso ex Hispania domum reverso respublica bono duce contra Carthaginienses careret, patris sibi partes desumserit, et Scipionis uxore, ceterisque ejus propinquis convocatis, dotem pro puella constituerit, sed tenuem tantum, licet pro temporis istius opum mediocritate, maximam, XI. nimirum millium aeris. (1)

Pro viribus itaque adumbratis praecipuis dotis caussis atque origine, transeundum jam est ad secundam hujus speciminis partem, quae aget de juribus, quae conjugibus circa dotem competunt.

(1) Valerius Max. Lib. 4. cap. 4.

CAPUT SECUNDUM.

DE JURE, QUOD CONJUGIBUS, STANTE MATRIMONIO, DOTIS NOMINE CONSTITUTUM EST.

OBSERVATIO GENERALIS.

De modo, quo primis temporibus nuptiae in bona conjugum vim suam exercerent.

Varii sunt modi, quibus nuptiae in bona conjugum vim exercere possunt. Bene hic est distinguendum inter effectus, quos e sua natura producunt, ac inter eos, qui dicuntur effectus in jure, id est, qui sensu tantum juridico accipiuntur. Commixtio autem ac collatio bonorum, quibus communis vitae oeconomia instituatur, semper sponte exsistere solet, si nempe utraque pars contrahentium proprium quid habeat: quaestio tantum oritur, an, et quomodo jus civile se huic rei immisceat, an vero hanc rem nil curet

ret, partim, quia illa sibi ipsi prospicit, partim quia multiplices sunt contractus, aliique tales juris persequendi modi, quibus conjuges aeque ac cives gaudent, quibus tamen illi quoque de bonis suis privatim disponere possunt, uti velint. Neque inanis videtur conjectura, Romanos initio ultimum memoratam secutos fuisse viam, non quia hanc illi praeferrent, sed quia aliâ non indigerent. Constitutiones speciales de vi nuptiarum, tanquam tales, in bona conjugum initio nullae fuere.

Confarreatione, coëmtione, ac usu longe alia quaedam inter maritum et uxorem conditio familiarum, nulla propria nuptiarum habita ratione, efficiebatur, scilicet conventio in manum, sive potius ex ea oriunda potestas. Potestas illa vim in bona conjugum exercebat, non vero ipsae nuptiae; omnia jura eo adspectu obvenientia ab ea potestate, qua in manu esse dicebatur, deducebantur. De pecunia autem ab uxore collata, aut deinde hereditate accepta, casu, quo matrimonium, ambobus adhuc vivis, dissolvebatur, secundum hanc juris rationem non poterat disponi. Divortia per quingentos annos Romae non occurrunt, et cum in usu venirent, huic rei prospici solebat cautionibus rei uxoriae, sive contractibus matrimonialibus, qui toti ad omnibus communem contractus ineundi modum

erant

erant compositi. Fieri potest, ut etiam ante hoc tempus rei uxoriae actio nondum invaluerit, quam conjecturam a Gellio (1), non refutatam non tantum, sed potius confirmatam legimus (2). Auctor iste initio cap. 3. tantum dicit: „ Rei uxoriae actiones ac rei uxoriae „ cautiones, tunc temporis adhuc fuisse igno„ tas;" non vero scribit, illas postea simul in usu venisse; deinde, teste Serv. Sulpicio, addit, tum primum rei uxoriae cautiones necessarias fuisse visas. Sed haec ulteriori explicatione indigent. Unica tantum est ratio nuptias ineundi, qua nulla oritur obligatio restituendi illa, quae ab utraque parte sunt collata, cum scilicet bona separata manent, maritus sua retinet, ac uxor omnia, quae jure sibi competunt: lege autem statuendum est, quantum, an vero omnia marito alienanda tradi debeant; tunc tamen illa alienatio tota voluntati ejus relinquitur, ac nulla alienatio sive justa, sive injusta ejus periculo esse potest.

Hoc jus antiquitus inter Germanos viguisse constat (3), in cultiori vero aetate mutari debebat. Apud Romanos, quatenus jurisprudentiae apud illos conditionem persequi possu-

(1) l. l. lib. 4. c. 3.

(2) Cf. Schenk, Diss. laud. p. 20 et 21.

(3) Hasse, Diss. l. p. 207.

sumus, hoc jus nequaquam in vigore esse potuit. In conventione in manum aliter obtinebat; haec jam species est internae bonorum communionis; in nuptiis vero, quibus erat propositum, ut contrahentes usurpatione annua liberi manerent, aut etiam in nuptiis sine conventione in manum initis, antequam usus veniret, ita sese habere res non poterat.

Hujus rei impedimentum situm erat in patria potestate, ac in tutela mulierum perpetua, quae jure antiquissimo jam apud Romanos obtinuisse videntur, quaeque nuptiis sine conventione in manum initis nequaquam tollebantur. In patria potestate femina nihil habebat sibi proprium, emancipationibus quippe, inprimis filiarum, primis temporibus, rarissimis. Si pater itaque vivebat, ac filiae aliquid daret, ut illa marito, onera matrimonii sustinendi causa, ejus alienationem ac usum permitteret, sed tantum facto, non jure, tunc id erat quasi peculium, quod uxori quovis tempore demi posset, nisi ita in creditores injusto modo ageretur (1). Patre autem mortuo, alienatio suorum bonorum uxori competens, haud parum limitata erat tutela legitimâ, ac multo magis, quam postea, cum non nisi res mancipi sine tutore auctore alienari prohiberentur

(1) Vid. l. 24. ff. de j. dot.

tur (1). Fortasse quoque primis temporibus agnati administrationem exercebant: itaque hoc in casu, bonorum communicatio juridica, ut ita dicam, cum marito nuptiis fieri non potuit, ac alia haud multum utilitatis afferebat. Jam nihil magis naturae convenit, quam ut marito, tanquam fortiori, et ad victum quotidianum quaerendum aptiori conjugi, onera matrimonii sustinendi imputentur, ita ut ei dedecori sit, si uxori ejusque bonis tantum confidit, quod e contrario uxori dedecori esse non poterat. At non minus naturae conveniens videtur, ut, si uxor paterve ejus locuples sit, maritus ad ea onera congruam bonorum collationem petat, utque ejus collationis plenum ac securum usum habeat. Temporum vero istorum jamjam expositâ conditione, hoc ita sese habere non poterat, nisi singularis cujusdam juris actus intercederet, ac, si hoc non fuerit conventio in manum, certe debebat esse id, quod deinde nomine *dotis* occurrit, ut scilicet pars quaedam bonorum patris uxoris, sive propriorum suorum bonorum, sive haec omnia in mariti bona transferrentur, ac jura dominii aliaque, quae ad onera matrimonii ferenda inservire debebant, translatione fierent sua.

(1) Vid. Gajus, Inst. II. 80.

SEC-

SECTIO PRIMA.

DE JURE QUOD MARITO, STANTE MATRIMONIO, COMPETIT CIRCA DOTEM.

§. 1.

De ratione, qua bona dotalia in mariti bona antiquitus transferri solerent.

Quod ad rationem attinet, qua bona, quae in dotem erant datura, antiquitus in bona mariti transferri solerent, verosimile videtur, hoc eo tempore, quo actio de dote nondum invaluerat, vulgariter ita sese habuisse, ut vel pecunia numerata daretur, quo casu eadem quantitas reddi debebat, foenore autem, stante matrimonio, a marito retento, matrimonii onera ferendi causa; vel ut mobilia taxatione definita traderentur, quae tum, nisi nuptiarum naturae repugnarent, emtionis instar agebantur, pretio quippe in dote posito, ac maritus pro voluntate de mobilibus disponere posset, foenora autem sibi retineret (1).

In utroque casu omnia multum faciliorem habe-

(1) Cf. Hasse, Dissert. I. §. 61.

bebant exitum, eo, quod ab initio fummae certam quantitatem ftipulari, ac condictionem certi inftituere liceret. Mobilia raro tradebantur, quia tum redditio fpeciei promitti foleret: non nifi fervi aliaeque res mancipi tali modo in dotem dari poterant, quibus tunc, ac inprimis in agris hoc fieri folebat, mancipatio feu ceffio in jure adhibebatur: tunc vero ftipulatio non intercedebat, at mancipatio cum fiducia locum habebat, ita ut matrimonio foluto, cum restitutio obtineret, via vulgaris judicii fiduciae ad remancipationem pateret. (1)

§. 2.

Dominium dotis marito tributum.

Est haec fatis trita et a multis exagitata quaestio, an revera maritus dotis dominus fuerit; fed cum hodie haec res omnium fere recentiorum interpretum confenfu probata videatur, admiffa distinctione dominii in civile et naturale, nil impedit, quominus et nos hoc asfumamus. Si jam de prima hujus juris origine quaeramus, obfervandum est, hoc mariti dominium ex moribus anti-

(1) Cf. Gajus, II. 63.

antiquis esse retentum. Est hoc Romanis proprium, qui raro solent, cum jus novum introducant, plane abolere antiquum: uti ergo olim ad maritum pertinuit dominium earum rerum, quae in matrimonium afferret uxor, ita introducta dote, ejus quoque dominus erat habendus. Constitutum vero fuit hoc dominium plane adaequatum causae dotis introductae. Dos, uti vidimus, dabatur ad sustinenda onera matrimonii, quae ferre debebat maritus, qui erat caput familiae suae: ideoque etiam fructus e re dotali oriundi ipsi erant concedendi, sive sint naturales, sive civiles (1), proventus agrorum, operae servorum et ancillarum dotalium (2), foetus pecorum (3), metalli fodinae (4), reliqua: et cum fructus capiat, ferre quoque debet onera, quae rei inhaerent, secundum regulam: commoda eum sequuntur, penes quem sunt onera (5); unde etiam stipendia, tributa, aliaque solvere tenetur onera. (6)

Hactenus dominium marito erat concedendum; in

(1) L. 7. pr. §. 1. et l. 10. §. 3. ff. l. 30. Cod. de J. dotium.
(2) L. 1. §. 9. Cod. de Rei uxoriae actione.
(3) L. 10. §. 2. ff. de J. d.
(4) L. 7. §. 13. ff. Sol. mat.
(5) L. 10. ff. de R. J.
(6) L. 1. §. 3 ff. de Imp. in rem dot. fact.

in ipsam vero rem dotalem jus non habebat maritus: nam dotis accessiones, uti partus ancillarum, et thesaurus in fundo dotali inventus, acquiruntur quidem marito, tanquam domino, sed augent dotem (1). Neque etiam aequitati conveniebat, ut hoc dominium mariti esset perpetuum, imo potius ab eo erat abiturum, et soluto matrimonio ad uxorem rediturum, cum, matrimonio soluto, cessarent onera, ad quae ferenda dos erat data (2). Dominium quoque mariti non semper erat idem, sed majus erat vel minus, prouti in corpora dotalia, aut in eorum aestimationem jus retineret mulier. Distinguendum igitur erat, utrum dos aestimata erat *venditionis* causa, an *taxationis:* si enim venditionis causa erat aestimata, rerum dotalium dominium plenum ac perfectum ad maritum transibat (3); manebat tamen maritus pretii debitor (4); nil enim intererat uxoris, an res alienaret maritus, quarum aestimationem repeteret tantum. Quod si mulier facultatem res ipsas repetendi soluto matrimonio re-

(1) L. 10. §. 2. ff. de J. d. l 7. §. 13. ff. Sol. matrim. l. 1. §. 9. Cod. de Rei uxor. act.

(2) Vinnius, ad pr. I. Quibus al. licet v. non licet, n°. 2.

(3) L. un. §. 9. Cod. de Rei uxor. act. l. 3. ff. Loc. cond. l. 10. §. 5. ff. de J. dot.

(4) L. 5. Cod. de J. dot.

retineret, dos aestimabatur taxationis caussa (1) et tenebatur maritus de re sua culpa deteriorata (2): nam res dotales non marito, sed mulieri fiebant meliores aut deteriores (3). Ita dominium dotis, quamvis ex antiquo more marito retentum, juris subtilitate quadam non nocebat iis caussis, ob quas dotes erant introductae; nimirum, ut, cum filiae ab intestato non succederent, hae tamen non essent expertes bonorum paternorum; nam dos, soluto matrimonio erat restituenda, uti infra videbimus.

§. 3.

Maritus, licet dominus dotis, tamen eam alienare nequit.

Est haec regula generalis: qui dominus est, potest alienare. Neque tamen illa est omni exceptione major; nam in dotis favorem ab ea recesserunt juris Romani conditores. Maritus quidem stante matrimonio dominus est dotis (4); alie-

(1) L. 69. §. 7. ff. et L. 22. Cod. de J. dot.
(2) L. 50. ff. Sol. mat.
(3) L. 10. pr. et §. 1. ff. de J. dot.
(4) Von Lohr, Magazin fur Rechts-wissenschaft, T. IV. p. 57 seqq.

alienandae tamen rei dotalis potestatem deinceps non habet. (1)

Inductum id legimus per legem Juliam. Debet autem per hanc legem Juliam intelligi lex Julia *de adulteriis* (2). Augustus scilicet tulit legem de adulteriis coërcendis, cujus erat caput de dote mulieris, quo cautum fuit, ne maritus posset praedium dotale alienare: atque hoc eam ob causam ita cautum est, quia reipublicae magnopere intererat, mulieres dotes salvas habere; si jám uxor marito praedium, quod est res magni momenti et pretii, in dotem attulerit, et si maritus posset illud alienare, aut, si pecunia indigeat, vendere, illamque pecuniam deinde dilapidet, tunc soluto matrimonio, uxor dote excidit; ut ergo mulier possit esse secura de dote sua recuperanda, cautum est ea lege, ne possit maritus praedium dotale (3) alienare. Sed

(1) Pr. I. Quibus alienare lic. v. non licet. — L. un. §. 15. C. de Rei ux. act.

(2) Cf. Luzac, Obs. ad Leg. Jul. de fund. dot. Schenk, Diss. I. p. 79–84. Hugo, Regtsgesch. p. 632. Gluck, ad ff. T. XXV. p. 154 seqq.

(3) Utrum Lex Julia ad Italica tantum praedia an etiam ad provincialia pertineat, Gaji aetate adhuc dubitabatur. Vid, Gaji Inst. II. 65. Postea vero hoc dubium fuisse sublatum apparet ex jure a Justiniano constituto. Cf. Seuzgum, Zeitschrift, T. V. p. 260. in not.

Sed habet illa lex Julia singulare quid, majori investigatione haud indignum; provinciale nempe praedium potest maritus alienare, etiam post illam legem, sed prohibetur praedium dotale Italicum alienare, nisi mulier consentiat; at pignori, hypothecae plane non potest obligare maritus rem dotalem, etiamsi mulier consentiat: sic vero quod plus est, permittitur, quod minus est, non permittitur (1). Sententiam nostram exemplo illustremus: maritus pecunia eget; rogat uxorem, ut liceat sibi vendere praedium dotale; potest, si uxoris consensus adsit: sed contra, rogat maritus uxorem, ut permittat sibi pecuniam mutuam sumere, et praedium pignori obligare: hoc non potest, licet mulier consentiat. Hujus differentiae rationem nobis explicuit Noodtius (2), „ quia scilicet ad praesens satis est „ prudens mulier, de futuro non aeque cavet." Putabant scilicet veteres, feminas admodum fragili esse judicio, ita ut nihil, nisi quod ante pedes sit, videant, in futurum non prospiciant; unde dicit lex Julia: „ *Quodsi vir velit praedium dotale alienare, et mulier consentiat, alienare possit.*" Sed praesumebat legislator mulierem nunquam

(1) Schenk, Diss. I. p. 83.

(2) Ad ff. de Fund. dot. Conf. Vinn., ad Inst. Quibus alienare licet etc. N°. 4.

quam consensuram esse, mulieribus quippe nimis avaris; unde et in l. 33. §. 1. ff. de Donat. inter virum et uxor. dicitur: *contra naturam sexus mulieris esse donationem.* Hinc ergo permissum est lege Julia, ut, si maritus uxorem roget venditionem praedii dotalis, id vendere possit, qui a muliere avara vix impetrabit consensum. Contra, si maritus uxorem rogat, ut sibi liceat pecuniam sumere mutuam, et pignori obligare, mulier facile concedet, quia sibi periculum inde nasciturum non videt, cogitans, praedium tamen remanere suum cum post aliquod tempus maritus debitum luat; at fugiet feminam cogitatio futuri, non prospicientem evenire posse, ut maritus tunc temporis non habeat, unde liberet istud praedium, ac sic a creditore venderetur. Ita ratiocinabatur legislator: atque huic ingenii imbecillitati mulieris provisum est lege Julia.

SEC.

SECTIO ALTERA.

DE JURIBUS, QUIBUS MULIERES GAUDEBANT, AD DOTEM SIBI CONSERVANDAM.

§. 1.

Jura circa dotem sibi servandam sub Imperatoribus paganis.

Quae hactenus de juribus circa dotem constitutis explicare sumus conati, ad viros magis, quam feminas pertinebant, et tamen feminis haud minora, quam viris, data sunt jura, quibus sese, quod ad dotis conservationem, tueantur. Huc pertinet actio, uxori competens, qua bona dotalia, soluto matrimonio repetere potest. Sed nullius haec sunt momenti, nisi simul uxor secura praestetur, de iis, quae in dotem data sunt, ne haec scilicet a marito, qui earum rerum dominus est, alienentur aut perdantur; vana enim esset uxoris repetitio, si restitui bona non possent. Jam supra, ubi de dominio mariti in dotem egimus, hanc in rem quaedam delibuimus: sed plura hic sunt observanda. Primum igitur videamus, quo modo uxor de dote sua secura praestatur, stante matrimonio.

Hanc

Hanc habebat securitatem uxor, ut, si videat ad inopiam vergere maritum, et adeo metum adesse, ne frustra quantitatem sibi hoc nomine debitam, soluto matrimonio, repeteret, etiam stante eodem, ipsi repetitio dotis competat, a quo tempore evidentissime apparuit mariti facultates ad dotis exactionem non sufficere (1), hoc quidem effectu, ut maritus dotem reddere cogatur, nec possit datis fidejussoribus eam invita uxore retinere (2). Utique hoc statuere erat necesse, quia maritus mobilia dotalia alienare potest, si sit solvendo (3). Idem circa immobilia valet, quae venditionis causa sunt aestimata, quorum pretium restituitur tantum. Nihilo tamen minus dotis ratio sibi constat; cum uxor has res alienare nequeat vivo marito et matrimonio inter eos constituto; sed fructibus earum rerum uti tenetur ad sui sustentationem, mariti et liberorum, si quos habet (4). In rebus dotalibus inaestimatis immobilibus, aut aestimatis quidem sed

(1) L. 24. pr. et §. 1. ff. Sol. matrim. l. 29. Cod. de J. dot.

(2) Hac in re dissentit Huber, ad ff. Sol. matrim. qui maritum, oblato fidejussore, restitutionem intempestivam dotis evitare posse defendit.

(3) L. 3. §. 2. ff. de Suis et leg. hered. l. 42. ff. de J. dot. et l. 3. Cod. de J. dot.

(4) L. 29. Cod. de J. dot.

ſed taxationis cauſa, omnis alienatio marito erat prohibita; per quam prohibitionem de dote repetenda uxor erat ſecura: aequitati enim conveniebat, ut, cum omnis administratio rei dotalis ad maritum pertineret, infirmitati ſexus muliebris proſpiceretur, ne ignorans aut invita a marito laederetur, re dotali alienata. Quod autem lex illa Julia fundi tantum Italici prohibebat alienationem, ea aetate ſufficiebat, quia hic poterat uſucapi (1), et adeo rei vindicationem impedire, ſoluto matrimonio a muliere inſtituendam: provincialis vero fundus uſucapi ab emtore non poterat.

Praeterea in eo prospexerunt mulieribus juris conditores, ne qualiacunque pacta doti adjici posſent, quibus conditio mulierum fieret deterior, ne lenociniis atque amoris illecebris deceptae ſubſtantiam ſuam amitterent (2). Ita ſane mulieri ab omni parte videbatur prospectum, ut, quae in dotem dedisſet, ſive corpora, ſive eorum pretium repetere posſet, deductis, quae marito, ob certas cauſas, tum jure veteri, tum novo competebant.

§. 2.

(1) Heinecc. Antiq. II. 8, 9. Vinn. ad I. II. 8. Aliam exponit ſententiam Hugo, Rechtsgeſch. §. 219. et Schenk, l. l. p. 82. qui diverſi juris rationem repetit a fundi Italici pretio majori.

(2) Vid. l. 17. ff. de Pact. dot.

§. 2.

Jura circa dotem sibi servandam sub Impp. Christianis.

Haec ita sub Impp. paganis sese habebant: sub Christianis vero Impp. haec legum Romanarum cura de dote mulieribus servanda non tantum non imminuta est, sed accrevit potius. Plenius enim quam ante cautum fuit huic rei per donationem, a Justiniano *propter nuptias* dictam, quae, licet ignoretur, a quo primum sit introducta, tempore Theodosii Junioris et Valentiniani III. jam invaluit (1). Est haec donatio non juris Gentium, sed juris civilis, quippe quae fit, a solo sponso, et in remunerationem dotis sibi a sponsa datae, ut haec in ea bona non habeat dominium, sed velut jus pignoris sive specialis hypothecae; nam res donatae *propter nuptias*, pro securitate dotis mulieri speciatim obligatae intelliguntur (2). Praecipuus igitur hujus donationis finis est, ut dos esset cautior, quare etiam, viro temere divertente, donatio haec aut tota, aut pro parte lucro uxoris cedit, quemadmodum mulier divertens do-

(1) L. 8. § 4. Cod. de Repud. Vid. Zimmern, l. l. p. 593. Glück, ad ff. T. XXV. p. 274-308.

(2) L. 29. Cod. de J. d. et Nov. 61. C. 1.

dotis amissione plectitur (1). Ut vero per eam secura praestaretur uxor, haec donatio doti plane respondebat, et utriusque erat aequalis ratio; non tantum ratione quantitatum et stipulationum, sed etiam in praestatione aut promissione, adeo ut, aucta vel imminuta dote, ad parem quantitatem donatio vel augeretur vel minueretur (2). Quodsi quis animadvertat hanc donationem esse impropriam et penitus deflectentem a natura donationis, is secum reputet, saepe Romanos adaptasse mores, qui obtinebant, aut etiam revocasse antiquos, ut praesenti consulerent necessitati (3). Cum ergo in pejus ruentibus moribus, et crescente maritorum perfidia, non amplius de dote plenissimam haberent fidem in marito collocatam, videntur exegisse *vel* pignora; sed respondebant Diocletianus et Maximianus (4): *jure prohibitum esse, ut pro dote uxori addicantur quaedam bona mariti*: *vel* postulasse fidejussores; sed quoque Impp. jus-

(1) Cf. Vinn. ad I. §. 3. de Don. N°. 3.

(2) Vid. §. 3. I. de Don. l. ult. Cod. de Donat. ante nupt. Nov. 97. Cf. et Doct. Dorn Seiffen, l. l. pag. 43. ut et Heineccius, Antiq. lib. II. tit. 7. N°. 18. ibique notae.

(3) Cf. Clar. den Tex, Diss. de antiq. jur. princ. const. serv. pag. 109.

(4) L. 1. Cod. Ne pro dote.

jusserunt aboleri legem, *quae, sive ex jure, sive ex consuetudine proficiscitur, ut vir uxori servandae dotis fidejussorem exhibeat* (1). Etenim ita matrimonium considerarunt Romani, ut nullo modo cautiones essent admittendae: audiamus hac de re Clar. Noodt (2), in eleganti illa matrimonii cum amicitia comparatione: „Quae de matrimonio veteres scripsere, ea, „mirum est, ni magnam partem ab amicitia „petierint: sive enim spectes legem utriusque „generis, sive effectum, in his nihil est, quod „in magno ponas discrimine; praeterquam quod „in matrimonio maris et feminae, in amicitia „aut virorum aut feminarum, aut sexus utrius„que consensus est; ad haec plures quam duos „amicitia admittit, matrimonium plures respuit; „illa animos miscet, hoc etiam corpora, non „solum animos." Erat tamen securitas his rerum momentis praestanda. Sed qui Romani per coëmtionem, utrimque dato aliquo, nuptias iniverint olim; qui donationes sponsalitias a sponso in sponsam, et aliquando contra (3), factas habere solebant vera ex liberalitate, non revocabiles, nisi hoc esset cautum nuptiis non se-

(1) L. 1. Cod. Ne fidej. dot. dentur.
(2) Prob. lib. II. cap. 9.
(3) L. 1. §. 1. ff. de Donat.

fecutis; illi fane Romani, introducta a parte mulieris dote, eaque necesfaria, promptius confervandae dotis remedium, et nuptiarum arctae necesfitudini magis accommodatum invenire haud potuerunt, nifi morem donandi antiquum ad praefentem ufum conformando. Quae cum ita fint, miremur potius prudentiam juris conditorum, qui rerum angustiis presfi, uxoribus fatis profpexerunt, nec quidquam admiferunt, quod opinioni, quam fibi de matrimonio finxerant, repugnaret: fenfim fenfimque donationes ante nuptias illas, quas amoris caufa dare folebant, ita mutarunt et flexerunt ad rerum circumftantias, ut postea prorfus convenirent cautioni, qua dotes falvae manere poterant uxori. Nemo tamen Impp. fe benigniorem praestitit fexui muliebri, quam Justinianus. Hic enim Imperator, qui mulierum ingenium magis perfpexit, mutavit et emendavit quod Lege Julia, de fundo Italico non alienando, erat ftatutum: voluit fcilicet, ut haec obfervatio in provincialibus fundis extenderetur (1), fublata etiam in ufucapione differentia inter praedium Italicum et provinciale (2). Deinde, quod Lex Julia fanxit de

(1) L. un. §. 15. C. de Rei uxor. act.
(2) L. un. C. de Ufucap. transform.

de obligatione illud Justinianus ad alienationem porrexit, hac addita ratione: „ne mulier „fragilitate naturae suae in repentinam deducatur „inopiam" (1). Ita maritus praedium dotale, id est, rem immobilem in dotem datam vendere, aut obligare prohibebatur, sive uxor consentiret, sive minus. Si maritus nihilominus alienasset, vi dominii ad eam reversi uxor rem poterat vindicare (2). Porro, non tantum dotis retentiones (3), quae marito ob impensas, aliasque causas jure veteri erant concessae, sustulit (4), ne per jus retentionis diu uxor dote careret: sed etiam, ut mulieri prospiceret, a regulis juris recessisse videtur. Cum enim videret, laxiorem esse rei uxoriae actionem (5), quippe quae erat bonae fidei, pleniorem vero et utiliorem eam ex stipulatu, priorem, et quod in ea melius erat, in eam ex stipulatu transtulit, etiamsi mulier, vel plane non, vel inutili-

(1) L. un. §. 15. C. de Rei uxor. act.

(2) L. 30. C. de Jure dot.

(3) Cf. Schenk, Diss. l. c. 6. Zimmern, Geschichte des Röm. privatr. bis Justinian. p. 593.

(4) L. un. Cod. de rei uxor. act.

(5) An differat actio de dote et rei uxoriae disputat Hasse, l. l. p. 204. et Zimmern, op. l. p. 588. Cf. Schenk, Diss. laud. p. 49 seqq.

tiliter de dote sibi reddenda stipulata fuisset (1).

Inductum quoque erat sive lege quadam sive consuetudine, ut fidejussores a marito in securitatem dotis feminae darentur: quod ab Impp. Gratiano, Valentiano et Theodosio, (381) abrogatum est: postea Impp. Valentinianus, Theodosius et Arcadius constituerunt, in futurum nullam talem concessionem obligationem parituram (2); quod a Justiniano (530) extensum legimus, ut nulla satisdatio vel mandatum pro dote, neque a marito, neque a patre ejus, neque ab omnibus qui dotem suscipiunt, exigi possit (3). Pro securitate vero pignora tradere sub Justiniano et ante illum moris erat et consuetudinis (4); quod tamen ab Impp. Diocletiano et Maximiniano jam abrogatum legimus (5). Imperator denique Justinianus (6) uxori concessit hypothecam legalem in rebus dotalibus, praeter utilem vindicationem (actionem in rem, in hujus

(1) L. un. Cod. de Rei uxor action.
(2) L. un. C. Th. de fidejuss. dotis.
(3) L. 2. C. Ne fidejuss. dotis dent.
(4) L. 11. l. 21. C. ad SCt. Vell. l. 19. C. de Don. ante nupt. l. 29. C. de J. D. l. 3. C. de Princip. agen.
(5) L. 1. C. Ne pro dote.
(6) L. 30. ff. de Jure dot.

jusmodi rebus quasi propriis) rerum, quae penes maritum adhuc exstarent, earumque etiam aestimatarum.

Denique haud multo post (530), ne quid deësset quo plenius et certius de dote mulieribus posset consuli, hoc etiam constituit Justinianus, ut actio ex stipulatu, quam de dote dederat, adjectam haberet tacitam hypothecam in omnia bona mariti, ita quidem, ut aliis praeferretur creditoribus mulier, etiamsi hi sibi per hypothecam expressam, tempore antiquiorem, prospexissent (2), si quidem ipsa mulier de dote repetenda ageret.

Excipiebatur tamen casus, si quis nominatim et expresse mulieri praeferretur, uti ratione debiti a Primipilo contracti majus privilegium comparatum est (3). Alius adhuc casus exceptus erat, ut si quis alicui aurum crediderit occasione militiae et in instrumento, hac de re facto, pactum expressum sit, *ut casu proveniente, prior sit solus, qui ad hoc credidit, mulier huic cedebat* (4). Hisce casibus exceptis, mulier omnibus mariti creditoribus ratione dotis prae-

(1) L. un. §. 1. §. 15. l. de R. u. act.
(2) L. ult. Cod. Qui pot. in pig.
(3) L. 4. C. In quibus caus. pign. tac. contr.
(4) Nov. 97. c. 4.

praefertur, expresſam quamquam anteriorem hypothecam habentibus (1). Disſentiunt vero in hac causſa viri docti: ſunt, qui ſententiam ſupra propoſitam amplectantur; ſunt quoque, qui hoc jus mulieris ita restringant, ut anteponatur quidem femina creditoribus qui *tacitam* habent hypothecam anteriorem, non vero iis qui eam habent *expresſam*. Quum vero, ut jam ſupra monuimus, Justinianus dicto privilegio feminis ſuccurrere, iisque plenisſimam ſecuritatem praestare voluerit, ſcopum haud attigisſe cenſendus est, ſi ea verborum restrictio admittatur. E Nov. 97. c. 4. quoque manifeste patere nobis videtur, feminam omnibus mariti creditoribus, ſive *tacitam s. expresſam* habeant hypothecam, praeferri: in qua lege Imperator ſtatuit, mulierem nemini, niſi creditori qui in militiam credidit, cedere debere; additis hisce verbis in fine: *aliis omnibus praevalere mulierem, ſecundum quod jam a nobis eis datum est privilegium.* Hoc tamen privilegium illis ſolis concesſit, quatenus eo fruantur et utantur, et quae diligentiam habent rectam, et adorandam Catholicae et Apostolicae Eccleſiae fidem tenent, et participant in ejus ſalutari communione; ut ipſe loquitur in Nov. 109. c. 1.

(1) L. 30. C. de Jur. dot. L. 12. C. Qui pot. in pign. Nov. 22. c. 4. Nov. 109. c. 1.

CAPUT TERTIUM.

DE JURE, QUOD SOLUTO PER MORTEM MATRIMONIO, DOTIS NOMINE CONSTITUTUM EST.

Vidimus huc usque de juribus, quae ſtante matrimonio circa dotem conſtituta fuerunt: jam ipſe quaestionis ordo requirit, ut in ultima hujus ſpeciminis parte agamus de juribus, quae, per mortem ſoluto matrimonio, viguiſſe conſtat.

SEC-

SECTIO PRIMA.

DE DOTEM SOLUTO MATRIMONIO REPETENDI NECESSITATE.

§. 1.

Cautiones rei uxoriae, quam maxime olim necessariae, in casum mariti praedefuncti.

Cum eam dotis esse naturam vidimus, ut pars quaedam bonorum patris feminae, aut etiam pars propriorum ipsius bonorum, ita in mariti manus transeat, ut inter hujus bona esse prorsus existimetur, necessitatem, dotem illam soluto per mortem matrimonio repetendi, atque hujus rei obligationem ultro exstitisse, nemo mirabitur (1). Cum enim conjuges jure Romano non sibi invicem succederent, haec obligatio in casu mortis sponte locum habere coepit. Si enim maritus prior moriretur, hereditas ejus non, nisi restituta parte, quae erat e bonis feminae in dominium mariti defuncti translata, relinqui poterat: nisi haud verosimilem sententiam amplecti velimus, dotem quo-

(1) Cf. Hesse, Dissert. l. §. 43.

quoque a patre datam antiquitus nunquam restitui, ac, quae ab ipsa femina vel ab alio data erant, non tantum semper apud maritum remanere, sed etiam in ejus heredes transire; nisi ergo haec omnia admittamus, sponte patet, restituendi quandam obligationem existere debuisse (1). Si igitur initio propria hujus rei actio non adesset, qualis dein rei uxoriae nomine inducta fuit, olim necesse erat, ut speciales ea de re contractus inirentur, e quibus haec obligatio nasceretur; ac sic cautiones rei uxoriae nunquam deërant. Est tamen aliquid, quod nobis harum cautionum dubitationem injicere possit, quando scilicet matrimonio soluto ordinaria condictio sine causa adhiberi potuerit. Sed haec actio locum habere non poterat. Partim enim constat, heredes feminae, stante matrimonio defunctae, nullam actionem ad restitutionem contra maritum intendere potuisse (2); si jam uxor talem usitatam condictionem instituere potuisset, haec etiam ad heredes transire debuisset: partim quoque non va-

(1) Cf. Hasse, Diss. I. §. 43.

(2) Ulp. fr. tit. 6. §. 5. adventitia dos autem semper penes maritum remanet, *praeterquam si is, qui dedit, ut sibi redderetur, stipulatus fuit:* certe nullam aliam ob rationem, quam quod nulla adesset actio ad restituendum; jure enim succedendi non gaudebat.

vanum est principium (1): *dotis causa perpetua est, et cum voto ejus, qui dat, ita contrahitur, ut semper apud maritum sit.* Itaque, si causa sit perpetua, non est dicendum matrimonio soluto maritum dotem sine causa habere, etiamsi eam certas quasdam ob causas restituere teneatur. Causa erat perpetua, si matrimonium rite sequeretur. Nusquam quoque, respectu dotis, condictionis sine causa mentio occurrit, sed utique condictio causa non secuta (2), nempe in casu, si dos ante nuptias contractas daretur, neque earum celebratio sequeretur; secutis vero nuptiis statim extinguebatur condictio (3): cui est consequens, ut in specie modo proposita, si nulla restitutio esset stipulata, nulla adfuerit actio.

§. 2.

Stipulationes de dote, eaeque diversae, ratione personae dotem dantis.

Haud improbabile est, atque a Servio Sulpicio apud Gellium (4) quoque affirmari vide-

(1) L. 1. ff. de Jure dotium.
(2) L. 1. §. 4. ff. Cond. sine causa.
(3) L. 10. ff. de Sponf. L. 7. §. 1. ff. Cond. causa dat. L. ult. §. 1. ff. Cond. sine causa.
(4) N. A. lib. 4. cap. 4.

detur, initio stipulationes tantum adhibitas fuisse, ac non nisi divortiis frequentatis rei uxoriae actionem in usum venisse. Si jam quaeramus, quomodo haec historica ratione cohaereant, haec ita proponi posse mihi videntur. Ipsa matrimonii natura flagitabat, ut pater partem bonorum suorum, aut femina sui juris partem de suis propriis bonis aut omnia bona, in dominium mariti transferret; onera matrimonii jam tota a marito e bonis inde auctis erant ferenda; ea, quae ab uxore erant collata, in iis continebantur; ceterum bona utriusque manebant separata (t); ac, si uxor omnia sua bona ita tradiderat, tamen hereditatem sibi postea delatam, liberam retinebat, nisi hanc quoque tradere in animo haberet. Quod ita traditum fuit, revera erat *dos*. Si maritus adhuc in patria erat potestate, sui patris erat onera ferre matrimonii, ac sic omnia de eo valebant respectu dotis, quae de marito. Si pater autem daret, nonnunquam stipulari poterat, ut, quoquo modo solutum esset matrimonium, dos ei redderetur; qua conventione casus divortii tanquam insolitus non comprehendebatur: sed cum saepius in casu, si femina stante matrimonio moreretur, maxime si liberi adessent, qui moribus incorruptis nec frequentibus adhuc divortiis, raro deerant, dotem ma-

(t) Cf. Hasse, §. 8.

marito relinquere vellet, haec ſtipulatio tantum caſum continebat, ſi morte mariti ſolutum eſſet matrimonium. Ita antiquitus in nuptiis, non niſi morte finitis, ſtipulationum maxime erat uſus.

§. 3.

Neceſſitas rei uxoriae actionis post divertia frequentata: quibus in caſibus actio de dote erat neceſſaria.

Divortiis ſenſim ſenſimque frequentioribus, in cautionibus huic rei etiam erat proſpiciendum. Sed quum hae, inimica magis ac odioſa ratione iniri ſolerent a conjugibus divertentibus, et ita multis ambagibus anſam praeberent, eo magis neceſſaria erat actio de dote reſtituenda, cautionibus quippe ſaepe non ſufficientibus. Familiarum tamen inter ſe, ac ipſius quoque reipublicae intererat, ut huic rei prospiceretur (1). Hanc ob cauſam judicium erat inſtituendum, quod aeque ac rei uxoriae actio, aut, quod eodem redit, actio de dote, omnia in ſe continebat, ac in bonum et aequum conceptum erat

(1) Cf. Haſſe, §. 60.

erat (1). Edictum praetorium hic quoque eatenus succurrebat, quatenus necessitas flagitaret. Necessarium quippe tantum erat uxori, ac quodammodo etiam patri, non vero extraneo, qui, dotem securam reddere conabatur, qui, si eam matrimonio soluto repetere vellet, stipulatione hac in re sibi prospicere poterat. Necessarium porro erat in casum divortii, ac si maritus prior moreretur. Si morte uxoris matrimonium solvebatur, patri tantum erat necessarium, quippe usitatum erat, dotem a patre profectam ad eum redire. Non vero necessarium erat feminae heredibus; quippe qui tunc quoque marito praeferebantur. Si quis rem aliter constituendam vellet, de dote in utrumque casum stipulari poterat; verum tum in ceteris mortua uxore non locus erat actioni rei uxoriae, sed quidem actioni ex stipulatu (2). Tandem dein ita obtinuit, ut cautio illa tantum ad ipsam dotem pertineret, non vero ad ea bona uxoris, quae extra dotem erant, h. e. quae non in bona mariti erant translata, ac in quibus igitur nec stipulationes de restituendo, nec dein rei uxoriae actiones necessariae erant; veluti si ea fidei mariti erant commissa, ut iis stante matrimonio uteretur, vel si maritus uxorem

(1) L. 8. de Capite min. L. 30. de Peculio.
(2) Cf. Ulp. Fragm. tit. VII. §. 4-7.

rem sine dote duxisset, neque postea eam acquisivisset. Si tale quid accidisset, cautiones non erant necessariae, quippe ea bona adhuc uxoris erant, et facile usitatis juris remediis repeti poterant. Hic verus est adspectus doctrinae dotis, ac termini ipsius juris dotium ejusque indoles hac cautione declarantur.

SECTIO ALTERA

DE DOTIS, SOLUTO PER MORTEM MATRIMONIO, REPETITIONE.

§. 1.

De personis, quae dotem dare possunt, ratione habita juris eam repetendi.

Quisque dotem dare potest, quatenus scilicet bona sua alienare queat; sed diversa cujusque est ratio, inprimis habita ratione juris eam repetendi. Cautio nempe, quam lex doti adjunxit, maxime in uxoris gratiam fuit inducta. Matrimonio soluto hanc repetere poterat, nisi tertius quis stipulatus fuisset ut dos si-

sibi redderetur (1). Quomodo hoc per patriam potestatem, si adhuc ei subesset, modificatum fuerit, inquirere non est hujus loci. Femina autem stante matrimonio moriente, regulariter nemo erat, qui jure eam repetere posset, ac dos apud maritum remanebat: sed hujus regulae exceptio datur, eaque aequissima. Pater ex amore quodam naturali, ac tota illa, in qua filia erga eum tanquam patrem versatur, conditione, ideoque non tum solum cum adhuc in ejus est potestate, quippe quae jure antiquo nihil sibi proprium habere poterat: pater ergo hisce omnibus jam movetur, ut dotem filiae dando, ei nuptiarum contrahendarum occasionem praebeat, ac eas gratas reddat; hac certe rerum conditione, si cautio adesse deberet, nimis durum et inconsequenter statutum esse videbatur, si ei, filiâ praedefunctâ, non redderetur dos profectitia. Hoc autem cum regulae generali adversaretur, apparet in hac cautione, jus singulare, quod certis continetur terminis. *Jure succursum est patri,* inquit Pomponius, (2) *ut filia amissa solatii loco cederet, si redderetur ei dos, ab ipso profecta, ne et filiae amissae et pecuniae damnum sentiret.* Ex[illegible] est

(1) Cf. Hasse, Diss. l. c. 6.
(2) L. 6. pr. ff. de Jure dot.

hoc jus ad adscendentes ad quorum familiam femina jure Romano pertinebat, hoc est, ad adscendentes paternos, itaque illos, qui dotem dicere possent (1). Sed hic revera requiritur, ut dos ab eo ipso ex suis bonis, aut ab aliquo, qui ejus nomine agit, data sit (2). Non sufficit, patrem in favorem mariti, cuinam rei, cujus dominium nondum acquisiverat, sed quod tamen sibi comparare valebat, renuntiasse, v. c. si hereditati nondum aditae, legato nondum accepto, in ejus favorem renunciat: haec non est dos profectitia, quia sensu strictiori non e bonis patris proficiscitur: renunciando tantum marito dat facultatem, ex lege ab intestato, aut tanquam substituto ex testamento, hereditatem adeundi; aut tanquam substituto legatum ex ultima voluntate acquirendi (3). Interim tamen hoc consilium patris de dote constituenda non est inefficax (4): maritus enim si renuntiationem patris acceptat, de dote obligatur tantum uxori, non patri, licet quoque restitutionem sibi promitti curet. Est dos adventitia, nunquam

(1) Cf. L. 5. pr. ff. de J. dot. L. 6. ff. de coll. bonorum Ulp. Fragm. tit. VI. §. 2 et 3.

(2) L. 5. pr. §. 1. ff. de J. dot.

(3) L. 5. §. 5. ff. de Jur. dot.

(4) L. 14. §. 3. ff. de Fundo dot.

quam profectitia, hoc est, patri cautio hoc in casu non datur a lege.

Haec cum ita severius essent constituta, utilius erat, ut plurimi affirmant, semper dotem profectitiam assumere, quoties tertius quis propter patrem dotem daret. Hoc si eo sensu capiatur, quo plerum que accipitur, ut sufficiat, tertium respectu patris moveri ut filiam dotaret ac amicitiae ergo in filiam ejus beneficium conferre velit, sensu tam lato nulla lege confirmatur. Dicit quidem Ulpianus, „ *quod si quis patri donaturus* „ *dedit*; (1)" hoc vero significat: si quis respectu patris dotem constituerit, ut ei in casum mortis jus repetendi, quod tertius sibi stipulari potuisset, competeret. Tunc necesse non esset, ut pater dotem sibi stipularetur, sed cautio aeque locum haberet, ac dos esset profectitia, non aliter ac si primum dotem patri donaverat ac tradiderat, atque iste tum eam filiae dederat. Consilium vero hocce perspicuum esse debet ac in uno tantum casu praesumitur; si nempe avus paternus dotem dederat: haec enim dos erat profectitia respectu sui ipsius; si jam stante matrimonio neptis ante eum moriatur, dotem repetit absque stipulatione; si vero post eum etiam stante matrimonio mo-

(1) L. 5. §. 2. ff. de Jure dot.

moriatur, regulariter dotem retinet. Si vero pater adhuc vivat, hoc ita interpretari licet, ac si avus dotem propter filium dederit, et sensu quidem proprio, ut statim adjicitur, ac si avus officio patris persungi voluisset, quia forte dotem dare hic non posset, (in casu scilicet, quo ejus potestati suberat), vel ne hoc ab illo postularetur. Avi quippe officium circa neptem ex officio patris erga filium pendere existimatur, igitur filio donare volebat. Hinc, si avus deficiat, habetur, ac si a patre dos esset profecta, et actio dotis illi conceditur (1). Neque aliter obtinet, si filius exheredatur, cum semper consilium praesumitur, patrem ei hac in re prospicere voluisse: *nec infavorabilis est sententia, ut hoc saltem habeat ex paternis, quod propter illum datum est.*

Ultro igitur apparet e dictis, tantum rationem haberi consilii ejus, quid dedit et voluit, ut pater jus repetendi haberet. Ceterum certa est regula: nisi pater, vel alter ejus nomine ex hujus bonis, dotem dederit, tunc ex lege ipsi non competit actio; qui autem ejus nomine dat, non tantum est mandatarius aut negotiorum gestor, verum etiam curator, qui ex auctoritate agebat, furiosi v. c. vel prodigi; imo tunc idem esset, ac si magistratus pro absente, in captivitate apud

(1) Hic videtur esse sensus L. 6. ff. de Coll. bon.

apud hostes versante, ejus filiam dotaret: hoc in casu ratihabitio inefficax esset; attamen habetur dos profectitia (1). Eo magis in specie modo proposita inter patrem et filium dos profectitia illius, ac in eventum hujus existimanda est, cum filius, patre absente, ex ejus bonis dotem filiae suae ipse constituat, qui, si praesens fuisset, etiam constituisset (2). Si igitur extraneus dotem daret, non habebat cautionem, vel, ut aliis utamur verbis, de dote adventitia sola mulier certa erat. Si jam *is*, qui dederat eam, matrimonio soluto repetere vellet, specialiter hoc stipulari debebat. Haec vocabatur dos receptitia, ut patet ex Ulpiani fr. tit. VI. §. 5, in fine, ac ex L. 31 §. 2. ff. de Mortis causa donation. Utroque loco sermo est de dote, quàm extraneus sibi in casum mortis uxoris stipulabatur: at dubitari nequit, quin etiam tunc dos esset receptitia, cum, et in casum mortis et divortii, restitutionem sibi stipulatus esset (3). Nunc sensu juridico idem hoc erat, ac si nulla dos adesset, cum hic nemini per legem dos certa praestaretur, ne femi-

(1) L. 5. §. 1, 3 et 4. ff. de J. dot.
(2) L. 5. §. 8. ff. de J. dot. L. 7. §. 2. ff. de SCto Maced. L. 7. §. 5. et L. 9. ff. de in rem ver.
(3) L. 29. §. 1. ff. de Pact. dot. L. 21. eodem.

minae quidem, propter stipulationem; sed fieri potest, ut extraneus, vel ejus heredes juri suo ex stipulatione acquisito renuncient, ac tunc cautio de dote feminae oritur.

§. 2.

Matrimonium solutum morte uxoris vel mariti.

Si historiam consulamus, vix ullam de dote restituenda post matrimonium morte solutum, mentionem invenimus (1). Ante reipublicae tempora rem ita sese habuisse satis constat (2), ut in casu mortis uxoris nihil redderetur, quod dein mansit principium in favorem maxime liberorum. Divortium Carvilianum opportunitatem praebuit cautionem rei uxoriae introducendi, ut dotis repetitio contractibus secura redderetur. Jam Ciceronis temporibus termini erant definiti, quibus erat reddenda (3); tum vero demum certum jus circa dotem resti-

(1) Hugo, Lehrbuch der geschichte des Römischen Rechts, §. 103. aliisque locis.

(2) Cf. v. Lynden, ad Cic. Top. c. 2. p. 40-49.

(3) Cic. ad Att. L. 11. Ep. 4, 23, 25. Cic. ad Div. L. 6. ep. 18.

ſtituendam ita conſtitutum fuit. Si matrimonium ſolvebatur morte uxoris, cum illi proſpicere non amplius erat necesſe, primum, ſi dotis reſtitutioni erat locus, quaeſtio oriebatur, quis dotem dederat? Si enim hic aliquis esſet qui ad eam dandam lege adſtringebatur, pater v. c. vel avus paternus, erat dos *profectitia*, quae a patre vel parente profecta erat de bonis vel facto ejus. Erat ergo quae e paternis vel avitis bonis proficiscebatur, ejusque non aliter atque profectitii peculii in jure occurrit mentio. Haec dos ad eum, qui dederat, revertebatur, cui rei videtur anſam dedisſe, quod vi originis, dotis datio erat veluti remuneratio hereditatis paternae, quae an filiae esſet debitura incertum adhuc erat, quo tempore haec ei praeſtabatur. Ideo obtinuit, ut, ſi, ſtante matrimonio mulier moriretur, haec dos ad patrem reverteretur, nulla ratione habita heredum a femina relictorum, niſi quod maritus in ſingulos liberos ex illis nuptiis quintam dotis partem caperet, licet quoque dos hac ratione tota exhauriretur (1) et maritus dotem retineret, patre vel avo jam mortuo (2). Sed hic diſtinguen-

(1) Ulp. Fragm VI. §. 4. Fragm. Vat. §. 108. L. 17. ff. de SCto Maced. L. 71. ff. de Evict. L. 6. pr. ff. de R. N.

(2) Ulp. Fragm. 17. 4. Gluck, ad ff. T. XXV. p. 51. Zimmern., l. l. p. 609.

guendum inter jus novum et quod antiquitus obtinuit. Olim quinta pars retinebatur in singulos liberos, qui penes virum manerent (1); quia hactenus supererant onera matrimonii; jure vero novo, licet liberi superfint, vel pater, vel heredes dotem repetunt (2). Durius videri posset, dotem semel constitutam et filiae acquisitam repeti: sed praeter ea, quae jam diximus, suadebat reipublicae Romanae conditio, ut bona in dotem data, moriente filia, ad patrem reverterentur. Hoc enim jure constituto faciliores videbantur patres futuri ad filiam dotandam, si scirent, filia mortua, quamvis superessent liberi, dotem ad se reversuram (3). Ita quam maxime scopo satisfiebat, quem sibi proposuerant juris conditores in dote introducenda; scilicet, ut filiae sibi facilius virum invenirent. Nemini igitur facile mirum videbitur, ut, si pater superesset, bona ab eo profecta ei redderentur: *jure enim succursum est patri, ut filia amissa solatii loco cederet, si redderetur ei dos, ab ipso profecta in solatium amis-*

(1) Ulp. Fragm. tit. VI. §. 4, 5. ibique Cannegieter in notis.

(2) L. 6. ff. de Jur. dot. L. un. §. 6. C. de Rei uxor. actione.

(3) Cf. Hasse, c. 6.

amissae filiae, ne filiae amissae et pecuniae damnum sentiret (1), quam pecuniam in suis bonis retinuisset, si filia innupta ante patrem moreretur. Nuptiae autem si dissolutae erant morte mariti, distinguebatur utrum uxor esset adhuc filiafamilias an vero sui juris. Primo casu patri una cum filia actio ad restitutionem dotis competebat, ita ut neuter altero invito agere posset: altero vero casu ab uxore tantum actio erat instituenda (2). Si vero dos sponte vel ab uxore, vel ab alio quodam data erat, dicebatur *adventitia* eodem sensu, quo peculium dicitur adventitium. Compleotebatur igitur bona adventitia, quae non fuerunt paterna, neque avita poterant haberi, siquidem vel extraneus dotem dederit, vel uxor de bonis, aliunde petitis; unde quoque nihil juris in ea pater habere poterat. Circa dotem itaque adventitiam illa jura cessant, quae profectitiae doti tribui solent. Hinc illa dos semper apud maritum remanebat (3); nisi is qui dedit, stipulatus fuerit, ut sibi redderetur, quae dos specialiter *receptitia* dicebatur (4). Nec quis miretur, hoc ita consti-

(1) L. 6. pr. ff. J. dot.
(2) Ulp, Fr. VI. §. 6.
(3) Cf. Noodt. ad ff. Sol. matrim.
(4) Ulp. Fr. tit. VI. §. 5.

stitutum fuisse, qui repeteret, plerumque unum e proximis cognatis talem dotem dedisse; extraneus, si esset dotis auctor, nisi aliter expresse stipulatus esset, semper donatarii instar habebatur (1) in favorem uxoris et nuptiarum, quare pater non nisi nomine filiae, quae suae potestati adhuc suberat, ad hujus restitutionem agere poterat; quae si demortua esset, semper dos cedebat marito (2). Matrimonio autem soluto morte mariti, a quocumque etiam profecta sit dos ad uxorem, vel ad eam ejusque patrem redibat.

§. 3.

De necessitate dotandi filiam patri injuncta.

Illa, de qua vidimus, dotis repetitio magis adhuc necessaria fuit, a quo tempore per legem

(1) L. un. §. 13. C. de Rei ux. act. *Cum donasse magis mulieri, quam sibi aliquid jure servasse extraneus non stipulando videatur.*

(2) Ulp. Fr VI. 5. L. un. §. 4. 6. de Rei ux. act. L. 23. ff. de Evict. L. 30 pr. ff. de Condit. inst. L. 18. §. 31. ut legat. L. 5. pr. ff. de Bon. damn. L. un. C. si Adv. dot. Cf. Cujacius, Obs. IX. 4. Zimmern. l. l. p 660.

gem patri injunctum fuit officium, filiam suam dotandi (1); quod sane durum videri posset, sine facultate repetendi, soluto matrimonio, quae in dotem essent data. Cogebatur autem pater dotem dare pro sua progenie (2). Neque patria potestas, sed nomen parentis dotandi necessitatem faciebat (3); et quidem iis dotem dare cogebatur, qui ad ejus hereditatem jus habebant; unde neque ei, quae poterat exheredari, dotem dare fuerit coactus (4). Necessitas autem haec dotandi non obtinuisse videtur ante tempora Severi (5), qui hoc ita constituit in publicam utilitatem, siquidem, ut egregie ait Paulus (6), *Reipublicae interest, mulieres dotes salvas habere, propter quas nubere possunt*; quod idem alio loco (7) plenius expo-

(1) Cf. Hasse, Diss. §. 95.

(2) L. 19. ff. de Ritu nupt. L. 19. L. 60. L. 69. §. 4. de Jur. dot.

(3) L. 5. §. 11. ff. de Jur. dot.

(4) L. 19. Cod. de Inoff. test. Nov. 115.

(5) L. 19. ff. de Ritu nupt. Ex hac vero lege et L. 6. ff. de Coll. probare conatur Schenk, l. Diss. p. 86 dotandi necessitatem jam ab Augusto patri fuisse injunctam. Nostram sententiam tuetur Heineccius, ad L. Jul. et Pap. Pop. §. 20. 3. Cl. Gluck, ad ff. T. XX. p. 58 seq. et Zimmern, Op. laud. p. 581.

(6) L. 2. ff. de Jur. dot.

(7) L. 1. ff. Solut. mat.

ponit: *quemadmodum publice interest, dotes mulieribus conservari, cum dotatas esse feminas ad sobolem procreandam, replendamque liberis civitatem, maxime sit necessarium.* Si ergo in veram hujus constitutionis rationem inquiramus, haec in nuptiis frequentandis quaerenda esse videtur. Dotis enim ratio, uti supra me exponere memini, non exigua sita fuit in eo, ne filiae essent plane expertes bonorum paternorum, cum ab omni hereditate per legem Voconiam essent exclusae. Quantum autem haec lex displicuerit, apparet ex multis modis, quibus eam eludere sunt conati Romani, adeo ut brevi moribus abrogaretur (1). Hac sublata simul cessabat gravissima patribus causa, ut dotem filiae darent; patres ergo, qui rebus suis vivi se exuere nolebant, aut sese hactenus obstringere, dotes negligebant: quippe qui publicam utilitatem ex nuptiis filiarum suis commodis posthaberent. Lege quidem Papia Poppaea erat constitutum, ne parentes injuria prohiberent liberos ducere uxores vel nubere; si facerent, ut per Praetorem cogerentur eos in matrimonium collocare (2), cum variis ex caussis liberorum nup-

(1) Cf. Wieling, Lect. Jur. Civ. c. 26. Comm. laud. Schultzii, §. 28.
(2) L. 19. ff. de R. N.

nuptias impedirent patres. Sed haec lex non sufficere videbatur, quia nuptiae non iniri solebant, nisi cum dotatis, et de dote danda lex Papia Poppaea nil caverat, quare per negatam dotem, filiarum nuptias impedire patres potuerunt. Huic rei prospexit Severi prudentia, cum caveret, ut parentes liberos dotare cogerentur, quo respexit Imperator (1), scribens: *non incognitas esse leges, quibus cautum sit, omnino parentum esse officium dotem dare pro sua progenie* (2). Collateralibus quoque secundum arbitrium judicis (3) dotandi officium incubuisse verosimile est (4); mater non tenebatur secundum rescriptum Diocletiani et Maximi-

(1) L. 7. Cod. de dot. prom.

(2) Cf. Hein, ad L. Papiam Popp. p. 336 *ideoque* etiam pro filia emancipata. Conf. Gluck, ad ff. T. XXV. p. 53.

(3) L. 48. ff. de Leg. 3. L. 60. L. 69. §. 4. 5. ff. de Jur. dot.

(4) Proprie lege adstringebantur tantum adscendentes, qui etiam dotem dicere poterant; sed praxin ultra processisse patet ex L. 12. §. 3. ff. de Adm. et per. tut., ubi sermo est de sororibus. Cf. Gluck, ad ff. th. 25. p. 103. Nil obstat locus Plauti, Trin. act. 3. sect. 2. quia dotandi illa necessitas lege introducta posterioris est temporis. Contrariam sententiam defendet Hasse, Diss. I. §. 100.

miani (1), nisi graves ob causas, sive e lege quadam expresse hac de re scripta, qualem postea tulit Justinianus ratione matris hereticae et filiae orthodoxae (2). Nam introducta religione Christiana, cum metus oriri posset, ne pater ob religionis diversitatem dotem negaret, in specie prospectum est orthodoxis, ne, ut loquitur Imperator, *propter divini amoris electionem paterna vel materna sint liberi provisione defraudati* (3). Interim quis mirabitur in hac rerum conditione, cum patribus filias dotandi necessitas injuncta fuit, saepenumero varia arte deludisse generos ratione dotis promissae; ita ut jura, quae circa dotis cautionem et promissionem, postea sunt introducta, admodum essent necessaria; sed hic quoque admiranda est Romanorum aequitas atque humanitas, qui per beneficium competentiae prospexerunt socero, ut ita, quominus acerbe in eum statueret, prohiberetur gener. (4).

(1) L. 14. C. de Jur. dot.
(2) L. 19. §. 1. C. de Haeret.
(3) L. 19. Cod. de Haer. et manich. L. 13. Cod. eod.
(4) L. pen. ff. Jur. dot. L. 17. ff. Sol. matrim. L. 21 22. ff. de Re Jud.

§. 4.

§. 4.

Dotis favor.

Si omnia, quae huc usque de juribus circa dotem constitutis retulimus, diligenter reputemus, fieri non potest, quin dotis favor maximus appareat, ita ut tanti favoris causas fere miraremur. Sic dotis adventitiae favor in eo potest observari, quod mater, quae forte per errorem nomine dotis erant soluta, repetere non poterat: quia, ut Julianus ait: *sublata falsa opinione, relinquitur pietatis causa, ex qua soluti repetitio negatur* (1).

Causa hujus juris non latet: cum ad nuptias frequentandas utile sit dotem dare, inde factum videtur, ut nonnulla, etiam contra regulas stricti juris, in dote sint admissa: quo pertinet, v. c. quod alienare minoris bona possit curator ob dotem (2); quod in dubio pro dote sit judicandum, reliqua (3). Quod si jam quaeramus de causis tanti favoris doti per leges constituti, hoc magnopere est attendendum, inprimis le-

(1) L. 32. §. 2. ff. de Cond. ind.
(2) L. 61. §. 1. ff. de J. d.
(3) Cf. Hasse, Diss. §. 138.

legitimarum nuptiarum curam suadere, ut dotes mulieribus servarentur, ut patres eo lubentius et tutius dotarent filias; quod maximi erat momenti, cum justae nuptiae a matrimoniis in eo distinguebantur, quod illa circa dotem haberent effectus civiles, qui his negabantur; etiam per dotem nuptas a concubinis distingui jam supra observavimus. Huic accedebat non levior causa e licentia divortiorum oriunda. Quamdiu conjuges non nisi gravissimis de causis divertere possent, idque raro obtinere soleret, non adeo curandum erat, ut dotes salvae manerent. Quum autem divertendi licentia magis magisque invaluerat, ita ut ob levissimam etiam causam matrimonium divortio solveretur, excogitatas videmus quam plurimas cautelas, quibus uxori succurrerent juris conditores. Haec enim divertendi licentia effecit, ut viri, avaritia ducti, locupletes ducerent feminas, eas vero, postquam dotem exhauserant, repudiarent, quod ut prohiberetur, latas accipimus tot leges, quae marito occasionem grassandi in dotem adimerent, et uxorem de ea praestarent securam. — Ex iis, quae jam in alia hujus Speciminis parte, de variis ab Imperatoribus Christianis in dotem collatis beneficiis disputavimus, apparet quoque, hunc favorem, quamvis ille ante introductam religionem Christianam haud fuerit exiguus, crevis-

visse tamen ea introducta: cujus quidem rei haec videtur ratio, quod divortia, quamvis religionis Christianae praeceptis parum conveniant, non potuerint plane tolli, sed Principes cedere debuerint moribus antiquis, quibus exstirpandis erant impares, et ferre debuerunt divortia, ut graviora evitarent mala (1). Deinde quemadmodum olim, ita etiam sub Christianis dos distinguebat nuptam a concubina. Cum nimirum a solemnitatibus, e quibus nuptiae olim poterant probari, abstinendum esse censerent Christiani, et benedictio sacerdotalis nondum invaluisset, instrumenta dotalia ad probandum matrimonium rite contractum inserviebant. Doti autem cum praeësset Clerus, cum matrimonia fierent interventu Episcoporum et Praesulum Christianorum, imo dotàlis causa referretur inter pias causas, favor dotis tum constituendae, tum conservandae, debuit augeri (2). Denique minus mirabimur favorem doti a Justiniano tributum, si verum est, quod scribit Procopius (3), Augustam Theodoram magnam in jure connubiali regundo vim exercuisse.

Ad-

(1) Clar. de Rhoer, Diss. de eff. relig. Christ. in Jurisprud. Roman. pag. 291.

(2) De Rhoer, l. l. pag. 309-313.

(3) Hist. Arc. pag. 77 seqq.

Abſolvi itaque pro viribus, judices Clarisſimi, hanc qualemcunque disputationem. Non ſine formidine aliqua me ad Vestrum tribunal accedere, nemo vestrum mirabitur; nam humanis affectibus me prorſus praedicarem destitutum, ſi aut dolorem, aut ſummum gaudium ex hoc labore me percepturum diffiterer. Hoc tantum rogo, ut, qua estis ſemper humanitate et benivolentia, hunc libellum excipiatis, nihil exſpectantes vestra eruditione dignum, ſed opusculum juvenile, tironem redolens.

CON-

CONSPECTUS.

INTRODUCTIO.

CAPUT I.

DE DOTIS ORIGINE APUD ROMANOS.

Sectio I.

Dos olim apud Romanos incognita.

§. 1. *Conditio feminarum Romanarum primis temporibus.*

§. 2. *Ratio, quare dos olim apud Romanos incognita fuisse videatur.*

§. 3. *Rationes, ob quas nonnulli antiquitus dotem apud Romanos exstitisse putent, refutantur.*

Sec-

SECTIO II.

Dos apud Romanos introducta.

CAPUT II.

DE JURE, QUOD CONJUGIBUS, STANTE MATRIMONIO, DOTIS NOMINE CONSTITUTUM EST.

OBSERVATIO GENERALIS.

De modo, quo primis temporibus nuptiae vim suam in bona conjugum exercerent.

SECTIO I.

De jure, quod marito, stante matrimonio competit circa dotem.

§. 1. *De Ratione, qua bona dotalia in mariti bona antiquitus transferri solerent.*

§. 2. *Dominium dotis marito tributum*

§. 3. *Maritus, licet dominus dotis, tamen eam alienare nequit.*

SECTIO II.

De juribus, quibus mulieres gaudebant ad dotem sibi conservandam.

§. 1. *Jura circa dotem sibi servandam sub Imperatoribus paganis.*

§. 2. *Jura circa dotem sibi servandam sub Imperatoribus Christianis.*

CAPUT III.

DE JURE QUOD, SOLUTO MATRIMONIO PER MORTEM, DOTIS NOMINE CONSTITUTUM EST.

SECTIO I.

De dotem, soluto matrimonio, repetendi necessitate.

§. 1. *Cautiones rei uxoriae quam maxime olim necessariae in casum mariti praedefuncti.*

§. 2.

SECTIO II.

De dotis, ſoluto per mortem matrimonio, repetitione.

ADRIANI HENRICI VAN DER KEMP,
HAGANI,

JURIS UTRIUSQUE IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA
CANDIDATI,

RESPONSIO

AD

QUAESTIONEM JURIDICAM,

QUAM

NOBILISSIMA FACULTAS JURIDICA,
QUAE RHENO-TRAJECTI EST,
PROPOSUIT A. MDCCCXXVII.

Dotis origo apud Romanos, ac jus, quod eo nomine conjugibus et per mortem soluto matrimonio constitutum est, e suis causis historica disquisitione illustretur.

PRAEMIO ORNATA.

DIE XXVI MARTII A. MDCCCXXVIII.

Quod Neoptolemi dictum apud Ennium fertur : *philosophandum est, sed paucis, nam omnino haud placet*, id mutato nomine ad juris Romani studium transferre nonnulli voluerunt: et mirum ipsis videtur, quin rident quoque, nos ejusmodi studio operam dare, cujus, ut perhibent, nullus fere usus in vita quotidiana occurrit. Quos quidem refutare nostrae partes non sunt, et parum dignum patronum nacta esset jurisprudentia Romana: tantum dico, aut negligendum esse totum illud studium, aut, siquidem opera ei danda, tunc non anxie quaerendum, quid scire magis minusve conducat; sed tota res libero animo amplectenda est, cum hac demum ratione operae pretium facere possimus. Itaque in leges ipsas inquirere non sufficere mihi videtur; sed legum causas etiam earumque nexum cum populi moribus, cum civium negotiis et reipubli-

cea ſtatu animadvertere debemus: unde ſtudium nostrum laetius efflorescat, et animus juvenilis juris notionibus imbuatur non tantum, ſed eas quoque ad civium et univerſae civitatis rationes accommodare conſuescat. Cujus rei veritatem Clarisſimorum virorum monitu mature agnoscere coepi, meaque ſtudia ad hanc normam dirigere, ſi minus potui, at volui tamen. Gratum igitur mihi accidit, a Facultate Juridica, in Academia Rheno-Trajectina, propoſitam esſe quaestionem, quae juris Romani partem quae de dotibus agit, e cauſis *ſuis historica*, disquiſitione illustrari voluit. Ad materiam tractandam accesſimus, et quamvis probe nobis conſcii ſimus, tenues nos grandia ſuscipere, vobis tamen, viri Clarisſimi! qui hanc quaestionem propoſuistis, aptam videlicet, in qua juvenes ingenia exerceant, obtemperare volumus, et niſi ſatisfacere, at conſilia vestra, quo minus jaceant neglecta, cavere.

CA-

CAPUT I.

DE ORIGINE DOTIS APUD ROMANOS.

Dotis origo ac jus apud Romanos quum historica disquifitione illustrandum nobis fit, disputationis ordo fe ipfum quoque nobis offeret. Primum igitur originem illam paucis adumbrare, et tum fingulis reip. Romanae aetatibus univerfum juris dotium ftatum exponere conabor.

Intuentes juris Romani quae de dotibus agit partem, facere non posfumus, quin miremur fingularem prorfus curam, qua hanc rem profecuti funt Romanorum fapientes, confcii fibi videlicet, fe non in tenui quadam re operam esfe pofituros, verum in ejusmodi quae cum reip. falute conjuncta esfet, reip. visceribus inhaereret. Ac femel quidem conftituta dote Jctos Romanos, qui nullam non rem intactam relinquerent, verum omnia ingenio amplecterentur, et

et egregiis justitiae praeceptis firmarent, hunc etiam juris locum ſtudioſe amplexos esſe, non adeo est, quod miremur; ſed unde fluxit *dotis* conſtituendae ratio, et vis dotibus tributa undenam originem traxit? Estne illa communiter apud antiquos populos recepta *conſuetudo*, ut eorum exemplum ſecuti ſint Romani, an ſingulare quid hac de re apud Romanos obtinuit?

Legimus ſaepe, apud plerasque antiquas gentes dotem non uxorem marito, ſed maritum uxori adtulisſe. Hujusmodi *vero dotem* toto coelo a Romanorum dote differre, multa non indiget probatione. Nam ſi verum est, apud antiquos populos uxorem ipſiusque bona in mariti manum venisſe, tum aut *illa* dos differre debet a Romanorum dote, aut maritus ſibi ipſi dotem dedisſet. Sed erat illa dos donatio parentibus vel cognatis uxoris: erat pretium quo ſibi uxorem emerent mariti. Exemplum hujus rei luculentum exſtat in Sacra Scriptura, ubi Jacobum ſervientem videmus Labani, ut illius filiam uxorem duceret, *Geneſeos* c. 29. item *Geneſ.* c. 34. ubi Sichemus ad Dinam ducendam patrem Jacobum rogat, ut imponat ſibi quamcumque velit dotem, dummodo filiam ſibi tradat. Similia de Armeniis affert Justinianus in Nov. 21. *emere illos*

ſoe-

foeminas solere, non ipsis solummodo haec ferocius sentientibus, sed etiam aliis gentibus ita exonerantibus naturam, et foemineum injuriantibus genus. Idem de Babyloniis narrat Herodotus, L. I. c. 196. *ὡς ἂν αἱ παρθένοι γενοίατο γάμων ὡραῖαι, ταύτας ὅκως συναγάγοιεν πάσας, ἐς ἓν χωρίον ἐσάγεσκον ἀλέας· πέριξ δὲ αὐτὰς ἵστατο ὅμιλος ἀνδρῶν. ἀνιστὰς δὲ κατὰ μίην κῆρυξ πωλέεσκε, πρῶτα μὲν τὴν εὐειδεστάτην ἐκ πασέων* caet. Idem de Assyriis Aelianus L. IV. c. 1. 15. *Ἀσσύριοι τὰς ὡραίας γάμου παρθένους ἀθροίσαντες εἴς τινα πολιν, ἀγορὰν αὐτῶν προκηρύττουσι· καὶ ἕκαστος, ἣν ἂν πρίηται, ἀπάγει νύμφην.* Cf. quoque Iliad. Lib. 22. v. 471 sq. Itaque, ut dixi, illam dotem accuratius donationem vel mercis pretium appellaremus: quod tamen non ita dico, quasi negarem, fieri potuisse aliquando, ut uxor aliquid acciperet a marito, cujus rei specialiter dominium acquireret, aut moris illud fuisse apud plerasque Germanicae originis gentes, uti de Germanis illud testatur Tacitus, *de Germanorum moribus c.* 18. Certe non ejusmodi erat dos, quae ad sustinenda matrimonii onera uxori a marito, vel marito ab uxore offerri solebat.

Verumtamen naturalis quaedam ratio facile apud antiquissimos quoque populos moribus suggerere potuit, ut matrimonii onera uterque sustineret, sive ut nuptiis splendorem conciliarent, sive ne foeminae,

nae, quum per nuptias e paterna domo et familia discederent, expertes omnino manerent paternae hereditatis. Et talis quidem dotis non desunt vestigia. Affert locum Perizonius e *Geneseos* c. 31. vs. 14. *an adhuc portio est aliqua et hereditas nobis in domo patris nostri? Nonne pro alienis habitae sumus ab illo, quum vendidit nos?* quem locum egregie ita explicat Perizonius: quasi filiae Labanis dixissent Jacobo: *quid est quod te possit hic morari: an non omnia quae sunt in domo patris nostri post mortem ejus erunt fratrum nostrorum, nisi ille moriens diserte aliud mandaverit, nobisque aliquam hereditatis partem legando reliquerit, quod ab eo exspectandum non est, qui sine dote nos tamquam alienas collocavit, et nudas tibi dedit pro mercede servitii tui.* Observat, hinc apparere, moris illud fuisse apud plerosque Orientis populos, quandoquidem Labanis familia in Chaldaea sedes collocaverat, et ex more istius populi vivebat, et obtinuisse quidem non diserta aliqua lege, sed tacito quodam consensu et inveterata consuetudine. Talis igitur dos hereditatis loco erat. Alium locum affert Perizonius ex libro *Jobi* c. 42. v. 15, unde probatur, Arabes etiam ab hac dote non fuisse alienos. Legimus ibi: *nullas fuisse in ea regione filias Jobi filiabus pulchriores, et patrem illis hereditatis*

tis

tis partem inter fratres dedisse. Ex prioribus verbis colligere licet, factum illud esse a Jobo, quum pater filias suas in matrimonium traderet, de quibus suspicari licet ob pulchritudinem eas matura aetate quaesitas fuisse, et propterea patrem illis hereditatis partem inter fratres dedisse. Aliam quidem ob causam affert hos locos Perizonius, nempe ut probet, apud antiquissimos populos hereditaria foeminarum jura in inferiorem stationem detrusa fuisse: hac igitur in re Hebraeorum leges cum legibus aliarum gentium convenire, id quod negasset Grotius, adnotans ad *Numerorum* c. 27. v. 8: apud alias plerasque gentes filias cum filiis successisse, apud Hebraeos vero non admitti nisi filiis deficientibus. Cf. Perizonius in Dissertatione de lege Voconia.

De Lacedaemoniis, tamquam singulare prorsus, observant veteres, Lycurgum apud eos virgines sine dote nubere jussisse, non quidem quod vellet, eas una cum fratribus hereditatem patris cernere; sed eam ob causam, ut uxores eligerentur opum respectu non habito, et viri dotis illecebris, ut plagis, non caperentur. Lacedaemonii deinde ab hoc instituto desciverunt. Lycurgum propemodum imitatus est Solon; verum Lacedaemonios etiam imitati Athenienses magni viri institutis non steterunt. Cf. Periz. de lege Voc. p. 89. Ex dictis colligere licet,

in

in coarctatis foeminarum fuccesfionis juribus praecipuam dotis caufam apud caeteras gentes fitam fuisfe: quod acute obfervat fcriptor laudatus l. l. *quamvis igitur Hebraeorum filiae dotibus non indigerent, ut nubere posfent, tamen etiam illae, fi haberent fratres, et proinde κλῆρος πατρῷος ad eas non posfet pervenire, accipiebant, donationis nomine, quum per nuptias discederent è patris in mariti domum et familiam, partem aliquam hereditatis paternae. Idque non alia de caufa, quam ut ne alienae aut illegitimae viderentur, fi expertes omnino hereditatis paternae a parentibus e paterna domo dimitterentur.*

Breviter animadvertimus, quid apud caeteras gentes circa dotis dandae rationem moris fuerit, quippe eo tantum confilio ducti, ut accuratius existimaremus de dote apud Romanos obvia. Et cum vidimus, apud antiquos populos dotem minime incognitam fuisfe, illiusque originem ex coarctato foeminarum jure inprimis esfe repetendam, quid est, cur non Romanorum doti eamdem originem tribueremus, praefertim cum apud illos antiquisfimis temporibus jura foeminarum fummopere coarctata fuisfe videntur? Quo admisfo, fententiam Heineccii nostram non facimus, qui ex coëmtionis ritu dotis originem apud Romanos repetit. *Apud Romanos,*

nos, inquit, *alia erat dotis natura et indoles. Ii enim ante legem Voconiam et postea, quum eam civitatis opulentia pervertisset, filias aeque ac filios ad successionem in bona paterna vocabant, at nihilominus illis dabant dotes, quas ad sustinenda matrimonii onera ad virum adferrent. Nimirum apud Romanos et uxor maritum et maritus uxorem coëmebat. — Quemadmodum vero illi tres asses, quos secum nova nupta afferebat, quasi arrha erant emtionis, ita dos veluti justum pretium habebatur.* Heinecc. de lege Jul. et P. P. c. 13. ad c. l. 14. Tres illos asses emtionis arrham fuisse, dubitarem, an facile probari possit; sed multo vehementius dubitarem, si dotis origo coëmtionis ritui tribuenda sit, num jus hoc nomine introductum adeo altas in civitatem radices egisset: praeterea ipse coëmtionis ritus nihil habet, quod ad hanc sententiam nos ducat, nam si uxor maritum, et maritus uxorem coëmebat, et pretium mariti dos erat, quam uxor offerebat, uxoris vero pretium unus nummus, quem maritus dare solebat, tum a parte mariti emtio imaginaria fuisset, sed a parte uxoris emtio revera emtio fuisset: sanctum igitur matrimonii vinculum quidni societatis leoninae nomine insigniremus? At vero coëmtionis istius ritum unum mancipandi actum fuisse, quo mulier quasi vendebatur, docet Gajus

Com-

Comment. I. §. 113. Itaque, ut dixi, dotis origo apud Romanos non multum ab origine dotis apud caeteras gentes diverſa videtur.

Sed cum dotem memoramus, non ſtatim intelligimus jus hoc nomine introductum, quod apud Romanos plane ſingulare fuit, quodque ex alio quodam fonte repetendum videtur. Nam uxor quae in mariti manum veniebat, quidquid adferret ad maritum, hoc maritus ut suum accipiebat, ejusque nullas amplius rationes reddere necesſe habebat. Sed invaluerant apud Romanos duae matrimonii rationes, matrimonium *juris* civilis et matrimonium juris gentium. In matrimonio juris gentium res uxoris et mariti separatae mansisſe videntur, nam uxor patris, aut, eo mortuo, tutoris potestate non liberabatur. Itaque maritus matrimonii onera ſolus plerumque tulisſet. Hoc ne eveniret, ſtipulationes intervenisſe videntur, ut uxor una cum marito matrimonii onera ſustineret; et hae ſtipulationes iterum illi juri anſam dedisſe, quod dotis *nomine* celebratum brevi inſigniter crevit, cum quia matrimonii ſtricti juris rigori, tum quia foeminarum ſuccesſionis juribus detractum fuerit, ut dos unicum fere esſet, quod mulieres e paternis bonis proprium ſibi conſequerentur. Significat illud Perizonius, cum dicat l. l. p. 100: *tandem vero Romanis magis expedire reip. viſum*

est,

est, foeminas ad nullius defuncti successionem admitti, ne gentiliciae opes simul cum illis ex paternis familiis exirent, aut ipsae, quas in manu oportebat esse virorum supra modum ditescerent, atque ex ea re insolenter se gererent. Censebant proinde, illis sufficere dotes, quas jam olim adeo luculentas pro temporis istius publica privataque opum mediocritate acceperunt, ut ex eo verisimile videri possit, etiam ante Voconiam legem coarctatam aliquantum fuisse in foeminis hereditates ab intestato adeundi facultatem. Cf. Hasse, das Güterrecht der Ehegatten, 1. B. §. 58. Berol. 1824.

Dotis, nisi originem, at vim curamque illi habitam repetere denique possumus ex causa, quae insequentibus demum temporibus multum valere coepit, nempe ex nuptiarum promovendarum studio. Quale quidem studium publica commoda summopere flagitabant. Nam sanguinolentis seditionibus et continuis fere bellis a Gracchorum aetate inde ad Caesares usque magnum civium numerum mors immatura abstulerat: eaedemque causae civium mores adeo infectaverant, ut in nullam non libidinem profuse se effunderent, et dulcissimam vitae conjunctionem unanimo fere consensu fugerent ac spernerent. Itaque et Caesar, et Augustus, quique post eos fuerunt, ad justas nuptias ineundas, praemiis pro-

propositis, cives suos allicere voluerunt, et eamdem ob rem dotis non immemores fuerunt, quin diligenter curarunt.

Sufficiant haec de origine dotis apud Romanos. Pergamus jus eo nomine introductum historica disquisitione illustrare. Historiam igitur ducem sequamur, et singulas aetates, in quas jus Romanum apte divisum videmus, singulatim spectemus. Hac autem materia arcte cum nuptiis conjuncta, simul de nuptiarum jure dicendum nobis erit, sed breviter illud faciemus, quippe unice ad nostram materiam *dilucidandam*, non vero ad nuptiarum rationem illustrandam valens. Sin vero huc usque per tenebras processimus, ita et antiquum Romanorum jus, tenebris involutum, neminis fere est in lucem protrahere: solo ingredimur vestigiis cedenti, et dilabi minitanti; at enitendum tamen, ut tenebras etiam pervagati, ad majorem tandem veritatis evidentiam perveniamus.

CA-

CAPUT II.

HISTORICA DOTIS DISQUISITIO A PRIMIS REIP. ROMANAE TEMPORIBUS USQUE AD DECEMVIROS.

Persequimur hoc capite jus regium vulgo dictum. Eo difficilior de jure hoc remotissimo quaestio est, quo minorem fidem antiquis scriptoribus habere possimus, cum Dionysius, Livius Plutarchus e fontibus etiam turbulentis sua hauserint. Universe affirmare licet, patris potestati multum tributum fuisse, idque inprimis quaesitum curatumque esse, quod in antiquissimis civitatibus magno studio quaesitum curatumque fuisse videmus, ut familiae, quantum fieri posset, in suo splendore ac dignitate conservarentur. Notabilis est locus Dionysii Halicarnassensis de lege a Romulo circa nuptias lata, cujus verba describere non alienum sit ab hoc loco: *ὁ δὲ Ῥωμύλος οὔτε ἀνδρὶ κατὰ γυναικὸς ἐγκλήματα δοὺς φθαρείσης, ἢ τὸν οἶκον ἀδίκως καταλιπούσης, οὔτε γαμετῇ κατ' ἀνδρὸς αἰτιωμένῃ κάκωσιν, ἢ ἄδικον ἀπόλειψιν, οὔτε περὶ προικὸς ἀποδόσεως ἢ κομιδῆς νόμους θεὶς, οὔτε*

οὔτε ἄλλο τῶν παραπλησίων τούτοις διορίσας, οὐδ' ὁτιοῦν, ἕνα δὲ μόνον ὑπὲρ ἁπάντων εὖ ἔχοντα, ὡς αὐτὰ ἔργα ἐδήλωσε, καταστησάμενος εἰς εὐκοσμίαν καὶ πολλὴν σωφροσύνην ἤγαγε τὰς γαμετάς· ἦν δὲ τοιόσδε ὁ νόμος γυναῖκα γαμετὴν κατὰ νόμους ἱεροὺς συνελθοῦσαν ἀνδρὶ, κοινωνὸν ἁπάντων εἶναι χρημάτων τε καὶ ἱερῶν. Dion. Halic. Ant. Rom. L. 2. p. 95. Non temere autem dici posse videtur, dotis vestigium his temporibus nullum apparere. Pergamus igitur in seq. Cap. ad jus XII Tabularum.

CAPUT III.

DE JURE XII TABULARUM.

In XII Tabb. altum etiam de dote silentium. Observat hac de re Cl. Hugo Römische Rechtsgeschichte §. 102. *von der Dos oder res uxoria findet sich zwar in den zwölf Tafeln noch keine Spur, und sie passt nicht recht zu der alten Sitte, die Frau zu kaufen; es ist aber doch nicht unwahrscheinlich, das schon jetzt oft theils ein Vater sich bey der Ehe seiner Toch-*

Tochter zu einer Gabe entschloss, theils auch sonst der Ehemann Etwas erhielt, um die bey der Ehe vorfallenden Ausgaben daraus zu bestreiten.

At quo minor hic de dote, eo major de nuptiarum et de universo foeminarum jure disputandi erit locus. Nostrum non est, inquirere, in quantum novum jus introduxerint Xviri, antiquum jus sustulerint, retinuerint, mutaverint aut emendaverint, aut num ad certum quoddam consilium omnes suas cogitationes direxerint. Credo tamen, nimium saepe illud praeteriri, cujus saepissime vestigia occurrunt, insequentibus temporibus, germanum illud jus Xvirale, quod ob severitatem homines reprehendere consueverant, fraudibus Jctorum, quamquam pia fraus esse potuerit, et commentariis Cn. Flavii et Sexti Aelii, qui hic illic locum XII. Tab. occupaverant, e possessione, ut ita dicam, turbatum, oblitteratum, vi sua destitutum fuisse. Incidi nuper in commentarium alicujus, qui copiose hac de re disputavit, et foeminarum jura ex rationibus XII. Tabularum adeo coarctata fuisse existimat, ut etiam nihil in patrimonio habere potuerint; idque eam praesertim ob caussam, quod semper in potestate degebant patris, atque eo mortuo in perpetua tutela versabantur, qui tutor patrisfam. potestatem exercebat, neque

 ratio.

rationibus reddendis obnoxius erat. Dicere quidem Gajum *Comm.* I. §. 190. *foeminas perfectae aetatis in tutela esse, fere nulla pretiosa ratio suasisse videtur;* sed eum ex temporis sui moribus judicare. Eadem ratione persequens in germano XII. Tab. jure neque testamenta, neque foeminarum ab intest. succedendi jus agnoscit commentarii illius scriptor, et trium illorum rituum matrimonii celebrandi *confarreationis*, *coëmtionis* et *usus*, primum tantum germanum, duos postremos fraudes a Jctis introductas censet, ut confarreationem evitarent: coëmtione enim et usu foemina ad naturam rei mobilis accommodabatur, quae emtione, veluti merx, vel usu unius anni acquiri poterat: coëmtio et usus solennitates illas et cautiones excludebat, quibus in confarreatione sanctitas matrimonii conservabatur: et hoc praecipue argumento superstruit sententiam suam, quod ridiculum fere fuisset, tres rationes, sibi invicem summopere contrarias, ad idem consequendum constituere. *Ego* rem in medium relinquo, neque enim ad jus XII. Tab. commentationem scribo; tantum attuli, ut animadverterem, siquidem jam tum, et postea lege Voconia, jura foeminarum coarctata fuerint, earumque successionibus detractum, quomodo jam jam dotibus magna vis tributa fuerit.

Nup-

Nuptiis per confarreationem, coëmtionem vel usum celebratis, matrimonium erat stricti juris. Uxor exibat e potestate patris seu tutoris, in mariti manum veniebat, omnia sua bona dotis nomine ei tradebat, filiaefam. locum apud eum occupabat. Quod successit huic matrimonium juris gentium praecipuum matrimonii stricti juris characteren evertebat, scilicet conventionem in manum, cui non temere quis dicat, omnes matrimonii stricti juris rationes superstructas fuisse. Proinde in hoc matrimonio juris gentium uxor patris vel tutoris potestate non exibat, quamvis, ut res ipsa loquitur, haec potestas eo usque imminueretur, quousque nuptiarum rationes postularent *l.* 1. §. 5. *l.* 2. *ff. de liberis exhibendis L.* 11. *C. de nupt.* Et cum uxor ex stricti juris matrimonio matrisfam. nomine insigniebatur, haec tantum matrona vocabatur.

Quodnam ex nuptiarum jure in conjugum bona jus profluxerit, num divortia jam usitata, et quinam eorum effectus fuerint, cum haec quaestio propius ad quaestionem de dote pertineat, cautius eam quodammodo, at breviter tamen, exploremus. *Breviter*, dico: praesertim cum Cl. Hassius in opere recentissimo *über das Güterrecht der Ehegatten* omnem hanc rem copiose et erudite explicaverit, ut et ducem eum sequi lubeat, et lectorem, si quem forte

linea scriptio invenerit, ad eum ablegare. Praeterea animadvertendum, quod et ipse animadvertit, cum de origine juris dotium sermo sit, bene distinguendum esse inter dotem in genere ita dictam et dotem in specie, quae actiones *producit*, cujus nomine jus constitutum est: priore sensu dici apud Ciceronem Top. c. 4. *quum mulier viro in manum convenit, omnia, quae mulieris fuerunt, viri fiunt dotis nomine.* Idem de juridica vocis acceptione existimat Wachterus in opere *über die Ehescheidungen*, §. 113: *das Wort* dos, *von διδόναι*, *wurde ohne Zweifel anfangs überhaupt für alles Vermögen gebraucht, das die Frau dem Manne zubrachte, und erst später erhielt es die eigentliche Kunstbedeutung als Heiraths-gut.*

Matrimonia solvuntur morte et divortio. Cum in matrimonio stricti juris uxor in mariti manum veniret, ut ipsa filiaefam. loco haberetur, non difficile dictu, quid morte aut divortio soluto matrimonio circa bona conjugalia juris fuerit. In matrimonio juris gentium, cum, uti vidimus, uxor in mariti manum non veniret, atque adeo patria potestate non liberaretur, cum igitur *nullis* fere juris ligamentis conjuges sibi invicem tenerentur, de bonorum proprietate etiam non multa quaestio esse potuit. At major oritur quaestio, si conjiciamus, quod naturalis quaedam

4. ratio

ratio conjicere suadet, stipulationibus saepius sibi invicem et extraneis etiam obstrictos fuisse maritum et uxorem. Etenim maritus quidni aegre tulisset, unum illum matrimonii onera sustinere; et pater aut tutor qui uxorem in potestate habebat, aut extraneus quivis, quidni pietate vel liberalitate ductus fuisset, ut de suo quid impenderet ad filiam honeste et laute locandam, et matrimonii onera sublevanda; et stipulationes quidni intervenissent, ne illa bona post mortem mariti ad ipsius heredes pervenirent, ne donator in perpetuum re sua privaretur, ne, matrimonio divortio soluto, uxor damnum pateretur? Quod ad divortia attinet, haec communis eruditorum est sententia, Romulum jam, teste Plutarcho, permisisse maritis ob causam probabilem uxoribus nuntium mittere, atque hanc legem deinde in XII. Tabb. migrasse. Multum disputatur de integritate et sententia loci apud Cic. in *Philipp.* II. *c.* 28. *nolite, nolite — exegit.* cf. Heinecc. *Ant. Rom. Append. L.* 1. *C.* 1. §. 44, et Hasse *l. l.* §. 40. Equidem cum Hassio facerem dicente: *Gesetzt aber auch, es bezog sich das* ex XII. Tab. *auf* causam addidit, *so folgt noch immer nicht, dass die zwölf Tafeln die Ehescheidung auf bestimmte Ursachen beschränkten, es konnte ja mit zur Form gehören, nur irgend eine anzuführen: so viel ist aber wohl*

aus

aus allem klar, daſs bei dieſer Dunkelheit und Unzuverläſsigkeit die Stelle kaum darthun kann, daſs überhaupt in den Zwölf Tafeln etwas über Eheſcheidung geſtanden habe, gar nicht aber, was darin geſtanden habe. Pro juris rigore et morum ſeveritate conjicere licet, ad divortia non ſaepe maritos confugisſe, certe ſi qua fides habenda ſit Dionysio Halic., Plutarcho, Valerio Maximo, Gellio, qui omnes primi divortii mentionem faciunt, quod demum circa a. u. 520. accidisſet. Unus Plutarchus anteriorem annum memorat, qui tamen, ſi conjicimus, eum a tempore XII. Tabb. hunc annum computare, cum reliquis facile conciliari poteſt. Quamvis necesſe non ſit, ut adeo ſtricte hoc accipiamus, quaſi nulla divortia ante hoc tempus in republica Romana cognita fuisſent, et locum reſtringere posſimus ad caſum memoratum, hoc ſcilicet primum fuisſe divortium, quo ſine probabili cauſa maritus uxorem dimiſit. Nam Sp. Carvilius Ruga ob ſterilitatem uxorem dimiſit, et reprehenſione eum non caruisſe legimus, quod liberorum procreandorum votum conjugali fidei praetulisſet. Val. Max. *L.* II. *c.* 1. 4: et quod Gellius ſcribit, tum primum cautiones rei uxoriae necesſarias esſe viſas, et antea nullas rei uxoriae actiones neque cautiones in urbe Roma aut in Latio fuisſe,

quia

quia non desiderabantur, hoc non hanc vim habet, ut etiam omnes stipulationes excludat, quae ad singularem divortiorum casum facile protrahi potuerunt. Gellius N. A. IV. c. 3. cf. Hasse op. laud. §. 43. Ne vero hac de re longiores simus, et jus illud dotium properemus persequi, quod quidem in limine quasi deprehendimus, adhuc vero tenebris involutum, neque ipsis legibus subnixum vidimus.

CAPUT. IV.

DE JURE DOTIUM LIBERA REP. USQUE AD CAESARES.

Pervenimus ad eam juris Romani aetatem, quae merito suo aetas juvenilis vocatur, quum jus hoc tempore per Edicta magistratuum, per responsa prudentum, per res judicatas et mores mirifice auctum, amplificatum et simul temperatum sit, quamvis fortasse germanum jus XII. Tab. imminutum, et non nisi nomine retentum fuerit. Facile igitur intellectu, quomodo foeminarum jura in dies se extenderint. Huc pertinet

lex

lex Canuleja a C. Canulejo tribuno plebis lata a. u. 309: ad quam legem Bachius: *connubium in* XII *a Xviris vetitum discordiarum serendarum caussa ex eventu magis quam veritate arguit* Dionysius Halicarnassensis, *cum ab ultimis reip. temporibus id vetitum fuisse Patribus cum Plebejis constat, quemadmodum ingenuis cum libertinis, videatur admodum probabile.* Quam vero mulieres luxuria diffluere coeperint, vel sola lex Oppia lata a C. Oppio tribuno plebis a. u. 539. ad probandum sufficiat. Priorum rationum quibus matrimonium stricti juris contrahebatur, *confarreatio*, ut videtur, unice in quibusdam nuptiis sacerdotalibus usu veniebat: coëmtio quidem aetate Ciceronis adhuc vigebat, sed dubito, an saepius locum haberet: de usu idem auspicari licet, cum et Gajus inquit: *totum hoc jus partim legibus sublatum est, partim ipsa desuetudine oblitteratum.* Gajus *Comm.* I. §. 111. Et hoc sine dubio inde factum, quod conventioni in manum homines praeferre coepissent matrimonium juris gentium, praesertim ob divortiorum licentiam. Nam non levis est conjectura, divortia hoc tempore frequentiora et ob levissimas caussas in vigore fuisse. Certe memoratum illud *Carvilii* factum magnam facilitatem nuptiarum solvendarum arguit, cui leges non adversabantur. Idem arguunt duo loci apud Cic. de Orat. I. 40.

Ep.

Ep. ad Div. VIII, 7. qui postremus locus probat quoque, uxoribus jam licuisse a viris discedere. Ob hanc igitur divortiorum frequentiam saepius usuvenire debuit dotium illud jus, de quo jam verbo monuimus. Probe teneamus quod Gellius dicit, cum divortium Sp. Carvilii memorat, tum primum actiones et cautiones rei uxoriae necessarias esse visas. Nimirum antea non multa sane quaestio de restitutione dotis esse potuit. Nam si morte matrimonium solutum esset, si, qui dotem dedissent, recipere eam vellent, stipulationes sufficiebant; et divortium raro et non nisi culpa uxoris interveniebat, in hoc iterum casu stipulatio valebat: *ut quoquo modo finitum esset matrimonium, dos redderetur:* ne dicam, hoc casu majorem adesse probabilitatem, maluisse donatores, maritus dotem retineret, praesertim si liberi ex illo matrimonio quaesiti essent. At deinde divortiis tam a parte uxoris, quam a parte mariti et ob levissimas caussas vigentibus, et simul dotium datione frequentiore atque ampliore reddita, tum stipulationes illas non amplius sufficere apparuit; sed proprium jus rei uxoriae sive dotis nomine constitutum est, quod in bonum et aequum conceptum, *cf. l.* 8. *ff. de cap. min. l.* 36. *ff. de peculio* ex ipsa dotium datione proflueret, rei statui sufficeret, omnium quorum intererat, commoda specta-

caret. Putat Hassius l. l. §. 64. jus illud, quamvis unice ex matrimonio juris gentium repetendum, ad ſtricti juris matrimonium etiam extenſum fuisſe, ſed applicatum ſub altiore regula: *quod bonum et aequum:* caeterum rei uxoriae actionem in utriusque generis matrimoniis *uſu* venisſe, actionem de dote vero ſpeciem fuisſe, in matrimonio juris gentium unice obviam, ubi vera dos et proinde veri nominis jus esſet: et §. 67. animadvertit, in antiquo jure Romano duabus rationibus nuptiarum in bona vim fuisſe, ſcilicet in matrimonio ſtricti juris viguisſe *bonorum* communionem, cujus maritus dominus erat; in matrimonio juris gentium univerſe ſeparationem bonorum locum habuisſe, communionem tantum ad matrimonii onera ferenda, et legem caventem, ne bona disrumperentur, id quod verbo *ſyſtema dotale* vocare posſimus. Probabile est, hoc jus jam etiam introduxisſe poenas, ſi culpa alterutrius conjugum divortium intervenisſet, eamque poenam ad dotis amisſionem plerumque ſpectasſe. Hinc Cicero Top. c. 4. *ſi viri culpa factum est divortium, etſi mulier nuncium remisit, tamen pro liberis manere nihil oportet.* Probatur illud quoque ex privato Marii *judicio*, quod Plutarchus memorat in vita Marii. Titinius nempe quidam Fanniam uxorem, quamvis adulteram esſe ſciret, ideo tamen duxerat,

ut

ut post, repudiata illa ob adulterium, dotem lucraretur. Verum Marius fraudem detegens sapienti judicio mulierem quidem impudicitiae ream sestertio nummo multavit, sed etiam dotem reddere Titinium jussit. Plut. *vita Marii Ed. Lond. apud* Jac. Tonson, 1723. *p.* 531. Val. Max. *Lib.* 8. *c.* 2. *de priv. jud. cf.* Hugo, *Röm. Rechtsgesch.* §. 194, 210.

Legi Oppiae, quae viginti annos stetit, successit lex Voconia testamentaria, lata Q. Marcio Philippo II. et Cn. Servilio Caepione coss. a. u. 585 a Q. Voconio Saxa tribuno plebis, ex eaque decrescentibus mulierum juribus et indies gliscente earum luxuria constat. Hoc ut prohiberet, apertum erat legis consilium, et propterea sanxit, ne quis heredem virginem, neve mulierem faceret, tum mulieri ne quis ultra centum millia H. S. legaret, neve qui census esset plus cuiquam legaret, quam ad heredem hederesve perveniret. Haec lex probabilem reddit sententiam, ne dicam, ut Perizonius, certissimo indicio est, civili Romanorum jure nullam mulierem ab intestato succedere potuisse: sive quis successionem ex rationibus antiqui juris denegatam illis contendat, sive postea ob dotes prohibitam existimet. Quod vero ex testamento mulieres amplas consequi coeperant hereditates; quodque forsan in

in matrimonio juris gentium degentes saepius ab utraque parte succederent, cum familiae naturalis vincula soluta non essent, et maritos permoverent, ut heredes se scriberent; quodque praeter successionem lautis etiam dotibus gauderent, atque adeo, caeterorum damno, profusis sumtibus viverent et mollitia diffluerent; haec omnia fortasse necessariam reddiderunt legem, primo obtutu injuriae plenam: accipiamus eam hoc sensu, et intelligemus simul Catonem, quum magna voce et bonis lateribus legem suadentem deprehendimus. At non defuerunt rationes, quibus vim hujus legis brevi everterint Romani, partim fideicommisso hereditatem ad mulieres transferendo, partim vocem *census* accipiendo, quasi eos tantum significantem, qui eximie *censi* et *classici* dicebanter, partim, quod facilius adhuc erat, censum prorsus omittendo. Nostrum non est hanc legem explicare, et sententiam nostram cohibemus potius, ne longius, quam oporteat, a via aberraremus. Multi illas partes egerunt in quibus Perizonius, et agere etiamnum pergunt. Sed sive hanc legem strictius, sive remissius interpretemur, intelligitur tamen, quomodo dotium vim vehementer augere potuerit.

Et occurrunt quoque passim apud scriptores

lo-

loca quae testantur, quomodo jam his temporibus dotis ratio habita fuerit. L. Paullo uxor secunda adtulisse fertur dotem XXV. talentorum. Africanus quoque major utrique filiae dotis nomine promiserat L. talenta. *Excerpta Peiresc. ex Polybio.* 99, 155. Memoriae prodidit Valerius Maximus, Cnaeum Scipionem bellum in Hispania gerentem inde discedere et Romam proficisci voluisse, ut filiae dotem constitueret; sed Senatum, ne bono duce patria careret, patris partes sumsisse, consilioque uxoris ac propinquorum Scipionis constituta dote summam ejus ex aerario erogasse, illumque dotis modum XL. millia fuisse. *E quo non solum*, inquit *humanitas P. C. sed etiam habitus veterum patrimoniorum cognosci potest. Namque adeo fuerunt arcta, ut Tatia Caesonis filia maximam dotem ad virum X. millia aeris adtulisse visa sit, et Megullia, quia cum L. millibus aeris mariti domum intravit, Dotatae cognomen invenerit. Idem Senatus Fabricii Luscini Scipionisque filias ab indotatis nuptiis liberalitate sua vindicavit: quoniam paternae hereditati, praeter opimam gloriam, nihil erat, quod acceptum referrent.* Val. Max. *L.* 4. *c.* 4. 10. Singularis Scipionis Aemiliani liberalitas memoratur quoque apud Polybium, qui duabus sororibus XL. talenta in dotem dedit, cujusmodi factum om-

omnium admirationem excitavit, et hoc admirationem auxit, quod, ut narrat Polybius, donationes illis temporibus incognitae essent. Ipse adeo Cicero fertur uxorem suam Terentiam repudiasse, ut, Publilia uxore ducta, collapsam rem familiarem opima dote reficeret. Quod quidem memorare, et non simul apponere, quae Cicero ipse hac de re ad amicum suum Plancium scripsit, injustum foret. *Quibus*, ita scribit, *pro meis immortalibus beneficiis carissima mea salus et meae fortunae esse debebant, cum propter eorum scelus nihil mihi intra meos parietes tutum, nihil insidiis vacuum viderem, novarum me necessitudinum fidelitate contra veterum perfidiam muniendum putavi. Cic. Epist. Lib. 4. Ep.* 14.

Est quoque agitata quaestio, num certa dotis quantitas aliquando constituta fuerit. Saepius quidem decies centum millia sestertium memorantur. Hinc illustrium foeminarum dotem fuisse existimat Heinecc. *Ant. L.* 2. *T.* 8. *III*, et Cujacii sententia emanavit, ultra eam prohibitum fuisse dotare. Equidem neque scriptores, qui illam quantitatem memorant, laudatos apud Heinecc. l. l. et Pothierium ad *titul. jur. dot. s.* 2. *a* 2. 15, neque Juvenalis illum versum *et ritu decies centena dabuntur antiquo*, cum ritus aeque ad formam dotis constituendae quam ad

de-

decies centena spectare possit, ad probandum sufficere arbitror, et ipsam rei difficultatem obstare, et valuisse jam, quod egregie Celsus in *l. 60. ff. de jur. dot.* scripsit: *modus ex facultatibus et dignitate mulieris maritique statuendus est, quo usque ratio patitur.* — Jam vero reliqua persequamur.

CAPUT V.

JUS DOTIUM SUB CAESARIBUS.

SECTIO I. *Lex* Julia *de fundo dotali. Lex* Julia *et* Papia Poppaea.

§. 1. Videmus hucusque jus dotium cum iis moribus et juribus, unde originem duxit, conjunctum et veluti ab illis dependens. At brevi adeo excrevit, ut per se subsisterit, et in naturam nuptiarum totum transfusum sit. Sine dote honestum amplius matrimonium non contrahebatur Plaut. *Trin. III*, 2. *v.* 63, et prudentis legislatoris erat, qui nuptias curaret, dotes etiam curare. Nuptiarum autem curandarum consilium fovebat Augustus: jam ante illum

jam foverat C. Julius Caesar: suasisse illud conditionem reip. bellis civilibus exhaustam, civibus dissolute viventibus, verbo jam diximus. Duae sunt Augusti leges, quae insignem nostrae quaestioni lucem affundunt, altera lex Julia de fundo dotali, altera lex Papia Poppaea. Et de lege Julia cuinam auctori et cuinam tempori tribuenda sit, insignis diu agitata fuit quaestio, expedita tamen virorum doctorum industria. Nam Brissonius, Vinnius, Heineccius, Ev. Otto, Finestresius, Jo. Gul. Hoffmannus Cujacii vestigia secuti, quibus deinde Jac. Gothofredus, mutata sententia, accessit, moti inprimis Pauli, Papiniani et Ulpiani fragmentis et legum inscriptionibus, unanimo consensu statuunt, in legis Juliae de adulteriis capite quodam, ultimo fortasse, cautum fuisse de fundo dotali non alienando, unde illud caput, pecularis legis loco, dicta fuit lex Julia de fundo dotali. Et de tempore, quo lata fuit, Hoffmannum auctorem secuti, si dicimus, latam fuisse legem a. u. 737 C. Furnio et C. Junio Silano coss. a vero nobis aberrare non videmur. Idem Hoffmannus verba legis probabiliter ita ordinavit; *praedium dotale Italicum maritus invita uxore ne alienato, neve ea consentiente obligato.* Quorum verborum interiorem vim si aperire vellemus, fieri non posse

fet, quin posfesfionem invaderemus viri nuper nobis erepti Stephani Luzacii, qui perfpicue admodum, et docte, et accurate totam rem tractavit in Disfert. exhibente obfervationes nonnullas ad l.l L. B. a. 1781. Animadvertisfe fufficiat, parum aut nihil referre, utrum praedium dicas an fundum; nam fundum quidem ordinario ftrictiore fenfu accipi, ut agrum tantum fignificet, nonnumquam tamen etiam latiorem fenfum habere, ut et praedium rusticum et praedium urbanum complectatur, atque adeo dubitationem evanescere, quin lex utraque praedia fpectaverit. Rationem autem quare prohibitus fuerit maritus praedium, confentiente quamvis uxore, obligare, i. e. hypothecae dare, ingenue hanc tradit Noodtius: *videlicet*, inquit, *quia facilius obligationi confentit mulier quam alienationi, praefente in hac damno, in illa futuro. Porro ad praefens fatis prudens est mulier, a futuro non aeque cavet: potius autem debet jus aptari ad ea, quae et frequenter et facile accidunt, quam quae perraro.* Noodt ad *t. ff.* de *fundo dotali.* Porro filentio praeterire non posfum, Steph. Luzacium disfert *c.* 2. §. 9. recte oppugnavisfe opinionem Jos. Finestresii et De Monsalvo, praediorum Italicorum nomine illorum tantum praediorum alienatiorem prohibitam esfe, quae intra Italiae fines fita erant, cum justis, ut videtur, rationi-

 bus

bus, et ob legis causam praesertim in sententiam adducamur, praedium non tantum intelligi, quod intra Italiae fines situm erat; sed etiam in eo solo provinciali, quod jure Italico donatum erat. Causa quippe, quare lex egerit tantum de praediis quae jure Italico gauderent, et non simul de praediis provincialibus locuta fuerit, non latere videtur, quotus quisque fuerit dubitantium numerus. *Nempe*, uti Heinecc. Ant. Rom. ad I. L. 2. T. 8. §. 9. inquit, *sola praedia Italica poterant usucapi, non item provincialia. Hinc non necesse erat, ut viro alienatione praedii dotalis provincialis interdiceretur, cum hoc ab uxore, soluto matrimonio, facile posset vindicari, nullaque ei opponi posset exceptio usucapionis.* Vere etiam ampl. Otto: *quiritarium dominium fundi provincialis neque maritus, neque uxor habebat.* Itaque nulla praedia, nisi Italica, a marito vere alienari poterant; quod definitioni abalienationis, quam Cicero Top. c. 5 dedit, convenit. Est, inquit, *abalienatio ejus rei, quae mancipi est, aut traditio alteri nexu, aut in jure cessio, inter quos ea jure civili fieri possunt.*

Exemplum praebet haec lex, quomodo ob reip. commoda privatorum jura coarctata fuerint. Illa autem reip. commoda si quaerimus, sita videntur in moribus illius temporis disso-

solutis coercendis, quo spectavit lex Julia de adulteriis, ut ipsum nomen indicat, et spectavit proinde lex Julia de fundo dotali, quae ejus pars est. Nam, praeter poenam in uxorem adulteram statutam, dotem etiam amittebat. Quodsi igitur illi, quibus accusandi potestas data esset, matrimonio soluto, dotis lucrum sperare possent, eo diligentius hac potestate uti existimabantur: quodsi dos alienata aut obligata esset, quidni accusandi officium, quippe hac una ratione moti, facile neglexissent? *l.* 11. §. 3. *ad l. Jul ff. de adult.* Tum vero lex securitatem dotis, quae praediis saepius constabat, prospiciebat, ne mariti, dissipata dote, uxores male haberent, et universe cum mariti, tum mulieres honestas nuptias appeterent.

§. 2. Post legem Juliam de fundo dot. in censum venit lex Julia Papia Poppaea, post varias rogationes et recensiones lata a. u. 752 M. Papio Mutilo et Q. Poppaeo secundo coss., cujus altera pars, ut notum est, maritalis, sive de maritandis ordinibus, altera caducaria dicta fuit, cujus rogandae causas et ipsa nomina indicant, et verbo jam attigimus: unde sponte jam suspicaremur, in hac lege, de dote fuisse cautum. Et fragmenta legis quae exstant multa habent, quae inquirendi studium explere possint. Caput XIV legis secundum Heineccium

cium (Gothofr V.) haec habet: *ei mulieri virginive, quam ex H. L. nubere oportebit, tutor ad dotem dandam, dicendam, promittendamve, si legitimum tutorem pupillum habeat, a Praetore urbano dator.* Quadrat hoc fragmentum cum Ulpiani fragmento T. XI. §. 20. Charondas legere mavult pro *pupillum*, *pupilla non*, et Gothefredus Charondam secutus, *si legitimum tutorem non habeat.* Verum obstat haec lectio Codici Tiliano, cf. Shult. ad Ulpian., Heinecc. ad *l. J. P. P. c.* 13. ad *c. l.* 14, neque etiam valde illa indigemus. Nempe ex XII. Tabb., patre mortuo, tutela agnatorum locum habebat. Proximus igitur agnatus, tutor factus, facile et ipse pupillus esse poterat: certe ipso jure tutela ei non interdicebatur, sed, si recipere nollet, excusare se debebat, quod reprehendit Justinianus §. 13. *Inst. de excus. tutor vel curator.* Ejusmodi tutor, ut in caeteris, sic in dote constituenda patris vice fungi debebat. Nunc autem jubet lex nostra Praetorem urbanum, si pupillum mulier tutorem habet, alium ei dare tutorem ad dotem constituendam. Unde vero hoc? cum communis sit juris regula: tutor non datur rei vel causae, sed personae. Num dotis datio adeo cordi erat legislatori, ut existimaret, rem recte curari non posse ab eo, qui ipse tutela indigere videretur? an

ve.

vero jure ipso prohibebatur pupillus tutor, stipulationes interponere, vel res suas alienare? Utraque concurrisse videntur. Quaeret fortasse quispiam: quid igitur proximi agnati, si pupillus esset, tutela significasset, si nullos actus civiles celebrare potuisset istiusmodi tutor. Verum non necesse habebat celebrare. Nam perpetua ista mulierum tutela, ab antiquarum legum habitu ac mente deflexa, alienam prorsus formam, vel potius nullam induerat, adeo ut nomine quidem munus, re non esset. Et hinc explicandus videtur Gaji locus supra laudatus, *Comm.* I. §. 190.

Tutor ex hac lege mulieri ob dotem datus eximie vocabatur Praetorius, quia non dabatur, suffragante majore parte Tribunorum plebis, veluti tutor ex lege Atilia. Augustus enim, qui tribunitiam potestatem aeque ac alia munera ad se traxerat, nihil opus esse judicabat, tribunis, quibus tum vix umbra pristinae dignitatis supererat, hanc potestatem dandi tutores deferri.

Tres commemorantur in hac lege dotis constituendae rationes *dare*, *dicere*, *promittere*, de quibus breviter videamus. Et dotis quidem datio non multum nos detinebit. Simplex erat ratio, rei traditione possessionem simul in maritum transferendi. Dari dicebatur dos praesens; cum

pri-

pridie nuptiarum, vel circiter, consignata apud auspices deponebatur, in crastinum nuptiarum viro tradenda; quamvis etiam dos ante nuptias sponso dari posset. *l.* 1. §. 2. *ff. pro dote.* Cf. Schulting ad Gaji. I. L. II. *t.* 9. §. 3. Fieri hoc a quocumque poterat, qui rei dominus erat, ejusque alienandae potestatem habebat. Dictio dotis et promissio actionem producebat a parte mariti ad dotem petendam. Non mirum est, Romanorum sapientes, jus semper ad ipsa hominum negotia, verbaque adeo accommodantes certis formulis inhaesisse, et ex certis demum verbis, quae stipulationum nomine insigniebantur, actionem ad rem promissam petendam concessisse. Ex stipulationibus duae proficiscebantur actiones, condictio certi, si de certa quantitate vel re convenisset, et actio ex stipulatu, si incerta esset stipulatio. In favorem autem dotis mature jam introductum videtur, ut illae personae, quae pietate ad dotem dandam moveri deberent, si dotem nude promisissent aeque tenerentur, ac si stipulatio intervenisset. In his personis recensentur ipsa mulier, pater et mulieris debitor. Gajus I. L. II. *t.* 9. 3, Ulpianus *fragm.* T. VI. §. 2. Hinc Paulus *l.* 41. *ff. de jure dot. promittendo dotem*, scilicet non dicendo, *omnes obligantur, cujuscumque sexus conditionisque sunt.* Pa-

Patet et ex naturali ratione, et ex nostra lege, tutorem Praetorium, quippe patris vice fungentem, aeque ac illum, dicendo dotem se obligasse. Dotis dictio igitur sine stipulatione fiebat, et hoc sensu recte dicitur, in ea certa et solennia verba non requiri: tamen non omni solennitate destituta erat, ut notat Cujacius ad Ulpianum T. VI. ad *l. 7. ff. de pact. dot. l. 1. ff. de verb. oblig.* et Parat. *t. C. de dot. prom.*, etiam Brisson. de *formulis*. L. 6; nam ut Schulting. ad Gaji *l. l.* ait, quamvis interrb. alia non praecedat, inde non sequitur, quidquid sine ulla praecedente interrogatione fit, id non fieri solenniter: certe haec dotis dictio peragi non poterat inter absentes per litteras vel nuntium, neque nutu, neque nudo consensu, et Salmasii fuisset probare, qui negat. cf. Salmas. *de modo usur. c.* 16. Postea demum Impp. Theodosius et Valentinianus dotis dictionem omni solennitate destituerunt, cum et qualiacumque verba sufficere, et obligationem ex illis profluentem ad omnes omnino personas extendi sanxerunt. Dos sine auctoritate hujus tutoris constituta nulla erat, unde Cic. pro Flacco c. 34. *dotem Valeria pecuniam omnem suam dixerat. Nihil istorum explicari potest, nisi ostenderis, illam in tutela* Flacci *non fuisse.*

Si

Si fuit, quaecumque sine hoc auctore est dicta dos, nulla est.

Ulp. *Tit. fragm.* XI. 20, 21, 22. tria memorat Scta huic legi adjecta, nempe primum, ut lex quoque ad provincias extenderetur, ibique a Praesidibus tutor daretur, praeterea, ut in locum muti furiosive tutoris alter daretur tutor ad dotem constituendam, ad quod constituendum, Scto opus fuit, quum alioquin juris regula vigeret: certae caussae tutor non datur, vel, habenti tutorem tutor non adjungitur: denique, ut ei quoque mulieri, cujus tutor abesset, tutor daretur non solum ad dotem constituendam, sed in omnem rem etiam. Cf. *l.* 15. *ff. de tut. et cur. dat.*

Praecipuus juris dotium effectus erat, ut ad eum, a quo profecta esset, soluto matrimonio, dos reverteretur, profectitia saltem seu ea, quae a patre profecta erat, adventitia non item; nisi stipulationi esset insertum. Discrimen dotem profect. inter et advent. inde profluxisse videtur, quod pater vel avus, qui filiam in potestate habebant, officio dotis dandae adstricti erant, ac proinde aequum habebatur, ut matrimonio, cujus respectu unice dos data erat, soluto, illa non lucro mariti cederet, sed ad ipsos rediret. Et hoc eo facilius admitti poterat, quod

quod in matrimonio juris gentium res uxoris eo usque tantum in mariti patrimonium pervenerant, quousque matrimonii rationibus inservirent. Itaque lex Papia Popp. consiliis suis ubique insistens, caverat, ut, conjuge mortuo, praeter hereditatis partem in quam uxori jus concedebat, dos etiam salva atque integra ad uxorem rediret, ut mulieri, praeter decimam, dotem legatam sibi petere jus esset C. XIX. (Goth. XII.) Dos, ut Heinecc. ait C. XIV, VI. ad l. J. P. P. non computabatur in decimam, quam matrimonii nomine uxor capiebat, quia illa est proprium patrimonium uxoris, adeoque nec ei legatur a marito, sed relegatur vel praelegatur, tamquam res uxoris jam propria.

Cap. Leg. XXXIV. (Gothofr. XX, XXI, XXII.) agit de dotis restitutione in casu divortii. Augustus enim divortia non prohibuit fieri, sed, ut Suetonius ait, modum illis imposuit, itaque non nisi ex justa causa permisit. Et tunc non adeo quaerebatur, quod Ciceronis tempore jam valuisse vidimus, uter conjugum nuncium misisset, sed penes quem culpa esset. Divortium fit aut utriusque conjugis, aut alterutrius culpa. Utriusque culpa divortio facto statuere possumus, neutrum quidquam ex alterutrius bonis lucrari potuisse *l. 47. ff. sol. matr.* Si culpa mariti factum esset, distinguebatur, utrum mores

ma-

majores esſent, an minores, i. e. utrum delictum, quod divortii cauſam praebuisſet, gravius esſet, ut ſtuprum vel adulterium, an minus grave. Dos iterum distinguebatur in dotem fungibilem, quae annua, bima, trima die i. e. tribus penſionibus reddi ſolebat, niſi aliter convenisſet, et in dotem non fungibilem, quae igitur pondere, numero, menſura non conſtabat, quae ordinario praeſens reddebatur, etiamſi maritus nihil deliquisſet. Si fungibilis esſet dos, maritus, cujus mores majores esſent, eam quam alioquin annua, bima, trima die reddere *tenebatur*, nunc ſtatim reddere debebat, adeoque amittebat interuſurium trium annorum. Sin vero minores esſent mores, tunc ſenûm menſium die reddere tenebatur, i. e. post ſemestre ſpatium: uſuras igitur ſingulorum ſex menſium retinere poterat. Sin vero dos non fungibilis erat, quae praeſens reddi ſolebat et in ſpecie restituenda erat, et ſi praedium in dotem datum erat, dotale praedium Italicum dictum, quod neque invita uxore alienari, nec volente, obligari a marito posſet, ea dos, ſoluto culpa viri matrimonio, *ſtatim* ab uxore vindicari poterat. Idem jus obtinebat circa res quae ex bonis uxoris vel liberti dotalis ad eum pervenisſet, ſive maritus ipſas res, ſive earum aestimationem praeſtare vellet, *L. 64. §. 10. ff. ſol. matr. quanta ea pecunia erit, tan-*

tantam pecuniam dato. Maritus non tantum, sed etiam ejus heres ipsis legis verbis ad restituendum obligabantur, at vero poena ad maritum tantum extenditur: addit enim lex *et vir simul fructum quadriennii praestato.* Mirum nonnullis accidit, quare in dote non fungibili maritus quadriennii fructum praestare debeat, cum in dote fungibili trium non quatuor annorum interusurium amittat. Hinc et hoc loco legere volunt *triennii.* Rem ita explicat Heinecc. *l. l. L. 2. c. 19. ad c. 34. pecunia in dotem data usuras proferebat certas; at fundi fructus proferunt, qui aestimationem ordinario longe antecedunt.* Sin mulieris culpa factum sit discidium, lex simpliciter cavet, ut graviorum morum causa maritus sextam dotis partem, minorum vero, octavam retineat.

Cap. *Leg.* XXXV, agit de cogendis parentibus, ut liberos elocent, i. e. ut consensum dent ad nuptias ineundas, et conditionem liberis quaerant. Gothofredus adscribit, *vel qui dotem dare nolunt.* Sunt etiam alii qui existimant, legem J. P. P. patri jam necessitatem imposuisse, dotem filiae dandi, et hoc scripsisse Marcianum in *l. 19. ff. de rit. nupt.*, inter quos Noodt, *ad t. ff. de jur. dot.* Verum dotem profectitiam necessariam demum redditam esse temporibus Severi et Antonini ad veritatem

ritatem magis accedere videtur, quod loco suo videbimus.

SECTIO II. *Universus dotium juris status, florentissimis jurisprudentiae Romanae temporibus.*

Sub Imperatoribus totus mutatur jurisprudentiae status. Quod eximia eorum potestate inprimis factum, qui Tribunorum Pl. Praetorumque Edictis et Sctis sensim sensimque vim suam germanam ademerunt, et Rescriptis, Decretis, atque Edictis omnia gubernarunt, quin et judiciorum potestatem sibi arrogarunt, quum certos Jctos constituerent, quorum responsa judices in sententiis dicendis sequi tenebantur. Saepius igitur evenisse credendum est, ut sententia ac voluntas Imperatoris Jcti ore exprimeretur, et vim legis acciperet. Hinc simul factum, ut Responsorum illorum magna fuerit auctoritas, atque ex illis sensim sensimque jus certum profluxerit.

Ab Hadriano A. P. C. 117. incipit juris aetas, quam virilem merito vocamus. Jus hoc tempore summo in honore fuit, principum gratia floruit, et celeberrimos nactum est patronos. Ipse Hadrianus Edicto suo perpetuo perpetuas

suas illas varietates et ambages, quibus jus impediebatur, sustulit. Vis hujus Edicti late deinde effloruit, et egregii Jcti ad id commentati sunt. Illud etiam obiter animadvertendum, exstinctas esse hac aetate Jctorum sectas, et proinde miseram sectarum rationem, veritati infestissimam, atque ex utraque secta Jctos optima quaeque libasse, unde *Herciscundos* eos appellat Cujacius, *Miscelliones* alii.

Aperiamus jam fragmenta Gaji, Ulpiani, Pauli, et ex illis dotium statum breviter adumbremus.

Gajus Inst. *L.* 2. *T.* 9. §. 3. dotis dictionem et promissionem memorat. Tres illas rationes, quibus dos constituebatur, memorat etiam Ulp. *Fragm. T.* 6. §. 1: tum §. 2. quaenam personae ex dictione dotis obligabantur, de quibus jam diximus ad L. P. P. parentemque intelligendum esse docet virilis sexus per virilem sexum cognatione junctum veluti patrem, avum paternum.

§. 3. Dos dividitur in profect. et advent. Dos profectitia est, quam parens mulieris dedit. Dos adventitia, quae a quovis alio data est. Secundum *l.* 5. §. 11. *ff.* dos advent. est etiam illa, quam pater non tamquam pater, sed tamquam debitor mulieris dedit. Memoranda est juris regula, eodem loco obvia: non jus potestatis, sed paren-

recidis nomen dotem profecticiam facit. Hinc si pater pro filia emancipata dotem dedit, dos profectitia manet.

Dotis profect. proprium est, ut, mortua muliere, ad patrem revertatur. Ratio legis redditur in *l.* 6. *ff. d. j. d. jure succursum est patri, ut filia amissa solatii loco cederet, si redderetur ei dos ab ipso profecta, ne et filiae amissae et pecuniae damnum sentiret*, absque distinctione, an fuerit filiafam. an sui juris, *l.* 59. *ff. sol. matr.* Quod si liberi sint, quintae partes in singulos liberos relinquuntur apud maritum. Quodsi pater non sit, apud maritum remanet.

Adventitia dos semper apud maritum remanet, praeterquam si is qui dedit, ut sibi redderetur, stipulatus fuit, quae dos specialiter receptitia dicitur. Locos in Codice Justin. huic loco respondentes adfert Schult. in notis. Docet etiam, factum Augusti apud Val. Max. *L.* 7. *c.* 7. 4. ad specialem casum pertinere. Stipulatio haec effectum non sortitur, nisi mulieri supervixerit is, qui stipulatus est. Pacto etiam fieri potest, et tum parit actionem praescriptis verbis. Pater non nisi per stipulationem actionem ad dotem profect. sibi repetendam acquirere potest. Hoc ideo, quia pater magis obstrictus est ad dotem dandam. *l.* 29. *ff. sol. matrim.* *l.* 6, 7. *C. d. j. d.*

In

In continenti autem pater stipulari debet: caeterum, si interposito tempore stipulari velit, non nisi consentiente filia poterit, quamvis in potestate sit, quia deteriorem conditionem in dote filiae facere non potest, nisi consentiat. Ante nuptias autem secus illud est.

Divortio facto, siquidem sui juris sit mulier, ipsa habet actionem. Quodsi in potestate patris sit, pater adjuncta filiae persona habet actionem rei uxoriae, nec interest, sitne dos advent., an profect. Uno tantum casu pater filiae emancipatae dotem repetit, mortua nempe filia.

Post divortium defuncta muliere, heredi ejus actio non aliter datur, quam si moram in dote mulieri reddenda maritus fecit.

Dos si pondere, numero, mensura contineatur, annua, bima, trima die redditur, nisi, ut praesens reddatur, convenerit. Reliquae dotes statim redduntur.

Retentiones ex dote fiunt aut propter *liberos*, aut propter *mores*, aut propter *impensas*, aut propter *res donatas*, aut propter *res amotas*. Ne pacto quidem hae retentiones vel actiones inhiberi possunt, exceptis illis, quae fiunt post divortium. Cf. Schult *ad l. l.*

Propter liberos retentio fit, si culpa mulieris aut patris, cujus in potestate est, divortium factum sit: tunc enim singulorum liberorum no-

nomine sextae retinentur ex dote. Non plures tamen quam tres sextae, seu media pars in retentione sunt, non in petitione, i. e. earum quae ex aliis caussis retinentur, et in petitione sunt.

Dos quae semel functa est, amplius fungi non potest, nisi aliud matrimonium sit. At vero redintegrato matrimonio, dos tacita redintegratur.

Morum nomine, graviorum quidem, sexta retinetur, leviorum autem octava. Graviores mores sunt adulteria tantum, leviores omnes reliqui. Ob temperamentum mores *potius*, *quam* injurias dixerunt.

Mariti mores puniuntur in ea quidem dote, quae annua, bima, trima die reddi debet, ita: propter majores mores praesentem dotem reddit, propter minores senûm mensium die. In ea autem quae praesens reddi solet, tantum ex fructibus jubetur reddere, quantum in illa dote quadriennio redditur, quod repraesentatio facit. Cff. quae diximus ad L. P. P. Ob rationem *ibi* expositam cum Schultingio non facimus legere volente, loco: *quadriennio*, *triennio*. *Quod repraesentatio facit*, sive, *quia fructus aestimati sunt* rationem reddere videtur, quare vir in hujusmodi dote quadriennii et non brevioris temporis usuras praestare debeat.

Tria memorantur impensarum genera, *neces-*

sa-

ſarias, *utiles*, *voluptuoſas*. *Necesſariae* praeſtandae ſunt a muliere, vel retentio locum habet. *Utiles*, ſi voluntate mulieris factae ſunt: praeclare enim Paulus *l.* 8. *ff. de impenſ. in reb. dotal.* iniquum esſe pronuntiat, compelli mulierem rem vendere, ut impenſas in eam factas ſolveret, ſi aliunde ſolvere non poteſt, ſummamque illud habere aequitatis rationem. *Voluptariae*, nec ſi voluntate mulieris factae ſunt, exactionem pariunt *l.* 11. *ff. de impenſ.*, ſed niſi parata ſit mulier pati maritum tollentem, exactionem patiuntur, modo ſeparationem recipiant, et ſine detrimento rei id fieri posſit. *l.* 9. eodem.

Dos nuptiarum ſpectat adventum. Differt igitur a donatione, nam datur ob certam cauſam, unde etiam, conſtante matrimonio, dos poteſt conſtitui, donatio non poteſt. Cf. Pauli *Sent. Lib.* 2. *T.* 21. §. 1. Docet porro Paulus, mutum, ſurdum, caecum dotis nomine obligari posſe, quia et nuptias contrahere posſunt, et caſus enumerat, quibus, manente matrimonio, non perditurae uxori dos reddi poteſt. *l.* 73. *ff. de jur. dot.* Porro *T.* 22. §. 1. docet, fructus fundi dotalis, conſtante matrimonio perceptos lucro mariti cedere, etiam pro rata anni ejus, quo factum eſt divortium.

SECTIO III. *Jus dotium sequentibus reip. Romanae temporibus usque ad* Justinianum.

Vidimus ex Ulpiani, Pauli, Gaji fragmentis, jus dotium his temporibus insignia incrementa cepisse et sua jam mole stetisse. Sed cum historica disquisitione jus illud illustrandum nobis sit, a Jctis ad ipsos Imperatores avocamur, de quibus constat, eos hoc jus aut mutasse, aut emendasse, aut novis quibusdam constitutionibus auxisse. Statim igitur in censum veniunt Severus et Antoninus, qui feruntur patri officium imposuisse filiam dotandi, cum antea voluntarium fuisset officium. Et hoc ob *l.* 19. *ff. de rit. nupt.*, et inde etiam argumentum petunt; quod sub titulis, qui de dote ejusque promissione agunt, primae sunt Severi et Antonini constitutiones, neque ulla occurrit iis vetustior, et ad hanc eorum constitutionem respicere Justinum, cum dicat in *l.* 7. *C. de dot. prom.* non incognitas esse leges, quibus cautum sit, omnino paternum esse officium, dotem vel ante nuptias donationem pro sua dare progenie. Hinc Heinecc. *ad L. Jul. P. P. Lib.* 2. *c.* 20. III. *Satis manifestum videtur, ab iis temporibus jura dotium quodammodo fuisse immu-*

mutata, impositamque parentibus necessitatem filiabus dotem constituendi. Denique jus patriae potestatis antiquum non ferebat, ut pater ad dotandam filiam cogeretur, quam et exheredem scribere et impune praeterire testamento poterat. Legis P. P. capiti XXXV. duo deesse videbantur, alterum, quod de dote constituenda nihil illa cavisset: alterum, quod extra Romam coactioni illi non esset locus, et hoc supplevisse Principum illorum prudentiam existimat. Aliter tamen Noodtius, qui dotem profectitiam necessariam ad Legem Juliam refert, et Severi et Antonini legem voluisse tantum judicat, ut ad provincias idem extenderetur. Noodt *ad T. ff. de jur. dot.* Heineccii quidem probabilior mihi sententia videtur, ad quam probandam faciunt etiam, quas laudavimus, leges: *l.* 29. *ff. sol. matrim. l.* 6, 7. *C. de jur. dot.*, ex quibus constat, licuisse patri per stipulationem actionem ad dotem profectitiam sibi repetendam acquirere, quod ei sane non licuisset, si dotem dare lege obstrictus fuisset.

Est Rescriptum Impp. Diocletiani et Maximiani in *l.* 14. *C. de jur. dot.*, ex quo discimus, matrem non cogi pro filia dotem dare, nisi ex magna et probabili causa, vel lege specialiter expressa; verum postremum illud a Triboniano interpolatum esse, et adscriptum

ex *l.* 19. §. 1. *C. de Haeret. et Manich.* doctorum est ſententia.

Codex Theodosianus multum etiam juri dotium lucis affundit, praeſertim cum fragmenta nobis reſervaverit, quae non omnia in Cod. Justin. exſtant. Huc referenda est conſtitutio Impp. Constantii et Constantis: *De moribus actio ultra perſonam extendi non potest, nec in heredem dabitur, nec tribuetur heredi.* In hoc igitur differt morum cauſa a caeteris retentionum cauſis, quas notavimus. Harum enim cauſarum nomine heredes, ſi non retentionem, at petitionem ſeu actionem habent. Digna est, quae apponatur Gothofredi adnotatio de conſilio hujus legis et fine. *Nempe cum* Constantinus M., inquit, *repudiorum cauſas ad crimina tria reduxerit, adulterii, veneficii, lenocinii, et extra hos caſus omnem dotem restitui idem jusſerit, necesſe est et judicium de moribus ſublatum voluisſe* Constantinum M. *Verum quidquid* Constantinus *voluerit; haec lex nostra aperte docet,* Constantini M. *legem non obtinuisſe, quin judicium de moribus ſtetisſe, divortiorum cauſis aliis quam quas C. definiverat, pro jure veteri, permanentibus.* Deinde Honorii et Justiniani conſtitutione *l.* 11. §. 2. *C. de repud.*, repudiis videlicet cohibitis, morumque judicio ſublato, quo

caſu

casu divortium factum est, mulier cujus culpa divortium fit, tota dote et lucro nuptiali multatur.

Quam Constantio Imp. curae fuerit dotium jus, ex duobus aliis ipsius constitutionibus in Cod. Th. obviis, colligi potest ex *L.* 2. *T.* 21. *de inoff. dot.*, sive de dotibus in fraudem *L. P. P.* quarum altera in Cod. Just. non est descripta ob Legem Papiam, quae Justiniano displicuit. Ita autem se habent:

Cum omnis hereditas dote dicatur exhausta, concordare legibus promtum est, ut ad exemplum inofficiosi testamenti adversus dotem immodicam exercendae actionis copia tribuatur, et filiis conquerentibus emolumenta debita deferantur. Legitur quidem haec lex in *Cod. Justin. l. unica de inoff. dot.*, sed restricta ad casum: *cum omnia bona a matre tua in dotem dicantur* etc.

Altera lex est: *Dote ab uxore marito data, filios ex priori matrimonio, si neque ultra dodrantem, neque in fraudem legis Papiae constituatur, de hac repetenda nullam constat habere actionem.*

Habemus in Cod. Th. Juliani rescriptum de dote, quod item a Cod. Just. abest, propter retentiones ex dote, a Justiniano abrogatas:

In dote reddenda et retentiones ex jure venien-

nientes, ut pacta quae legibus consentanea esse monstrantur, placet etiam ex hujus sanctionis auctoritate intemerata inviolataque servari. Caussa hujus legis repetenda videtur ex odio, quo Julianus religionem Christianam prosequebatur. Scilicet repudiorum *εὐκωλία* et proinde judicium de moribus, et universe retentiones illae obsolescere coeperant, patribus passim adversus illam levitatem declamantibus. Julianus igitur hanc legem sanxit, et veteris moris retinens, et Christianae religionis et Constantini M. hostis internecinus: *et cum justa* videretur repudii caussa religionis Christianae professio, sic uxoribus injicere volebat dotis amittendae metum. Nam, uti Tertullianus ait, tanti non est bonum, quantum est odium Christianorum.

Secundo loco pacta dotalia, legibus consentanea Julianus hac lege confirmat; vel potius dicamus, abrogare eum pacta, retentionibus, quae ex jure veniunt, contraria. Cf. *l.* 5. *D. de pact. dotal.* Ne autem propter liberos retentiones locum habeant, Cujacius existimat, *licuisse pacisci.* Gothofredus etiam non videt, quare haec pactio licita non fuerit, cum liceat unicuique renuntiare favori, pro se introducto. Quod num probari queat, dubito: nam primum probandum est, illam ob liberos retentionem unice in paren-

rentum, et non ſimul in liberorum et univerſ
in nuptiarum favorem introductam fuisſe. Caeterum apparet, Julianum id voluisſe, ut vetera iuſtituta valerent, veluti retentiones ex dote, itemque pactiones ſecundum vetera inſtituta initae.

Lex ſequens in Cod. Th. Honorii et Theodosii, in *Cod. Just. l.* 11. *ſol. matrim. dos*, et *l. unica ſi dos conſt. matr.* cavet: *ſi conſtante matrimonio maritus fatali fuerit ſorte conſumtus, dos quae data dicitur, vel promisſa ex ejus uxoris facultatibus ad foeminam revertatur, nihilque ſibi ex hoc defuncti heres audeat vindicare, quod ad mulierem recurrere fecit obitus maritalis. Et ſi fortasſe conſtante matrimonio a marito uxori dos refuſa est, quod legibus ſtare non potest, quia donationis inſtar perſpicitur obtinere, eadem, uxore defuncta, marito ab ejus heredibus cum fructibus ex die refuſae dotis restituatur, ita ut proprietas ejusdem a liberis ex eadem ſusceptis alienari a marito non posſit.* Mortua uxore, ſic commentator ad *h. l.*, liberis communibus relictis, dotem apud maritum remanere uſusfructus titulo, proprietate liberis ſalva, definit hac lege Honorius. Est igitur dotis refuſio donationis inſtar. Quod de fructibus restituendis dicitur, de omnibus fructibus accipiendum est tam natura-

libus

libus, quam industrialibus. Fructus quippe dotis sine ulla distinctione marito repensandis matrimonii oneribus cedunt: proinde neque naturalium, constante matrimonio, donatio valet.

Pervenimus ad celebrem Theodosii et Valentiniani constitutionem in *Cod. Th. L.* 4. *de dot. in Cod. Just. l.* 6. *de dot. prom.*, cujus haec sunt verba: *ad exactionem dotis, quam semel praestari placuit, qualiacumque sufficere verba censemus, etiamsi dictio vel stipulatio in pollicitatione rerum dotalium minime fuerit subsecuta.* — Tribonianus adjecit: *qualiacumque sufficere verba censemus*, sive scripta fuerint, sive non. Egimus jam in praecedentibus de dictione dotis, et vidimus eam valuisse tantum, respectu mulieris, patris mulieris et debitoris. Abrogant eam Impp. ita, ut inter omnes personas jam valeat, et non tantum solennis illa dotis dicendae ratio, verum etiam qualiacumque verba sufficiant. Judicârunt enim Impp. conducere reip. mulieres esse dotatas, et propterea ad exactionem sufficere statuerunt, semel eam praestari placuisse. Mirifice convenit haec lex agendi Impp. rationi, nam, ut Gothofr. ad *h. l.*, *scrupulositatem et necessitatem veterem seu observationem juris dotis dicendae vel in stipulatum deducendae, ut dos exigi posset, abrogat hac lege* Theodo-

dosius Jun., *qui in universum prolixa constitutione, cujus haec pars est, id vel unum egit, ut varias subtilitates, solennitates, scrupulositates, pompas, celebritates, asperitates veteris juris superiorumque constitutionum, cunctorum actibus insidiantes, abrogatum iret.* Quod igitur fidei sanctitatem summopere commendabant, et anxias observationes, civitatis quidem, non vero humanitatis ratione nitentes nihili habebant, in hoc vim habuisse videtur publice jam recepta religio Christiana.

Pater ad filiam dotandam obligabatur, quamvis illa locuples esset. Quod nonnumquam durum visum fuit, praesertim si haberet filia, vel in potestate constituta, vel forte emancipata res maternas, vel ex alio modo tales, quae acquisitionem effugiunt, quarum ususfructus solus apud patrem remanet, vel quarum nomine poterat quasdam actiones contra patrem habere: tum dubitabatur, utrum pater ex suis rebus, an ex debito dotem dedisse intelligendus esset. Imperator Justinus quaestionem ita dirimit: siquidem pater penitus inopia tentus est, ut tum videretur ex debito dotem dedisse. Cf. *l. 7. C. de dot. prom.*

SECTIO IV. Justiniani *de dote Constitutiones.*

Justiniani fuit, ultimam, ut ita dicam, operi manum admovere, et totum illud jus ita informare, ut a fortis inconstantia et casuum temeritate vindicaret, et certum firmumque redderet. Videamus igitur quae hac de re constituerit.

Et constante adhuc matrimonio, uxori plenius quoddam jus in res dotales concessit in casu, quo maritus ad inopiam sit deductus *l.* 29. *C. de jure dot.* lata *a.* 528.

Repetendae vero doti non indubitanter favet Justinianus, cum in *l.* 30. *eodem*, lata *a.* 529. in rebus dotis, sive mobilibus, sive immobilibus, mulieri praerogativam concedat, omnibus aliis creditorum causis potiorem, et omnem temporalem exceptionem ab eo demum tempore opponi concedat, ex quo possunt mulieres actiones movere, i. e. opulentis quidem maritis constitutis, statim post dissolutum matrimonium, minus autem *idoneis*, ex quo hoc infortunium iis illatum esse claruerit. Postremum hoc ex praecedente lege vim capit, ubi sancitum est, uxorem, etiam constante matrimonio, sibi prospicere posse. Observandum est, Justinianum in hac lege a vetere ju-

jurisprudentia in hoc recedere, quod mulieri, soluto matrimonio, concedit vindicationem rerum dotalium, cum antea tantum haberet actionem rei uxoriae, vel actionem ex stipulatu, si stipulatio intervenisset, illumque rationem legis significasse his verbis, quod dominium rerum dotalium, sive aestimatae sint, sive inaestimatae, naturaliter apud uxorem permanserit. Existimamus, quod observatum jam est a viris doctissimis, voluisse eum vindicationi et juri hypothecae, cujus uxori ante omnes alios creditores mariti hypothecarios praerogativam concesserat, aliquem quaerere colorem.

Prohibuit porro, ne ex monumentorum religiosa observatione uxor damni quid caperet. *l.* 31. *C. de jure dot.* lata *a.* 530, Lampadio et Oreste coss. De reditibus in eadem lege §. 2. cavet, ut post biennium contracti matrimonii praestarentur: sin autem dos in auro esset, ut post biennium usurae usque ad tertiam partem centesimae currerent: sin autem aliae res praeter immobiles, vel aurum in dotem datae essent, siquidem aestimatae fuerint, simili modo post biennium, earumque usurae ex tertia parte centesimae currunt In singularum aestimatione coadunatio totius calculi non exspectatur. Si res mobiles non aestimatae sunt, ea post biennium observantur quae leges post litem contestatam, pro omni-

nibus hujusmodi rebus definiunt. Sin vero res permixtae fuerint, et partim in auro, partim in aliis rebus immobilibus consistunt, pro jam facta divisione omnia procedunt, licentia minime deneganda marito, quando voluerit, dotem petendi.

Perveniemus ad celeberrimam Justiniani legem, eodem, quo praecedentem, anno latam, qua rei uxoriae actionem in ex stipulatu actionem transfudit. Observanda sunt singula quae in hac actione doti favorabilia constituit. I. Ab utroque latere concessit hypothecam, a parte *mariti* in rebus uxoris pro dote praestanda, a parte uxoris, in rebus mariti pro restitutione dotis. II. Non indubitanter significat, se diversas dotis profect. et advent. rationes non diligenter servaturum. III. Stipulatio et hypotheca instrumentorum confectionem non amplius requirit. IV. Actionem hanc bonae fidei fecit. V. Quamvis Edictum Praetoris de alterutro introductum sit, potest tamen uxor et a marito relicta recipere, et dotem consequi. VI. Jus actionis ex stipulatu transit ad successores. VII. Retentiones sublatae sunt: a.) *ob mores*, nam qui conjux repudii causam dederit, dotem et ante nuptias donationem amitit, vid. Tit. *Cod.* de repudiis; b.) *ob res amotas*, cum omnibus maritis pateat rerum amotarum judicium; c.) *ob res donatas*. Nam donatio inter conjuges prohi-

bi-

bita est. Maritus eas petere potest rei vindicatione, vel actione utili, vel si consumtae sunt, condicere. d.) *ob liberos.* Quia maritus ipse, ut pater, eos alere debet, licet post de consuetudine ob liberos, ut heredes mulieris, dos retineatur. e.) *ob culpam aliquam mulieris.* f.) *ob impensas.* Necessariae impensae ipso jure dotem minuunt. De voluptariis vidimus supra, quid fieri oporteat. Si utiles sunt, et voluntas mulieris intercessit, habet maritus mandati actionem; si non intercessit, et utiliter tamen res gesta est, negotiorum gestorum. Voluptariae impensae consensu domini factae, licet alias pariant restitutionem et retentionem, hic tamen secus. VIII. Actio haec transit, uxore mortua, ad heredes uxoris. Hoc igitur casu maritus, quod aequius quidem esset, non lucratur dotem, nisi ejusmodi pactum intervenerit, vel pactum, ne uxor dotem repetat, quod pater non potest pacisci, extraneus quidem. IX. In exactione dotis, (a) maritus fruitur beneficio competentiae: (b) cautionem praestare debet de solvendo residuo, si ad meliorem fortunam perveniat: (c) res mobiles intra annum, res immobiles statim restitui debent. Rebus igitur mobilibus intra annum utitur fruitur maritus. Si maritus supersederit, eas secundum hanc legem restituere, etiam usuras aestimationis omnium rerum, quae extra im-

mobiles sunt, usque ad tertiam partem centesimae ex b. f. introducendas, maritus praestet: fructibus videlicet immobilium rerum parti mulieris, ex tempore dissoluti matrimonii praestandis: similique modo pensionibus vel vecturis navium sive jumentorum, vel operis servorum, vel quaestu civilium annonarum, et aliis, quae sunt eis similia parti mulieris restituendis. X. Semper licet uxori ex substantia mariti, sicuti alia debita, ita dotem subtrahere, et tunc quartam deducere. Colligunt Interpretes ex hoc §, si maritus instituit uxorem heredem, *eamque fideicommisso* gravavit, dotem restituere non teneri, nisi expresse dixerit testator de dote restituenda, quia in fideicommisso universali non continentur ea, quae gravatus erat habiturus, alio instituto herede. *l.* 68. *ff. de leg.* 2. XI. Rerum inaestimatarum accessiones quae extra fructus sunt, vel quae servi ex operis, neque ex re mariti, sed aliunde acquisiverunt, ad mulierem pertinent. Absurdum existimavit Imp. et humanae naturae praestantiae non convenire, partum ancillae in fructu esse, cum omnes fructus *rerum natura* gratia hominis comparaverit. §. 37. *I. de rer. div.* XII. Qui in familiae erciscundae judicio dotem detrahit, cautionem praestare debet coheredibus, se illos indemnes servaturum, si ob dotem conveniuntur. XIII. Filia, quamvis sit eman-

emancipata vel exheredata, vel cum aliis heredibus scripta, dotem habet praecipuam. XIV. Dos potest de inofficioso actionem excludere, maxime si sufficit ad quartam et in collationem ferri, si intestatus paterfamilias decesserit, et, testamento facto, quando hoc testator scripserit. XV. Dos adventitia, si receptitia non est facta, vi tacitae stipulationis mulieri cedit XVI. Pater actionem movere nequit, nisi consentiente filia, et si actione nondum mota, vel lite jam contestata ab hac luce fuerit subtractus ad filiam, quasi proprium patrimonium, dos revertitur. XVII. Vim legis Juliae de *fundo dotali* ad omnes omnino fundos, in provinciali etiam solo positos, extendit, et alienari, ne consentiente quidem muliere, vetuit. Lege Anastasiana mulier juri suo renuntiare potest. *l.* 11, *l.* 21. *C. ad Sct.* Vellejanum. Ergo et dotis inaestimatae alienationi et hypothecae consentire? Non ita. Eo non pertinet Anastasii constitutio, sed ad dotem tantum aestimatam, et alias res, quae mariti periculo sunt. XVII. Denique pacta immutilata conservari sanxit, quae quidem constitutionibus non adversantur. Sin autem repudio matrimonium fuerit dissolutum, omnia jura quae ex Theodosiana, vel sui ipsius lege descendunt, vel ex lege Anastasiana, pro

his

his, quae bona gratia separantur, firma illibataque permanere voluit.

Si dos dotalibus instrumentis promissa quidem, nondum vero data sit, marito, omnique qui cum marito dotem susceperit, contra mulierem vel ejus heredes intra annum tantum concedit exceptionem non numeratae pecuniae *l.* 3. *C. de dote cauta.*

In *l.* 12. *C. qui potiores in pignore* hypotheca uxori datur in rebus mariti, omnibus creditoribus potior, licet anterioris temporis *privilegio* vallatis. Hoc vero *quasi non* sufficeret mulieri; etiam priviligium hypothecae concessit prae illis quoque, qui simili privilegio gaudent. N. CXVII. c. 3.

Maritus, stante matrimonio, lucro dotis fruitur. Potest igitur his de rebus libere disponere. Quodsi vero non disposuerit, placuit Justiniano liberis has res reservari, etiamsi non fiant heredes aut patris, aut matris, aut utriusque, vel si quidam eorum fiant heredes, alii vero repudient. N. XXII. c. XX. §. 2.

Prohibuit etiam Imp. eos, qui ad secunda matrimonia transeant, lucrum percipere ex dote prioris matrimonii, dum liberi ex hoc matrimonio supersint. *c.* 33, 34, 35.

Mortuo marito, si dos ad patrem reversa

est,

est, pater, filia ad secundas nuptias transeunte, ejusdem mensurae dotem dare tenetur, siquidem facultates suae adhuc patiuntur. N. XCVII c. V.

Nov. laud. c. VI. cavet de dotis collatione, inope marito mortuo; ne uxor ob negligentiam patris, qui actionem contra inopis mariti res movere destitit, damnum patiatur, vel si patiatur, sui ipsius negligentiae ut tribuendum habeat.

In Nov. XCVIII. c. I. Imperator quae constituerat N. XXII. c. XX. ita emendat, ut proprietas dotis filiis semper servari debeat, etiamsi ad secundas nuptias veniant parentes.

Praetermittendum etiam non est, Justinianum in hoc quoque doti favisse; quod, si dos numerata non est, concedit marito, stante matrimonio, intra decennium, actionem ad dotem petendam, heredique ejus, intra tres menses. Si vero intra biennium solvitur matrimonium sive morte, sive divorto, tum marito de non numerata pecunia queri licet, ejusque heredi, intra alium annum. Et si quidem intra aetatem maritus sit et non queratur, ad restitutionem in integrum gaudet tempore XII. annorum a tempore nuptiarum: moriente quoque eo intra praedictum tempus, heredes habent annum ad querelam. Si autem heredes non querentis minores

sunt, quinquennium habent ad querelam non numeratae movendam. Nov. C. c. I, II. Eo magis autem notandum est, Justinianum marito, stante matrimonio, decennium concesſiſſe ad movendam querelam, cum alio loco exceptionem non numeratae intra biennium opponi voluerit.

Quodſi diverſas has Justiniani de dote constitutiones reſpicimus, non poſſumus, quin prudentem orbis terrarum legislatorem iterum agnoscamus. Etenim cum dotis cauſae faveret, nuptiarum cauſae favisſe *eum constat*; et ſapienter illum *ita egisſe* quis neget, qui civitatis ſalutem cum domestica populi ratione arctisſimo vinculo conjunctam esſe reputet. Caute tamen hac de re pronunciandum nobis est; cum alii Justinianum uxorium fuisſe et ultra modum mulieribus ſerviisſe ſtatuant. Et elegantulae quidem Theodorae precibus et monitis, ut in aliis, ſic etiam his in rebus, obsecutum eum fuisſe, ita negare non audeo, ut potius affirmarem. Itaque hîc illîc magis, quam par esſet, doti favisſe videtur. *Non facile*, liceat apponere verba doctisſimi G. Groen van Prinsterer, in Disſert. *de juris Justinianei praeſtantia* p. 67, *non facile alia ſolvitur accuſatio, qua foeminarum amore, et uxoris ſive precibus, ſive auctoritate quaedam juris regulis minus convenientia dicitur conſtituisſe. Ut enim lex excu-*

cuſetur, qua adventitia dos ab heredibus mulie-ris repetebatur, nequit excuſari conſtitutio, qua uxorem creditoribus etiam antiquioribus praeponens omnem ſustulit hypothecarum ſecuritatem, eamque, etiamſi ipſe in principio profesſus non esſet, nihilominus adſiduis mulierum aditionibus expresſam non dubitarem. Et ſane ſunt etiam alia loca, in quibus idem quis haud abſurde conjiciat. In caeteris tamen injustum foret, credo, pulchrae Theodorae aditionibus, et non ſapientibus ipſius Justiniani conſiliis plurimas illas conſtitutiones adſcribere, quibus dotium fluctuantem naturam certam ſtabilemque reddiderit. Quas cum conſtitueret, exiſtimemus eum fecisſe, quod temporum ſuorum rationes postularent, nam de moribus istius temporis non nimis honorifice ſentire nos faciunt. Teneamus, illum monuisſe, non dotibus, ſed affectu matrimonia contrahi. *l.* 11. *C. de repudiis.* Certe, uti Groenius ait h. l. p. 29, *ea* Justiniani *temporibus videtur fuisſe hominum avaritia, quae in nuptiis contrahendis magis patrimonii augendi ſpe, quam domesticae felicitatis duceretur.* Nam ne de aliis dicamus, duae illae conſtitutiones, quarum altera uxori, ſtante matrimonio, concedit dotis repetitionem, ſi res mariti ad inopiam vergant, altera qua legem Juliam de fundo dotali non modo ad provincias extendit, ſed et vim legis au-

 get,

get, quidni arguunt, maritos saepissime dotes consumsisse, et consumta dote, domo expulisse uxores, cum nulla alia re amplius se commendarent. Denique, quod supra jam verbo monuimus, in Justiniano praetermittendum etiam non est religionis Christianae studium. Hoc enim dotis favorem auxisse videtur; non tantum, quia dotis datio pietatem prae se ferebat, sed etiam, quia sacerdotes Christiani dotem saepe exigebant, tamquam necessarium justarum nuptiarum requisitum. Clerum enim dotandis virginibus saepe praefuisse, ex antiquitate Ecclesiae novimus. Cf. De Rhoer, *Diss. de effectu religionis Christ. in Jurisprudentiam Romanam Diss.* VI. Laudandum igitur Imperatoris consilium, mirifice expositum in *l* 25. *Cod. ad Sctum.* Vellejanum, *Generaliter sancimus, ut si quis major* 25 *annis, sive masculus sive foemina dotem pollicitus sit, vel spoponderit pro qualibet muliere, cum qua matrimonium licitum est, omnimodo compellatur suam confessionem adimplere. Neque enim ferendum est, quasi casu fortuito interveniente, mulierem fieri indotatam, et sic a viro forsitan repelli et distrahi matrimonium. Cum enim scimus, favore dotium et antiquos juris conditores severitatem legis saepius mollire, merito et nos ad hujusmodi venimus sanctionem: — omni auctoritate Vellejani Scti in hac causa cessante.* Itaque Justinianum

num egregium dotium fautorem non immerito vocamus. —

Quodsi jam summam eorum quae disputavimus colligimus, ad haec fere redibit. Ab illis inde temporibus in republica Romana, quibus divortia frequentiora reddita sunt, i. e. quingentis fere post R. C. annis, singulare dotium jus exstitisse videtur, quod rei uxoriae nomine, sub formula *quantum aequius melius* celebrabatur. Dos illa in matrimonio juris gentium tantum usuveniebat, cum quae in matrimonio juris civilis dabatur, simul ac tradita esset, sui ipsius naturam amitteret, et in mariti patrimonium irrevocabiliter transiret. Illae autem rei uxoriae actiones et cautiones varios divortiorum et mortis conjugum casus amplecti coeperunt. Tandem summa vis vi legis Voconiae dotibus accessit, quo magis illa lex foeminarum juribus detraheret: tum enim dos non modo, ut nuptiarum fautrix, sed ut unicum mulierum patrimonium habebatur. Inde non mirum, legem Papiam Poppaeam, nuptiarum adjuvandarum consilio latam, dotes diligenter curavisse.

Lex Voconia quamvis sensim sensimque evanuerat, quae inde insignes vires sumsisset dos minime evanuit, et hoc amplius fieri non poterat. Nam moribus dotis datio adeo inhaerebat, ut sine ea filia honeste elocari non posset, quin

in

in concubinae magis, quam in matrisfam. locum haberetur. Tum venit accurata distinctio dotem profectitiam inter et adventitiam, et totum illud jus egregia Jctorum cura formatum est et vero nobilitatum. Ex imperatoribus, qui deinceps post Augustum operi manum admoverunt, in censum veniunt inprimis Severus et Antoninus, qui dotium jus quodammodo immutasse feruntur, et patri necessitatem imposuisse filiam dotandi: Impp. Constantius et Constans, qui actionem de moribus ultra personam extendi noluerunt: Julianus, qui retentiones *ex jure* venientes confirmavit, et pacta retentionibus contraria prohibuit: Theodosius et Valentinianus, quibus ad exactionem dotis qualiacumque sufficere verba placuit, etiamsi stipulatio in pollicitatione rerum dotalium minime fuisset subsecuta: Justinianus denique, qui inter alia, constante adhuc matrimonio, rebus mariti ad inopiam vergentibus, uxori repetitionem concessit; concessit quoque hypothecam in rebus mariti prae omnes alios, privilegiatos etiam creditores, privilegiatam; omnes retentiones sustulit; *dotem adventitiam* ab uxoris herede repeti voluit; legis Juliae de fundo dotali vim promovit; rei uxoriae actionem, cum in ex stipulatu actionem transfundebat, in hanc, quidquid in altera utile dotium causae fuisset, transtulit. — Et haec quidem haetenus. —

In

In ipsum vero dotium jus eo minus inquisivimus, quo minus, si aliqua saltem ratione facere vellemus, unius anni esset labor. Etenim quam ampla hîc sit et discendi et disputandi materies, testantur multiplices leges, multiplices quaestiones, spissa iterum commentatorum atque interpretum volumina: quin recentissima aetate sunt qui rem illustrare pergant, in quibus unus omnium Hassius bene de jurisprudentia meretur. Nos tantum animi caussa, pro viribus nostris et consilio nostro historicam dotis rationem apud Romanos attigimus. Hîc igitur subsistimus, et hanc nostram scriptionem doctorum virorum judicio submittimus, haesitanter tamen: quibus si vel ex quantulacumque parte placuerit, bene de nobis actum judicabimus.

Dotium caussa semper et ubique praecipua est: nam et publice interest, dotes mulieribus conservari.

POMPONIUS.

Errata ignoscat B. L.